3.7.649

Digitized by Google

JACOBI PRIMEROSII
Doctoris Medici

DE VULGI ERRORIBUS IN MEDICINA LIBRI IV.

Ab Auctore recenſiti & plus quam tertia parte aucti.

Editio poſtrema, prioribus emendatior.



ROTERODAMI,
Ex Officina ARNOLDI LEERS.
M. DC. LXIIX.

Legi hunc Librum doctum, & dignum qui fiat publicus.

Sim. Fox.

Præſidens Collegii Medicorum Londin.

JUDICIUM
ZACUTI
LUSITANI
de hoc libro.

Amiciſſime ARNOLDE,

VIdi hunc librum excellentiſſimi Viri Iacobi Primeroſii, qui de vulgi in medicina erroribus graphicè diſceptat, aureolus eſt, nervoſus, varius, jucundus, & utilis, dignus ut in ore medicorum perpetuò verſetur. Affabre diſſerit, acutè diſſolvit, ſubtiliter objicit

hic

hic perdoctus auctor. Eja age, mi Arnolde, *eum ex tempore prælo committe, ne recraſtines, nullus emunctæ naris vir hunc ſalutiferum partum torvè ſpectabit, ſed in doctorum amplexu, ſemper erit delitio, & ornamento, virentiumque inſtar roſarum in dies magis, ac magis efflorebit ſemper. Pſeudo enim medicorum inſcitiam, & errores detegit, qui alienis periculis ſibi ſumptus faciunt, & rudem, ineptamque plebeculam falſis pollicitationibus alliciunt. Hi contra præcepta Sacroſanctæ Medicinæ inſolentes inſurgunt, & deteſtantur eos, qui ægris mirâ diligentiâ ſuccurrunt, ſuaviſſimè medentur, & citò manus adhibent auxiliares; Hos, Herculeá veluti clavâ, hoc eſt, Hippocratica methodo inſtru-*

ctus

ctus ſolo æquat, & eorum erroneas opiniones ex toto profligat, vanam Medicaſtrorum arrogantiam refrænat, lividam proterviam coërcet, & ſuperbos blateronum conatus ſtrenuè retundit. Vnum enim moleſtiſſimè fero, quod gregarii, & inepti homunculi, imò male feriati empirici hanc prærogativam eruditorum inſtar ſibi vendicent; ita ut venatici canes, & villatici eodem modo ferinam olfacere videantur, velintque capræ Rhinoceroti naſuto videri ſimiles. At hæc faciamus miſſa. Tu bonarum artium fautor integerrime, ſtrenuam repone operam, ut hic liber politus, & terſus prælo citò gemat, & lucis uſura fruatur: nam applauſu erit exceptus in

noſtro Belgio, in Europa, imo in orbe toto. Vale, & me te amantem, redama, Amſtelodami. 4. Iunii 1639.

Zacutus Luſitanus M. D.

I N

IN LIBRUM DE VULGI ERRORIBUS.

PRÆFATIO.

REctè ſcripſit *Hippocrates Libro de Lege*, *Medicinam omnium artium eſſe præſtantiſſimam:* Id enim illius antiquitas, neceſſitas, & ſubjecti, corporis ſcilicet humani nobilitas, ſatis indicant. Verùm addit, *propter eorum qui eam exercent, & eorum qui temerè de illis judicant, ignorantiam, reliquis artibus inferiorem videri.* Quibus verbis, duas videtur innuere cauſas errorum omnium qui in medendo contingunt. *Prima* Medicos ipſos

ſpectat, *ſecunda* verò reliquos omnes qui de Medicis & Medicina judicant. Medicos quidem quod ſpectat, plurimos ait eſſe hiſtrionibus ὑποκρίταις ſimiles, qui perſonam repræſentant, quam tamen non ſuſtinent. Ita Medici φήμη μὲν πολλοὶ, ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοὶ Quod ſicut *Hippocratis* temporibus, ita & noſtro ſeculo verum eſſe oſtendit experientia. Secunda cauſa eos ſpectat qui de Medicis malè judicant; optimos quidem ſemper quiſque ſibi optat. Verum quis ille eſt, qui bonos à malis probè diſtinguere norit, quum multi iis ſæpe utantur, quos vel audacia, vel amici cujuſdam favor, vel petulantis linguæ jactantia, non ſolida Medicinæ cognitio extulit, quod vitium etiam *Plinii* tempore fuit familiare. *Cuilibet*, inquit, *Medicum ſe dicenti ſtatim creditur, cum tamen nullâ in re peccatum ſit gravius, majus enim ſæpe à Medico, quam ab ipſo morbo impendet periculum.* Ex duabus

hiſce

hiſce cauſis omnes populi errores proficiſci diximus. Nam plurimi Medicinam facientes, parcè tamen ac tenuiter Medicinæ præceptis imbuti, plurima populo perſuaſerunt, quæ adeo altè animo infixa hærent, ut vix ullis rationum momentis inde poſſint evelli, & eradicari. Pauciſſimi enim graſſantur errores, quibus olim Medicus quiſpiam non dederit originem, ex malè intellectis quibuſdam Medicinæ theorematis, & præceptionibus. Neque id mirum eſſe debet, cum etiam inter ipſos Medicos doctos & ~~opè inſtitutos maxima opinionum diſſenſio, nondumque plenè compoſita varietas reperiatur. Verùm hoc libro non de Medicorum controverſiis agere propoſitum mihi eſt, ſed populo tantùm errores quoſdam indicare, qui veram medendi rationem interturbant. Scripſerunt de hoc argumento pauci; *Laurentius* quidem *Ioubertus* apud Gallos, ſimi-

le quid meditatus erat; ſed opus imperfectum reliquit, paucos tantum errores explicavit, nec illos admodum, graves parumque ad populum meo judicio ſpectantes. Cum igitur quoſdam hic errores obſervaviſſem etiam ſatis notabiles, de illis ſententiam meam placuit breviter exponere. Occaſionem huic operi dederat olim familiaris illa conſuetudo vaticinandi ex urinis, quam etiam hodie Medicorum plurimi fovent, & ſequuntur, de quâ cum opinionem meam quidam jampridem à me poſtulaſſet, eam ſcripto ipſi indicavi. Poſtea verò animadverſis etiam aliis erroribus, de iis aliquid in uſum primum meum deſcripſi. Tandem cum centuriam perfeciſſem, atque liber hic in aliquam molem excreviſſet, finem impoſui, forſitan olim ut ſeſe occaſio offeret, plures annotaturus, maximè ſi tractatio hæc probis doctiſque Medicis grata utiliſque videatur;

tur; Illorum enim judicio hæc omnia ſubmitto. Non unius tantùm regionis, ſed & plurium errores hoc libro complexus ſum, ut quæ in genere hic ſcribuntur, quiſque ſibi adaptet, ſi in ſua regione eoſdem inveniat. Erit autem iſtius ſcriptionis hic ordo, ut liber Primus errores circa Medicos complectatur, id eſt circa omnes eos qui falcem ſuam in hanc meſſem injiciunt. Secundus verò circa morborum quorundam naturam, & ſigna verſabitur. Tertius verò circa victus rationem tam ſanorum quam ægrorum. Quartus & ultimus de morborum quibuſdam remediis à populo malè intellectis tractabit. Sed jam opus hoc aggrediamur.

INDEX CAPITUM LIBRI PRIMI.

DE Medicis in genere, Cap. 1.
De doctoribus Medicis 2.
De Medicorum famulis, & Pharmacopœis Medicinam facientibus, 3.
De Theologis Medicinam facientibus, 4.
De Mulieribus Medicinam, & Chirurgiam facientibus, 5.
De Agyrtis, 6.
De Antidoto Agyrtarum, 7.
De Balſamo, & unguento Agyrtarum, 8.
De iis qui ſe Profeſſores vocant artis Paracelſica, 9.
Medicum debere eſſe Chirurgiæ peritum, 10.
Medico licere ſua medicamenta componere, 11.
De iis qui Secreta habere dicuntur, 12.
De iis qui creduntur eſſe fortunati, 13.
De iis qui creduntur experti, 14.
De multis qui Vrinas inſpiciunt, pulſus tangunt, cathartica praſcribunt, 15.
De iis qui facilem luis Venereæ curationem pollicentur, 16.
Error illorum qui Medicinam hominum diverſam faciunt à Medicinâ brutorum, 17.

Medi-

INDEX.

Medicinam eſſe artem Mechanicam, 18.
Medicinæ partem ſanitatis conſervatricem nullam dari diſtinctum ab arte curandi, 19.
De Medicis qui nimium tribuunt judiciis aſtrorum, 20.

LIBER II.

De fallaci urinarum judicio, Cap. 1.
Sexum & graviditatem ex urina non poſſe cognoſci, 2.
Solutio rationum Herculis Saxoniæ, quæ Ouroſcopiæ favere videntur, 3.
Vrinam in morbis turbari, quod Angli dicunt breake, *non ſemper eſſe bonum ſignum,* 4.
Conſumptionem ex urina non poſſe cognoſci, 5.
De Conſumptione, 6.
De Peſte, an ſit contagioſa, 7.
An liceat tempore peſtis fugere, 8.
Quodnam mortis genus artis Medicæ ope poſſit præcaveri, additio in nova editione, 9.
An poſſint febres intermittentes, quas Agues *populus vocat curari,* 10.
Ex calore volæ manuum hepatis calorem non poſſe cognoſci, 13.
De iis qui jecur calidum, ventriculum frigidum accuſant, 12.

Mari-

Maritum loco uxoris gravidæ non ægrotare, 13.
An Medici peregrini incolarum alterius regionis temperiem cognoſcere poßint, 14.
De iis qui morbos ferme omnes ad refrigationem referunt. 15.
Quomodo verum ſit mores animi ſequi corporis temperamentum, 16.
De delirantibus, 17.
Marem non eſſe ſemper fœminâ calidiorem, 18.
De ſeptimeſtri, undecimeſtri, octomeſtri partu, 19.
Mulierem ſine menſtruorum fluxu poſſe uterum gerere, quomodo ſit intelligendum, 20.
De vanitate anni Climacterici. 21.
De iis qui non diſtingunt pingues à carnoſis, 22.
Parvitatem cordis non eſſe ſignum aut cauſam Animoſitatis vel audaciæ, 23.
De lupu ulcere, 24.
Melancholiam non ſemper fieri ab humore melancholico, 25.
De ecſtaticis, 26.
In delirantibus rationem propriè non lædi, 27.
De Mulieribus Spleneticis, 28.
Febres non benè diſtingui per periodos, 29.
Febrem omnem non eſſe ſemper calidum affectum,

ſectum, 30.
Febres quaſdam poſſe eſſe ſalutares, & de Anglorum proverbio, An ague in the ſpring is phyſike for a King, 31.
Error eorum qui credunt omnem febrem eſſe ex corde, 32.
De peſtis cognitione quam difficilis & incerta ſit in principio. 33.
Cometas non eſſe ſignum peſtilentiæ, 34.
De morbis à crapulâ & cruditate genitis, Angli vocant Surfett. 35.
Quam malè populus omnes præter naturam dormientes vocet Lethargicos, 36.
Cujus Epilepſiæ curationem populus expectare debeat, 37.

LIBER III.

De bonitate aquarum, Cap. 1.
Aquam per plumbeos canales deductam non eſſe ideo malam, 2.
Ægrorum lintea ſæpius eſſe permutanda, 3.
De libro diætetico Leſſii, 4.
Ægris non plenum, ſed tenuem victum convenire, 5.
De qualitate ciborum in ægris, 6.
De tempore utendi cibis, 7.
De potu quem Angli poſſetum vocant, 8.
Decoctum & juſculum galli veteris ad nutritionem malè præſcribi, 9.

Aurum

Aurum fruſtra incoqui juſculis tabidorum, 10.
Lac cum aqua permiſtum tabidis convenire, 11.
Falſam eſſe illud proverbium, Lac à jecore eſſe abluendum, 12.
Cereviſiam fortiorem non eſſe manè à jejunis bibendam, 13.
Malè ad coctionem promovendam poſt craſſiores cibos aquas vitæ ſtillatitias aſſumi, 14.
Obſtetrices malè puerperis nil niſi calidos potus dare, 15.
Errores duo circa Nutricum electionem, 16.
Pueris fortes & generoſos potus malè concedi, 17.
Cibos ſolidos infantibus ante dentium eruptionem non eſſe dandos, 18.
Licere largius ſeſe invitare ſanitatis cauſa, 19.
Pannos rubicundi coloris ad variolarum excretionem non eſſe aliis præferendos, 20
Quod malè plurimi laboribus incipientem morbum abigere ſtudent, 21.
Quomodo ſit verum defectum prioris coctionis non emendari in ſequenti, 22.
Errores circa ciborum varietatem & ordinem, 23.
An panis repletio ſit omnium peſſima, 24.
Piſcium uſum in morbis non eſſe ſemper reji-

rejiciendum, 25.
Frigere à pactu non eſſe ſignum ſanitatis, 26.
Aquas è carnibus diſtillatas eſſe prorſus inanes. 27.
De importunis quorundam quaſtionibus circa alimenta, 28.
Malè tabidos reformidare lactis uſum, quia pituitam generat, 29.

LIBER IV.

DE *iis qui remedia Chymicè præparata contemnunt,* Cap.1.
Metallicorum uſum non eſſe reprobandum, 2.
De iis qui remediis Chymicis nimium tribuunt, 3.
Non eſſe mutanda remedia etiamſi curatio ſtatim non ſuccedat, 4.
De iis qui remedia omnia rejiciunt, ſi ſtatim non curantur, 5.
Remedia ob ingratitudinem non eſſe ſtatim rejicienda, 6.
An domi nata remedia cuilibet regioni ſufficere poſſint, 7.
De iis qui venæ ſectionem, & purgationem reformidant, ne aſſueſcant, 8.
Ad venæ Sectionem & purgationem Aſtrorum rationem non eſſe habendam, 9.
De ridiculis Calendariographorum obſervationi-

tionibus Medicinam ſpectantibus, 10.
Diebus Canicularibus purgationem non eſſe noxiam, 11.
Purgationes ſæpius eſſe repetendas. 12.
Non eſſe Pilulis purgantibus utendum ſtatim à cœnâ, 13.
Medicas Potiones non ſolum calidas, ſed etiam frigidas ſumi poſſe, 14.
Die Purgationis non eſſe piaculum frigidos potus ſumere. 15.
De iis qui in ſolo veris principio purgari volunt, 16.
Purgationem non eſſe rejiciendam, etiamſi æger cibos non ſumat, 17.
Non eſſe malè ſentiendum de purgatione, etiamſi vomitu interdum rejiciatur, 18.
Etiamſi alvus fluat, non eſſe formidandam purgationem, 19.
Clyſterum uſum eſſe innoxium. 20.
Clyſteres minùs commodè infundi per veſicas, 21.
De vomitoriis, non eſſe ſtatim ab Anglis poſſeta dicta poſt illorum aſſumptionem bibenda, 22.
Venam in ſenibus ſine periculo ſecari poſſe, 23.
Venarum in brachio delectum eſſe inutilem, 24.
Minùs commodè ſanguinis quantitatem unciis, libris & ponderibus potiùs quàm men-

menſuris æſtimari, 25.
Poſt venæ Sectionem malè ſomnum & potum omnino prohiberi, 26.
Gravidis venæ ſectionem & purgationem non eſſe noxiam, 27.
Puerperis etiam remedia convenire, 28.
Mercurium ore ſumptum non eſſe nocivum, 29.
Mercurium etiam abſque præparatione eſſe innoxium, 30.
De ſuffitu Nicotianæ ſive Tabaci, 31.
De recto uſu Tabaci, 32.
Fumum Tabaci, non pervadere ad Cerebrum, 33.
Num fumus Tabaci à Peſte præſervet, 34.
De Importuno remediorum Cardiacum uſu, 35.
De Erroribus circa Lapidem Bezaar, 36.
De temperie & doſi lapidis Bezaar, 37.
De Cornu Unicornu, 38.
De quibuſdam aquis diſtillatis ad febres curandas malè inſtitutis, 39.
Iulepos, alioſque refrigerantes potus in febribus magna doſi eſſe exhibendos, 40.
Calculum Veſicæ remediis ore ſumptis non poſſe diſſolvi, 41.
Lumbricos in febribus non eſſe ſtatim occidendos, 42.
Ad adſtringenda mulierum profluvia malè cinnamomum præſcribi, 45.

Opium

Opium rectè præparatum non eſſe formidandum, 44.
De Somniferis capiti applicatis, 45.
Fomentationes factas per veſicas eſſe minus efficaces, 46.
De applicatione Catulorum & Columbarum plantis pedum, 47.
De unguento Armario, 48.
De curatione Strumarum quæ dicitur fieri per contactum ſeptimi fœtus, 49.
Venæ ſectionem non pinguefacere, 50.
Hæmorrhoides non ſemper prodeſſe melancholicis, 51.
Sanguinem hircinum eſſe vanum ad calculum remedium, 52.
Ad morbos gravidarum curandos abortum non debere provocari, 53.
Injectionem in uterum & veſicam eſſe inutiles, 54.
De calice ex Antimonio, ſive ſtibio, 55.
De abuſu ulcuſculorum, quæ fontanellas vocant, 56.
De vanitate plurimorum remediorum. 57.

DE

XI

XII

TX) 5257

DE VULGI ERRORIBUS LIBER PRIMUS, Qui Medicos ſpectat.

CAP. I.

De Medicis in genere.

CUm igitur (ut in Prefatione diximus) tantus ſit Medicorum numerus, explicandum primũ eſt, quibus Medicinam propriè eſt, quibus Medicinam propriè loquendo, facere liceat. Eam enim faciunt Medici in Academiis inſtituti, ipſorum famuli, Miniſtri, Agyrtę, circumforanei, mulieres quęChirurgiam facere dicuntur; de quorũ ſingulis quædam dicenda ſunt.

Medicum vult *Hippocrates* eſſe virum probum, ſolertem, ingenioſum; & *Libro de Arte* vult eſſe à pueritiâ inſtitutum, in loco idoneo, & convenienti, laboris amantem. *Galenus* peculiari libro docuit debere eſſe Philoſophum, ſcribitq; *Hippocrates*, ἰατρὸς φιλόσοφος, ἰσόθεος. Scribit *Ariſtoteles* non debere inGeometriâ deſiderari cognitionem alterius diſciplinæ quæ aliena eſt à Geometriâ. Sic pariter à Medico tantum debet exſpectari exquiſita artis ſuæ cognitio. Unde

multiplex populi error deprehenditur. Primo quod Medicum vocent interdum Medicum doctum & eruditum, *ſcilicet eum qui forſan Latinè loqui, aut Græcè quædam intelligere poteſt, non autem eum qui probè arte ſuâ inſtructus eſt, atque id etiam ſufficere quidam putant ad ſuſtinendam Medici perſonam. Et novi nuper quendam, qui cùm ſe Medicum profiteretur, quamvis leviſſimè eâ diſciplina tinctus foret, talis tamen habitus eſt ob quandam Latinæ linguæ cognitionem. Verùm inter hæc maxima eſt differentia. Morbos enim, rectè dixit Celſus, Latinorum Medicorum princeps, eloquentia non curari. Quamvis igitur linguarum cognitio, cujus ambitu pars maxima vulgi totam complectitur eruditionem, aditum faciat ad diſciplinas omnes percipiendas, illæ tamen non niſi novo labore, cura & induſtria acquiruntur. Propterea doctum Medicum illum deinceps populus cenſeat, non qui prædicta, aut aliam à Medicina diſciplinam quandam noverit, ſed qui benè præceptis Medicis inſtitutus, probè in *Galeni* & *Hippocratis* lectione verſatus, morborum diagnoſin, prognoſin, & therapiam probè callet. Nam qui hæc aut omnino non novit, aut parcè tantùm ac tenuiter, probus Medicus vix haberi poteſt. At quotus quiſque ille eſt qui de his

* *A great Scholler.*

judi-

judicabit? Non pauci namque ſunt famam inter populum aliquam adepti, & quodam eruditionis nomine inſignes, qui *Galenum* & *Hippocratem* legerunt nunquam, parùm admodum ſtudent, nec etiam quando maximè licet, novitios quoſdam Scriptores vix lectione dignos ſectantur. Sed quoniam plurimi etiam ſunt probi Medici diligentes, docti, laborioſi, plura non addemus. Rectè igitur ſcribit Æſchylus Poëta ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, οὐχ ὁ πολλ' εἰδὼς σοφὸς. Qui utilia, non qui multa novit, ſapit.

CAP. II.

De Doctoribus Medicis.

Galenus duplex facit Medicorum ignorantium genus, unum illorum qui merè empirici ſunt, aliud eorum qui famam aliquam ſapientiæ habere volunt, & tamen eâ probè non ſunt inſtructi: Tales ſunt quam plurimi, qui ut majorem ſibi authoritatem concilient, honores Academiarum, quos gradus vocant, levi pretio redimunt, nihilò tamen inde redeunt doctiores. Univerſitatum autem approbationes ſapienter à majoribus inſtitutæ, elegantes ſunt quidem & neceſſariæ, ſed deberent diligentiùs obſervari. At jam omnia negliguntur, nam quibuſlibet quantumvis ſciolis gradus exhibetur docto-

ratus, unde ſit, ut ex quibuſdam Academiis redeant Doctores parum docti, nihil minùs quam apti ad medicinam aut docendam, aut faciendam. Paucæque ſuperſunt Academiæ quas abuſus ille non occupavit; Hiſpaniâ exceptâ, in quâ Licentiatus & Doctoratus ſunt magni honores, ut audio. In Italiâ & Galliâ magnam authoritatem non conciliat Doctoratus. Nec licet in ſplendidis civitatibus cuiquam Medicinam facere, quantumvis Doctori, qui non iterum prius fuerit à Civitatis Magiſtratibus approbatus, examinantibus Medicis, quorum etiam quidam forſan non ſunt Doctores. Pariter qui in una Academia Doctor eſt, in alia Medicinam facere nequit, niſi iterum in eadem Doctoratum adipiſcatur. Unde rectè & prudenter fuit idem conſtitutum Londini, ne ullus Academiarum Doctor illic artem ſuam exerceat, antequam à Societate Medicorum novis examinibus approbetur. In plurimis enim Academiis etſi Medicina ſatis diligenter doceatur, in gradibus tamen iſtis conferendis ſunt negligentiores, & nemini fermè eos denegant. Unde optimum foret, ſi nemini extra propriam regionem hos gradus & honores aſſequi liceret, ut eruditionis ſuæ teſtes habere poſſit populares ſuos, quos forſan poſtea curaturus eſt, ſicut & idem fit in Gallia. *Andreas Laurentius* inſignis ille & elegans Anatomes interpres

terpres, cùm Regio diplomate Monſpelii Medicinam docendi munus obtinuiſſet, admitti tamen non potuit, donec iterum factus fuiſſet primum Medicinæ Baccalaureus, dein Licentiatus, poſtmodum Doctor, & toties iterum de Medicina reſpondiſſet, quoties ex Academiæ illius inſtituto opus fuit. Pariter Burdigalæ, ubi educatus fui, non licuit *Iulio Cæſari Scaligero* viro tam docto & erudito, commorari, ut Medicinam faceret, quod nollet ab illius urbis Medicis examinari. Noluit autem, non quòd urbis inſtitutum improbaret, quale in tota Gallia obſervatur, ſed quia famam ſuam quodlibetariç quæſtioni Junioris forſitan Medici, noluit exponere, quâ de re mutuas inter ipſum & *Manialdum* doctiſſimum Medicum Burdigalenſem epiſtolas habebat *Manialdus* filius ejuſdem poſtea urbis Medicus ſenior. Hæc ſunt, quæ quoniam plurimi non obſervant, ſtatim cuilibet ſe Doctorem profitenti, tam leviter & facilè credunt. Viro quidem docto ejuſmodi honores gratiam quandam addunt doctrinam tamen non tribuunt. Non ſolet enim qui hodie Doctor non eſt, cras ſcilicet futurus, repentè propterea fieri doctior, neque ſi eo gradu abſtineat, fiet Doctore quodam indoctior. Sicut igitur iſtas Academiarum conſtitutiones non improbo, ſed veneror; abuſus tamen tam multos probare nemo poteſt.

Plurimi enim medicaſtri hujus artis ignari aut eâ leviſſimè imbuti, empto in peregrinis Academiis Doctoris titulo, aut ſaltem ſe emiſſe ſimulantes, & ſic ementito honore ſuperbi domum redeunt, ut civium ſanguine & divitiis ſaginentur. In genere autem notandum erit, majus impendere ægrotantibus periculum, ab omnibus Medicinam profitentibus, qui eâ leviter ſunt imbuti, quam ab iis qui nihil omnino nôrunt. Fiunt enim audaces, garruli, melioribus obganniunt, reſiſtunt, atque illis ſeſe præferre, aut ſaltem æquare geſtiunt. Obſervavi in quibuſdam hanc malam conſuetudinem, ut quicquid probè Medicus quiſpiam dixerit, contradicant, ut famam aliquam ex alieni nominis ruinâ poſſint aucupari.

Caput III.

De Medicorum famulis, & Pharmacopœis Medicinam facientibus.

FRequens ſatis hic eſt error, ut qui Medicorum fuerunt famuli, quamvis nullis diſciplinis imbuti, poſt mortem Domini, aut etiam antea, ſeſe accingant ad Medicinę praxin, quales ego non paucos novi, & aliquid etiam noſſe creduntur, quia per annos plures Medico inſerviêrunt, præſcriptiones illius, quas notas & receptas vocant, deſcripſerunt,

ſuc-

ſucceſſum obſervârunt. Idém dicendum eſt, de quibuſdam Pharmacopœis, quibus Medicus aliquis diu uſus eſt: verùm hęc non ſufficiunt ad medendum, neque poteſt ars Medica tam facili labore addiſci. Nam *Hippocrates* in eo qui Medicus eſſe cupit, requirit præter promptum ingenium, inſtitutionem à puero, locum ſtudiis aptum, laborem, diſciplinam, & tempus idoneum, & alia quæ iſtis deſunt, tum quaſi Medicum ſectari ſufficiat ad diſcendam Medicinam; aut quaſi Medici illi quibus famulantur, ſint præſtantiores aliis, qui ſcriptis ſuam eruditionem & experientiam poſteritati commendarunt. Non quod abſurdum putem pauperem ſtudioſum Medico famulari, & ab eo diſcere quicquid poteſt, ſed quod abſurdum ſit nebulones quoſdam & mancipia temerè & audacter Dominos ſuos imitari: nam cùm nemo adeo exactus Medicus ſit, cui plurima non deſint ad eam perfectionem, quę Medico neceſſaria foret, qui poterunt prędicti tam facilè fieri Medici? Et tamen, ſicut alii plurimi, feruntur à populo, & laudantur.

Cap. IV.

De Theologis Medicinam facientibus.

Inter Eccleſiaſtici ordinis homines, qui ſe totos Deo & Eccleſiæ utilitati conſecrarunt,

 runt,

runt, ſat multi reperiuntur, qui ſatis ſeriò, & avidè, & cum maximo lucro, non ſolum animarum, ſed etiam corporum curam habent, & quantùm poſſunt corporeis morbis medentur, etiam ubi Medici ſunt quam plurimi. Scio id factum non probari à quamplurimis Medicorum, præſertim illis qui omnes lucro inhiant: ſed cum plurimi levioris notæ Medici, vix alios ſe meliores patienter ferant, non mirum quoque ſi minus probent iſtud religioſorum virorum inſtitutum. Veruntamen illud non eſt novum, ſiquidem *Marſilius Ficinus* magnus ille *Platonis* Interpres, Medicus ſimul fuit & Sacerdos, atque id licere probat, quia ad pium Sacerdotem pertinent ſingularis charitatis officia: Quare qui Sacerdotio jungit Medicinam, efficit, ut mens ſana in corpore ſano ſtabuletur. Quod ſi in Sacerdote requiritur hodie, non ſolum Theologiæ, ſed & aliarum diſciplinarum cognitio, cur excipietur Medicina? Quot ſunt qui ſpinoſas legum quęſtiones probè norunt, quidni etiam Medicinam? Objiciet quiſpiam τὶς εἰς ταῦτα ἱκανός; Videtur enim ars medica tam ſalebroſa, tam difficilis, & longa, ut non poſſit ab ullo homine ita probè addiſci, quin totum illum poſtulet, & rapiat ad ſeſe: Quare damnandus videtur Theologus, qui relicta & neglecta nobiliori diſciplina, cui nomen dedit, & inde-

delebilem adeptus eſt characterem, ſeſe alteri addicit tam lubricæ, tam difficili, tam inconſtanti: Neceſſe enim eſt, ut alterutrius diſciplinæ ſufficiens ipſi cognitio deſit. Verum plurima habent illi quibus eximiam illam erga proximos charitatem, ſi quam habent, tueri poſſunt. Et primò ſanatio morborumque depulſio contraria non eſt, nec adverſa ſtudio Theologico, & prædicationi Verbi Divini; Nam & Apoſtoli, & primi Chriſtiani morbos ſanabant, & etiam concionabantur. Quamvis enim miraculoſa fuerit ejuſmodi ſanandi ratio, tamen colligere poſſumus morborum depulſionem ex ſeſe & natura ſua non repugnare officio Eccleſiaſtico, ſed probè & amicè cum eo conſentire. Si ergo finem aſſequi licet, licebit pariter & mediis ad finem tendentibus uti, qualia ſunt remedia quæ Deus ad hunc uſum creavit. Sed forſan dicet quiſpiam, ſanationem ipſam ex parte rei non repugnare officio Theologorum, ſed tantum, quoniam ſupponit cognitionem alterius diſciplinæ, cui ſimul & Theologiæ idcumbere non eſt facilè: Verùm reſpondere poterunt, non eſſe eadem omnium ingenia, nec eadem Dei dona. Quoſdam forſan ingenio promptos, memoria valentes, & laborum amantes, utriq; arti poſſe cum fructu maximo animum adhibere. Imò hodie pauci ſunt qui Theologię ſtu-

ſtudio alteram quandam non addiderint diſciplinam, ad quam ipſorum genius inclinabat. Quoſdam detinet Mathematicę ſtudium, aut Aſtrologiæ, aut legum, aut aliud ſimile, neque unquam quiſquam in illis reprehendit. Poſſibilemque eſſe utriuſque diſciplinæ cognitionem oſtendit ipſorum Medicorum exemplum, quorum plurimi parum ſtudent, & tamen eo ipſo quod Medici creduntur, ſtudioſo Theologo præferri cupiunt, ſed qua ratione ignotum eſt: nam ſi tempus illud quod Medicaſter forſan quidam miſerè prodigit, aut nihil agendo, aut malè agendo, aut ludendo, Presbyter in ſtudio Medicinæ impendit, quid prohibet illum tandem futurum Medicinæ peritum? Nec eſt novum, quoſdam Medicos etiam Theologiæ ſtudio delectari; & ſanè rationem non video quare noſtro hoc ſeculo, ubi omnia fermè corrupit abuſus, non poſſint quidam Theologi quibuſdam Medicaſtris eſſe doctiores, cùm plurimi Medicorum, aut ſaltem qui tales haberi volunt, adeo leviter ſtudio Medico incumbant, ut facilè ſit levi labore plura in Medicina noſſe, quam ipſi norunt. Refert *Volaterranus*, Truſianum, dictum pluſquam commentatorem, cujus admirabile & ingenioſiſſimum extat in artem *Galeni commentarium*, factum fuiſſe Monachum Ordinis Carthuſianorum? Si igitur quiſpiam Theologus

logus laboris patiens, & ingenioſus tantam ſibi Medicinæ cognitionem comparavit, ut eâ poſſit uti, quare ipſam bona conſcientiâ non exercebit? Relinquendum igitur eſt ipſorum conſcientiæ num artem hanc probè calleant, ipſi viderint. *Benedictus Arrias Montanus*, referente Arceo, Chirurgiam docebat in Hiſpania: Verùm paucos *Arriæ Montano* ſimiles fert hæc Regio. Neque hactenus ullum Miniſtrum (multos autem novi) Medicinam facientem videre mihi contigit, qui eam probè noſſet, vixque etiam forſan decimam partem, ne gravius quid dicam, eorum quæ Medicum aut Theologum ſcire neceſſe eſt.

Quamvis igitur poſſibilis ſit utriuſque diſciplinæ cognitio, rarò tamen ea contingit, & Medicinæ praxis à ſtudio Theologico animum prorſus avertit; ſtudium pariter Theologicum, præſertim in prædicaturis, Medicinæ exercitium interturbat, unde probabilius multò eſt, non poſſe ſalva conſcientia exerceri Medicinam ab ullo Theologo, qui curam habet animarum. Neque exempla citata me commovent. *Marſilius Ficinus* ingenioſus quidem fuit, ſed πολυπράγμων, neque ipſius libelli de Medicina, magnam in eâ diſciplina cognitionem arguunt, magiſque circa nugas & ſomnia Platonicorum occupatus fuiſſe videtur, quam circa ſeria: Tru-

ſianum autem tædium cœpit Medica praxeos, eamque prorſus abjecit, & cucullum induit. Sic & Chirurgiam reliquit, nec eam fecit amplius *Arrias Montanus*: Et clara eſt hac de re decreti conſtitutio variis in locis; Secunda parte, cauſa 21. Quæſt. 3. & diſt. 88. In genere omnia negotia prohibet Eccleſiaſticis, maximè lucri cauſâ, quæ à ſacris officiis avertunt. *Hi qui in Eccleſia Domini ad ordinationem clericam promoventur, in nullo ab adminiſtratione divina avocentur, nec moleſtiis, & negotiis ſecularibus avocentur ſed die & nocte cæleſtibus rebus, & ſpiritualibus inſerviant*, & rationem paulò antè reddit, *quia nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſecularibus.* Et alibi; *iſta opera exhibeant ſibi invicem vacantes Laici.* Sed pariter quod Medicinam ſpectat. Ext. tit. 50. lib. 3. Decr. c. 3. Non magnopere antiqui hoſtis invidia, &c. *Inde nimirum eſt, quod in Angelum lucis ſe ſolito more transfigurans, ſub obtentu languentium fratrum conſulendi corporibus, & eccleſiaſtica negotia fidelius, pertractandi, regulares quoſdam ad legendas leges, & confectiones Phyſicalos ponderandas, è elauſtris ſuis educit. Vnde ne occaſione ſcientiæ, ſpirituales viri, mundanis rurſus actionibus involvantur, ſtatuimus, ut nulli omnino poſt votum religionis, & poſt factam in aliquo loco religioſam*

ſam profeſſionem, ad phyſicam, legesve mundanas legendas exire permittantur. Si verò exierint, & ad clauſtrum ſuum infra duorum menſium ſpatium non redierint, ſicut excommunicari ab omnibus evitentur, &c. Ubi docet non eſſe ſub obtentu charitatis & pietatis legendam à religioſis Medicinam, tum ab hoſte generis humani, ſcilicet à Diabolo proficiſci, ſi quando religioſi operam dant Medicinæ. Clarius eſt Decretum Concilii Turonenſis, relatum eodem loco c. 10. *Contra religioſas perſonas de clauſtris exeuntes ad audiendum leges, vel phyſicam, Alexander prædeceſſor noſter olim ſtatuit in Concilio Turonenſi, ut niſi intra duorum menſium ſpatium ad clauſtrum redierint, ſicut excommunicati ab omnibus evitentur & in nulla cauſa, ſi patrocinium præſtare voluerint, audiantur. Reverſi autem, in choro, & menſa, & capitulo, & cæteris, ultimi fratrum exiſtant, & niſi fortè ex miſericordia ſedis Apoſtolicæ totius ſpem promotionis amittant. Verum quia nonnulli ex talibus, propter quorundam opiniones diverſas, excuſationis aliquid aſſumebant. Nos volentes ut de cætero ipſo facto, ſententiam excommunicationis incurrant, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus eam à Diœceſanis, & capitulis ipſorum, quam à cæteris Epiſcopis, in quorum dioceſibus ejuſmodi ſtu-*

ſtudent, tales excommunicati, prædictis pœnis obnoxii publicè pronuntientur. Quia verò Theologiæ ſtudium cupimus ampliari, ut dilatato ſui tentorii loco, funiculos ſuos faciat longiores, ut ſit fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus reſiſtere valeat aſcendentibus ex adverſo, ad Archidiaconos. Decanos, Plebanos, Præpoſitos, Cantires, & alios Clericos perſonatus habentes, nec non Presbyteros (niſi ab his infra ſpatium præſcriptum deſtiterint) hoc extendi volumus, & mandamus, & appellatione poſtpoſita firmiter obſervari: Et cap. 9. prohibitur. *Ne ullam Chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ ad uſtionem, vel inciſionem inducit,* quę tamen facillima pars eſt Chirurgiæ, ut venam ſecare, &c. Quod ſi hæc faciliora prohibet, multò difficiliora haud dubiè complectitur. Sed noſtri Miniſtri Medicinam audaciùs quàm par eſt facientes, & ſub fucatæ pietatis lenocinio populo imponentes, negligent forſan veteris Eccleſiæ cenſuram: Quapropter Dei judicio illos relinquo, cui de omnibus perperam dictis factisve rationem olim ſunt reddituri.

CAP. V.

De mulieribus Medicinam & Chirurgiam facientibus.

POpuli, vel ſaltem ordinarios plurimorum errores explicaturus, lubenter Eccleſiaſticis quàm potui favi maximè, ſic etiam mulieribus idem faciendum putavi. Nec res eſt adeò magni momenti: Nec enim Medicus quiſpiam alicujus notæ aut Chirurgus, pejus de feminis ſentire debet, quæ ad curam & virorum obſequium natæ ſunt, ſi omnem ſuam in generis humani ſubſidium operam impendant, namque & lectum probè ſternere, juſcula, colatitia, hordeata, amygdalata probè decoquere ſciunt, & plurima ad varios morbos remedia norunt. Sed maximè circa Chirurgiam ſunt occupatæ, illamque Chirurgiæ partem, quæ tumores & ulcera curat. Verùm tamen curatio ulcerum, & vulnerum maximam artem requirit, ut prius cognoſcantur omnes eorum differentiæ, an ſcilicet ſimplex ſit vulnus, corrodens, contuſum, cum oſſis carie, ſordidum, nomodes, fiſtuloſum, &c. Deinde remediorum & circumſtantiarum in curando varietas, artem reddit fallacem, incertam & conjecturalem; Quæ omnia cum non niſi à perito Medico cognoſci poſſint, non debent mulie-

mulieres temerè & audacter hiſce rebus ſe immiſcere. Domum remedia ſolent ex libris quibuſdam vernaculè ſcriptis depromere,aut etiam ab aliis communicatis uti, & tunc ſe rara ad omnes morbos remedia habere putant. Docet tamen *Galenus in libris methodi*, varianda eſſe remedia ratione perſonarum, loci, partis affectæ, & aliarum circumſtantiarum: nam in quibuſdam remedium detergens erit ſuppuratorium, ut thus, in aliis idem remedium carnem generabit,& dat *Galenus* exemplum Chirurgi, qui in ulcere quodam,cùm magnam putrefactionem videret, quotidiè applicabat valentius detergens, ut æruginem; & quò ſæpius id faciebat, eò major putrefactio ſuccedebat, quia fortius erat morbo remedium. Idem ulcus in crure, aliud remedium poſtulat quam in pectore, aut alia parte, ob variam partium naturam. Si ergo omnes ulcerum differentias & cauſas probè norunt, tùm etiam rectam methodum,& rectum uſum ſuppurantium, detergentium, ſarcoticorum & epuloticorum, & variandi rationem ſecundum naturam partium, ætatum, temperamentorum, & reliquarum circumſtantiarum, concedam facilè, & credam poſſe illas hanc artem exercere. Verùm cum prædicta non niſi labore magno & ſtudio addiſcantur, vix adduci poſſum ut credam poſſe illas aut intel-

ligere

ligere, aut præſtare quod pollicentur. Sed quoniam parum ſollicitus eſſe debet Medicus, quinam & quot ſint qui Medicinam faciunt, de mulieribus nihil amplius dicemus, ſufficit populo errores ſuos indicaſſe. Ideo pauca tantùm de reliquis dicemus.

Caput VI.

De Agyrtis.

Est aliud hominum genus ad ludibrium artis natum, qui ſeſe empiricos vocant, Angli & Itali Montinbancos, Galli Charlatanos, aut cæretanos, quorum unus Angliam nutricem optimam ſuam nuncupabat. Et mirum eſt cum plurimi in Medicorum electione admodum cauti ſint, ut ſi Medicus quiſpiam alicubi ſedem fixerit, non niſi poſt longum tempus ipſi ſeſe credere audeant accedenti tamen Montinbanco per aliquot hebdomades commoraturo, ſtatim confidunt, & quod ſæpe obſervavi infimæ notæ viri qui paupertatem ſuam, & rei familiaris tenuitatem Medicis objiciunt, pecuniæ interdum ſatis magnam quantitatem iſtis Agyrtis obtrudunt. Notandum *primò* in reliquis orbis terrarum partibus, eſſe viros nullius notæ, & quantumvis diteſcant nullius in Republica honoris eſſe capaces. Hic autem dum peragrant regionem, in ſatis magno

ſunt

ſunt honore, Medicis ipſis interdum æquantur, & quoddam genus Medicorum eſſe creduntur. *Secundò* notandum vocare ſeſe Empiricos, quod tamen falſum eſt. Empirici olim erant viri valdè docti, & remediorum periti, quos *Galenus* noſter alicubi præceptores ſuos agnoſcit, & non tantùm remedia, ſed etiam præcepta medica probè norant, morborum ſigna diagnoſtica, & prognoſtica, methodum quandam aut potius ordinem in medendo ſequebantur,ſed nec cauſas morborum nec præceptionum Medicarum rationem inquirebant, quas non ignorabant, ſed nihili faciebant, erant enim Viri doctiſſimi. Sufficiebat illis ea fuiſſe olim aut à majoribus,aut à ſeipſis obſervata. Tales Empiricos ſi haberemus, ferri illi poſſent. Nec enim Medici empiriam adverſantur,(cum Medicina dogmatica illam complectatur.) Sed prętereа addiderint rationem, & cauſarum cognitionem, non ut abſolutè mederi, ſed ut certius mederi poſſint. Noſtri autem Agyrtæ nunc faciunt hiſtrioniam, & multùm abeſt ut ſint Empirici, cùm pręter tria quatuorve remedia, nihil norint. Si autem ad lepram, podagram, quartanam febrem, aliosve graves affectus remedia haberent, viſo ſucceſſu, experimenta laudaremus. Verùm omnes ad unum in Italia, Gallia, Anglia, tria tantùm habent remediorum genera, Antido-

tidotum ad venena, Balſamum ad vulnera, Unguentum ad ambuſta, quibus interdum addunt globulum odoratum. Domi autem empta à Pharmacopœis vulgaria remedia purgantia ſatis magno pretio vendunt. De iſtis autem remediis quædam dicemus, ſi prius monuero, me ab illorum numero eximere Chirurgos operarios, qui calculum ſecant, quos *Hippocrates* vocat ἐργάτας, tum qui cataractam deprimunt, tum qui herniam ſecant: ſunt enim legitimi artifices, quamvis Agyrtarum, qui Angliam circumeunt, quidam hæc etiam audeant.

CAP. VII.

De Antidoto Agyrtarum.

PRæcipuum & laudatiſſimum illorum remedium eſt ad venena, de quo mira pollicentur. Verùm illius remedii primò inutilitatem demoſtremus; ſecundò, abuſum; tertiò, facilitatem.

Inutilitas in eo conſiſtit, quod omnium morborum qui humano corpori accidunt, rariſſimi apud nos ſunt morbi ex veneno aut admoto, aut aſſumpto geniti, unde minor illius remedii neceſſitas adeſt: nam ſi ad magis familiares morbos haberent pharmaca, ut lepram & arthritidem, tolerari poſſent. Deinde nulla eſt Medicinæ pars, quæ reme-

dijs

diis magis abundet, quàm hæc quæ de venenis agit. Si quis enim libros legerit eorum qui remediorum deſcriptiones collegerunt, quantam illorum copiam & varietatem inveniet, apud *Weckerum*, *Andernacum*, & alios, qui de venenis tractatus ediderunt. Sed præterea nullum eſt remedium quod poſſit omnibus venenis adverſari. Imò dico hauſtum lactis vacini adverſus arſenicum, & ſublimatum, quæ ſunt venena nobis magis formidanda, plus præſtare quàm omnia Agyrtarum antidota. Proſtant etiam in Officinis Pharmacopolarum multò præſtantiora, ut antiquiſſima illa & omnibus ſeculis probatiſſima Theriaca *Andromachi*, tum Mithridatium *Damocratis*, Antidotus *Matthioli* quæ omnia fermè ſimplicia complectitur quæ huic uſui inſerviunt. Demum facilè eſt Medico cuilibet materiam Medicam, & artem componendi medicamenta probe cognoſcenti ſimilia ſtatim præſcribere. Nam notandum eſt non deſumi ea medicamenta ex iis quæ ſingulorum venenorum generibus adverſantur, nam neque lac, nec butyrum, nec oleum, aut alia quæ arſenico & ſepticis adverſantur, ſubeunt illorum antidoton, ſed ex materia medica cordialium deſumuntur: ſcilicet volunt ſolummodo cor tueri adverſus malignitatem pharmaci non autem ipſius pharmaci vim reſtinguere. Sicut peſtis vene-

num

num ſcribunt doctiſſimi quidam Medici ejus eſſe naturæ, ut illius proprium antidoton nondum fuerit cognitum. Unde quæcunque adverſus peſtilens iſtud venenum præſcribuntur, ſolum cor roborant adverſus cauſæ morbificæ vim. Unde falſitas Antidoti Agyrtarum deprehendi poteſt, & non poſſe eſſe univerſalem, ut ipſi prædicant. Idem ex pretio quiſpiam ſuſpicari poſſet Quomodo enim impenſas comitum ſuorum, & itineris, quæ ſunt ſatis grandes, poſſent illi ſuſtinere, ſi Antidotus eſſet alicujus pretii, quam cum unguento,& balſamo,duodecim tantùm denariis anglicis vendunt, ut ſæpius vidi. Ut autem remedii efficacia probetur, (hic enim fraus maxima eſt, poſſunt enim ſeſe adverſus veneni vim antidotis officinarum præmunire) iſta cautio foret notanda. Servetur canis abſque cibo & potu per noctem; neque lac ipſi manè, aut quidquam pingue offeratur, quod veneni vim frangat, ſed detur arſenicum, eoque ſumpto,antidoti quantum libuerit Agyrtę, ſumat, ſic probabitur remedii efficacia. Idem de hominibus dicendum: nam in ſeipſis experiuntur venena, eaque coram populo aſſumunt. Si autem cum prædictis cautionibus ſumpſerint, tunc laudabimus effectu viſo remedium. Verùm in ſcenam prodeant, ut plurimum poſt meridiem, poſt cibum, & uſum pinguium, lenien-

lenientium, lactis, & forſan etiam antidotorum. Omnis enim uſus ciborum,& pręcipuè pinguium,& lactis, roborat ſtomachum, venenum debilitat, unde non mirum ſi tunc audacius illud aſſumant, quod poſt parvam temporis moram domi evomunt. Sic omnia redeunt ad nihilum.

Eſt aliud ipſorum experimentum, quod populus valdè admiratur. Viperam Agyrta pectori circa mammam ſiniſtram applicabit, ſumpta antidoto nihil mali ſentiet. Ad id ſtupet populus, ſola narratio mira eſt. Fraus autem hic varia eſt. *Primò*, quia ut docet *Matthiolus*, habent iſti homines varias artes cicurandi aſpides & ſerpentes ſuos. *Secundò*, ſunt in Anglia viperæ ob temperiem aëris, minus venenatæ, quàm in calidis regionibus. Unde *Galenus* valdè curat in compoſitione theriacæ, ne ſumma æſtate quæ apud illos calidiſſima eſt, ſumantur viperæ, fiunt enim tunc venatiſſimæ & dipſades multò minus venatæ erunt apud nos, quibus ſumma æſtas verno tempori Italorum non reſpondet. *Tertiò*, male credit populus veneni vim citius communicari cordi, ſi pectori venenatum animal applicetur, ob cordis viciniam. Verùm id falſum eſt; nam venenum communicatur per venas, & arterias, ut patet quod eorum, qui à vipera demorſi fuerunt, ſanguis totus in virorem com-

commutatur. Cùm igitur mammarum venæ ſint admodum exiles, & non niſi per varios amfractus longiſſimos ad cor pervenire poſſint. Dico, eſtque probabilius, ſi pedibus, qui à corde remotiſſimi ſunt, vipera applicetur, citiùs inficiet cor, quam ſi mammis, citiùs autem ſi brachiis. Mihi nunc in mentem venit hiſtoria Cleopatræ. *Petrus Victorius, lib. 4. variar. Lection.* reprehendit pictores, qui pingunt Cleopatram apponentem aſpidem mammis, cùm conſtet ex Plutarcho in vitâ Antonii, & Plinio appoſuiſſe brachiis. Refert Zonaras nullum mortis ſignum apparuiſſe præter vibices duas in brachio. Cæſar quoque in ipſius ſtatua quam in triumpho ducebat, appoſuit aſpidem brachio. Illic enim ſunt venæ & arteriæ magnæ quæ cordi venenum citò & recta via communicant, cum in mammis ſint vaſa exilia quę tantùm per varias ambages ad cor ducunt. Ideo in *D. Paulo* miraculum paulò majus fuit, quod nihil mali ſenſerit ex vipera quæ brachium invaſit, quam ſi invaſiſſet pectus, dediſſet enim inducias ſatis longas ad ſumendum antidotum quoddam, quod in brachio non potuiſſet.

Cap. VIII.

De Balſamo & Vnguents Agyrtarum.

VIdentur etiam mira præſtare in curandis vulneribus, ope Balſami ſui; Ubi notandum, vulnera illos curare ſimplicia, quibus ſola unio ſufficit abſque futurâ, unde in vetuſtis vulneribus irritum eſt ejuſmodi Balſamum. Cura autem hæc non eſt valdè difficilis; Sæpe enim ad ejuſmodi ſimplicia & recentia vulnera, ſola deligatura ſufficit, naturâ, ſanguine intermedio, tanquam Balſamo, partes diviſas uniente. Plura quoque ſunt apud Authores remedia illius naturæ; quorum duo valdè bona deſcribuntur à Riolano. Unum deſcribitur etiam à Fabritio ab Aquapendente, quæ apud illos videri poſſunt. Riolanus ante Fabritium ſcripſit, & tamen Fabritius ab agyrtâ illud remedium habuit, vocatur nunc *oleum Hiſpanum*, vocari debet *Balſamus Riolani Patris*, qui primus illud deſcripſit. Ut ſciat populus nihil eſſe in ejuſmodi remediis admirabile, nihil quod Medici & Chirurgi multò melius facere non poſſint.

Unguentum præterea ipſi habent ad ambuſta, ut plurimum ex pomata, aut butyro loto in aceto cum ſale Saturni. Sed quoniam aliqui eo uſque procedunt, ut fervente oleo aut

aut plumbo liquefacto manus ſuas abluant, de eo aliquid dicendum, ne populus credat Medicis hæc etiam ignota eſſe. Albertus Magnus varios id faciendi modos tradit; *Primò ſumit glutinis piſcis, & alumin. Ana partes æquales. Fundantur ſuper acetum vini, line*, inquit, *cum hoc linimento, & non comburetur igne. Secundò, Sume calcem diſſolutam cum aqua fabar. Et aliquantulum Mandrag. & Altheæ. Miſce benè, unge palmam tuam, & exſiccetur, adeo valet, ut quis tangere ignem poſſit. Tertiò. Recipe ſuccum Altheæ, album ovi, ſemen pſillii, calcem, & ſuccum raphani. Miſce cum albo ovi, & hac confectione illine manum tuam, non necebit ignis ullo modo, non etiamſi ſulphur vivum ſuper manum tuam accendas.* Cardanus refert, *ſi quiſpiam urina propria lavet manus, ignis non nocebit.* Multaque ſunt alia ad id remedia, quæ ſubſtantia lenta & frigida perfundunt manus, ut non poſſit oleum aut plumbum, aut aliquid ardens facere impreſſionem, ſed ſtatim delabitur, aliàs ſi permaneret, haud dubiè tandem combureret: Addamus hic Andreæ Laurentii Medici inſignis authoritatem, *Lib.* 1. *de ſtrumis cap.* 4. *Qui carbones ignitos*, inquit, *innoxie tangunt, manus primùm ſuccis quibuſdam illinunt, quibus ab igne per aliquod tempus ſe tuentur. Ovi candido, aut Plinius, vis tanta eſt ut*

lignum ovo perfuſum non ardeat; ligna alumine illita invicta ignibus manent, cujus rei experimentum dedit Archelaus Mithridatis præfectus in lignea turri contra Syllam, quam fruſtra comburere conatus eſt. Succi mucilagenoſi altheæ, malvæ, portulacæ, mercurialis, contra ignem valent. Propterea ſcripſit Albertus, ſi quis ſucco altheæ, albumine ovi, alumine ex aceto oblinat manus, poſſe ignem ſine læſione pertractare. Argento vivo, aceto, albumine ovi, reſtincto, ſi quis manus abluerit, ab igne non lædetur, qui verò venena in conſpectu, & oculis plebeculæ hauriunt, oleo prius & butyro interiores ventriculi tunicas incruſtant, aut Alexiteriis utuntur. Ità impoſtores hi rudioribus imponunt. Hæc Laurent. Verum quia Agyrtæ iſti ſua remedia vili pretio vendunt, nec fermè unquam veniunt in uſum, etſi emantur, & parum Medicis nocent, de ipſis plura non dicemus.

Cap. IX.

De iis qui ſe Profeſſores vocant artis Paracelſicæ.

PRædicta revocant mihi in memoriam me vidiſſe Londini programmata quorundam, qui profitentur artem Paracelſicam, & multa mira pollicentur, quæ peregrinando didi-

didicerunt, cum tamen induſtrius & ſtudioſus vir poſſit domi plura ex ſedula librorum lectione expiſcari. Iſti autem homines technas ſuas Paracelſi nomine tegunt, cujus forſitan libros legerunt nunquam, multò minùs, quod certiſſime credo, intellexerunt. Poſt Paracelſum ſiquidem nemo fuit abſolutè ipſius ſectator. Tandem res eò redit quòd iſti homines ſunt, aut volunt haberi chymiſtæ. Igitur quæ differentia ſit inter Paracelſiſtam & chymicum aperiam paucis. Chymia non eſt ars ſui generis, ſed eſt præparatio medicamentorum, & propterea propriè loquendo pertinet ad artem pharmaceuticam, nec niſi in Pharmacia de eâ tractari debet. Non fuit inventa à Paracelſo, ſed pluribus, ante illum natum ſeculis, exculta à Raimundo Lullio, Villanovano, & aliis quamplurimis, quorum habemus multa laudanda remedia chymica, aquas, quintas eſſentias, ſtillatitia balſama, & alia ejuſmodi, qui tamen eandem cum Galenicis profitebantur Medicinam. Unde præparationem iſtam remediorum chymicam Medici non improbant, quamvis ſub eo nomine multæ fiant fraudes, & fermè omnes impoſtores hoc pallio technas ſuas occultent & tegant. Paracelſica autem hæreſis, quamvis maximè utatur remediis chymicis; vulgari tamen modo præparata, quæ Galenica vocantur,

 non

non reſpuit, ut videre licet in multis apud Paracelſum locis, & conſiliis in quibus ſæpe remediis utitur, chymicè non præparatiis, imò integris tantummodo inter ſe variè permiſtis. Ita ut quoad hanc Medicinæ partem, quæ medicamentorum præparationem ſpectat, non magis unam quam aliam affectaſſe videatur Paracelſus. Nihilominùs tamen omnem Galeni Medicinam evertere conatur, novam Phyſiologiam inducit, multa portenta dicit de rerum principiis, hominis generatione, novas morborum cauſas adducit, quæ eſt ipſius pathologia, & novam medendi methodum, in quâ nec parcit ſpiritibus, nec verbis, nec Magicis actionibus, nam morbos qualibet arte curari debere docet, ſivè Dæmonum, ſivè naturalium agentium ope, ſivè remedia chymicè præparantur, ſive non. Nam revera Paracelſus fuit Magus, ut ex multis illius operibus paret. Cum autem ars ejuſmodi longa ſit, & intellectu difficilis, vix mihi perſuadebunt ſe eſſe Paracelſiſtas. Quæ autem Petrus Severinus Danus, Quercetanus, aliique de hac diſciplina ſcripſerunt, non ſunt Paracelſica, ſed propria ineptorum hominum commenta. Sed de his ſatis.

Cap. X.

Medicum debere eſſe Chirurgiæ peritum.

NEſcio quâ ratione, quave de causâ faciliùs credatur Chirurgo Medicinam, quàm Medico Chirurgiam facienti Solent enim plurimis in locis Chirurgi Medicorum munus & officium ſibi arrogare. Medicum autem debere eſſe Chirurgię peritum facilè oſtendam; Sed primùm diſtinguenda res hæc eſt, qualis eſt in ſeſe, ab uſu vel potius abuſu noſtri ſeculi. Medicinæ curatricis partes tres ſtatuuntur, una eſt quæ victu, altera quæ medicamentis, tertia quæ manu curat, diætam, Pharmaciam, & Chirurgiam vocant. Singuli morbi ut plurimùm tribus hiſce opus habent. In febre ardenti, quæ omnium conſenſu ad medicorum artem ſpectat, potiſſimum remedium eſt venæ ſectio, eſt tamen Chirurgicum. Idem de aliis morbis dicendum; In tumoribus præter naturam, & ulceribus, quæ ad Chirurgos pertinere creduntur, purgatio, & victus ratio, ſine quibus curari nequeunt, ſpectant pharmaciam & diætericem, & ſic pertinent ad Medicum, non ad Chirurgum Sic nullus fermè morbus eſt internus externuſve, qui Chirurgicam artem non deſideret, & ſimul Medicam. Hic autem loquor ex vulgi opinione,

qui Medicinam à Chirurgia diſtinguit; cum tamen revera Chirurgia ſit, pars Medicinæ. Quicquid manu fit, chirurgicum eſt, unde propriè loquendo ſolæ operationes Chirurgicæ conſtituunt chirurgum. Et ſic olim erat. Nunc autem, uſus noſtri ſeculi longè diverſus eſt. Hodie enim Chirurgia quinque genera morborum ſibi arrogat, tumores præter naturam, vulnera, ulcera, luxationes & fracturas, quorum tria priora proprio jure ſunt Medicæ conſiderationis, in iiſque rationalis medendi methodus maximè relucet. Unde *Gal.* methodum ſuam medendi ab ulcerum curatione auſpicatur, eandem finit in rumorum curatione. Et quamvis olim chirurgi diſtincti forent à Medicis, has tamen Medicinæ partes ſibi non vendicabant. Eſſe autem Medicæ contemplationis apparebit, ſi conſideremus ejuſmodi morbos non tantùm externis, ſed etiam internis partibus accidere. Tumores præter naturam omnis generis in partibus internis fieri poſſunt, phrenitis eſt phlegmone, vel eryſipelas cerebri, pleuritis phlegmone aut eryſipelas pleuræ, Jecur & ſplen affici poſſunt phlegmone, eryſipelate, ſcyrrho. Pariter in omnibus partibus internis ulcera pullulant omnis generis, inter quæ maximè notabile eſt apud anglos illud in thorace, quod phthiſin vocamus. Qui autem tractatus chirurgicos
deſcri-

deſcripſerunt, ulcera & tumores explicant abſque ullius partis determinatione. Quod ſi Medicus generalem ulcera, & tumores curandi rationem non novit, nec eorum differentias, cauſas, ſigna, prognoſtica, quomodo ea in partibus interioribus genita curare poterit? Neceſſe eſt igitur ut hæc norit. Si novit autem, idque præſtantiùs quàm ſæpe chirurgus ipſe, ob eruditionem & doctrinam, quæ in chirurgo hodie deſiderantur, cur non exercebit eodem modo, quo Medicinam facit, ſcilicet remedia præſcribendo, non autem adhibendo? Hinc fit ut quicunque aliquid laude dignum de Chirurgia ſcripſerunt ab Hippocratis temporibus ad noſtra hęc ſecula, ſemper Medici fuerint, præter paucos quoſdam recentiſſimos ſcriptores, qui nil niſi recoctam crambem nobis obtulerunt. Imò tractatus illius qui operationes chirurgicas complectitur, Medicus debet eſſe peritus, quoniam abſque Medici conſilio operationes illas Chirurgus exercere non deberet, quod in multis regionibus ultramarinis obſervari ſolet. In aliis quibuſdam nullus chirúrgiam exercet, niſi qui Medicinæ doctor eſt, quæ optima & laudabilis eſt conſuetudo.

Cap. XI.

An liceat Medico ſua Medicamenta componere.

DEbet præterea Medicus maximè peritus eſſe artis pharmaceuticæ, quæ conſiſtit in electione, præparatione & compoſitione medicamentorum ſimplicium. Sunt enim hodie plurimi Pharmacopœi ſatis ignari artis iſtius, & operationum quæ ad eam pertinent, & tamen audaces ſatis ut Medicinam faciant, quoniam ubi fecerint tyrocinia ſua, forſitan ſub Magiſtro ſatis imperito, ſibi videntur eſſe aliquid, & ſi aliquas Medicorum præſcriptiones aſſervarunt, nimis audacter iis utuntur. Putant autem quidam indignum eſſe Medici majeſtate medicamenta præparare; ideo Pharmacopœos eſſe publico Jure conſtitutos, ut Medicis laborem hunc adimant. Ejuſmodi conſuetudo jam à Galeni temporibus invaluit, qui *ſeptimo de Medic. Secundum locos, cap.* 3. Meminit Pamphyli Pharmacopolæ & Horat. in ſatyris. Idem *Galenus 6. Epidem.* Medicum ſeparat ab herbariis, venam incidentibus, unguentariis, & aliis quos Medici miniſtros vocat. Verum tamen olim Medicos compoſuiſſe ſua medicamenta oſtendit hiſtoria Philippi Medici Regis Alexandri: *Gale-*

Galenus ipſe theriacam componebat; *Pachius* hieram. *Horatius Augenius* valdè laudat Medicum, qui ſua componit medicamenta. Plantius in vita Fernelii refert magnum illum Medicum Lutetiæ propria manu ſua remedia componere ſolitum. Ideo credo diſtinguenda eſſe tempora & loca: nam Galenus Romæ non componebat, quia diſtincti erant artifices, ſed tantùm Pergami. Cum enim primùm olim utrumque medici præſtarent tandem ob ægrorum multitudinem, eam curam famulis ſuis relinquebant, ſicut hodie ipſi Pharmacopœi ſervis ſuis & tyronibus eam committunt, ſic ſenſim facta eſt profeſſio ſui generis. Nihil tamen obſtat quin Medici poſſint quando libuerit, etiam ſua parare. Neque id Medico indignum eſſe non ſolum prædicta exempla oſtendunt, ſed etiam ratio. Remedia ſiquidem abſque Medico curant, non autem Medicus abſque remediis. Præſtantior igitur Medico erit remediorum natura. Quare ea præparare & componere medicum non dedecet, qui Naturæ tantum miniſter eſt. At quoniam dandum eſt aliquid loco, & conſuetudini, quæ Pharmacopœos à Medicis ſejunxit, venalia quidem Medicus non habebit, ſed quædam ſibi particularia componere poteſt, reliqua Pharmacopœi viri boni, & diligentis, curæ committenda.

Cap. XII.

De iis qui Secreta habere creduntur.

QUoniam autem nihil eſt ex omni parte beatum, fieri poteſt, ut vulgaria remedia, & forſan inepta, pro magis ſecretis à multis prædicentur, quæ nemini revelare volunt, prudenti ſine conſilio, quia nihil habent quod ſecretum dici debeat. Igitur dicamus aliquid de ejuſmodi arcanis, nam qui ea ſe habere profitentur, facile populo imponere poſſunt, & ſi quiſpiam vulgare remedium omnibus cognitum, tanquam ſibi proprium vendicet, vix poterit argui mendaciii. Conſiderandum igitur primò ad curationem neceſſariam eſſe morbi cognitionem, medendi methodum, & uſum indicationum, ſine quibus nullum remedium convenienter adhiberi poteſt. Sunt enim remedia manus Dei, & gladius in manu furioſi, bona ſcilicet benè utenti, periculoſa verò ab illo adminiſtrata, qui nec morbum, nec curandi methodum probè novit. *Secundò* morbo cognito, materiam remediorum, & methodum componendi cognoſcere debet Medicus, ut Indicationibus ſatisfacere poſſit. Hæc quatuor ſi bené noverit, morbum, methodum medendi, materiam remediorum, & componendi rationem, iſtis ſecretis non eget, nam

nam remedia non minùs bona præſcribere poterit; forſan etiam meliora quam ſunt iſta ſecreta, tam magnificè jactata. Legi alicubi hiſtoriam Capivaccii, in Epiſt. Scholzii, qui à Germanis rogatus ut ſua ſecreta communicaret, aptiſſimè reſpondiſſe fertur, Legite meam praxim, & invenietis mea ſecreta; In quo libro nihil ſecretum, nihil arcanum eſt. Memini me audiviſſe Varandæum in Academia Monſpelienſi Profeſſorem Regium, dicentem remedia eſſe optima quæ minimè ſunt ſecreta, ſed notiſſima, utpote certiori experientia confirmata, & rectè ſanè. Sed jam videamus ſecretorum naturam. Sunt ea vel ſimplicia, vel compoſita. Fateor quidem ſimplicium vires omnes nondum integrè notas eſſe, plurimæ adhuc ignotæ latent: Si quiſpiam igitur ſimplicis cujuſdam medicamenti vires nondum cognitas experientia adinvenit, laudandum illud erat artis incrementum, & meritò ſecretum dicendum, ut qui primus vim Antimonii vomitivam, qui pulveris pyrii compoſitionem & efficaciam invenit, qui jalapam primus in uſum inutilit, ſecreta valdè laudanda habuit, qualia ſi quis habet, laude dignus eſt, nec alia ego ſecreta admittenda puto. Quæ enim compoſita ſunt ex ordinaria ſimplicium materia, ut plurima ſolent, ea quantumvis ſibi ſervet Medicus, nec nota eſſe cu-

pit, ſecreta tamen dicenda non ſunt. Quilibet enim Medicus doctus & peritus, ſimilia ad libitum ex re præſenti componere poteſt. Ideo obſervavi nihil eſſe infelicius illis Medicis, qui ex libris deſcribunt medicamenta, multoſque ignaros valde aſtutè ſua occultare, ne ſi aliis Medicis innoteſcerent, riſum moverent. Hinc patet quantum fallantur multi tum viri, tum mulieres hic in Anglia, ubi toti ſunt in colligendis receptis ut vocant, quia ſæpe ejuſmodi remedia ſunt nullius pretii, ſæpe etiam à Medico primùm profecta, qui ipſe ſecretum nihil habebat; Quod ſi bona ſint, tamen ſecreta nec ſunt, nec dici debent. Talia enim & ſæpe meliora à Medico docto & perito, ex materia Medica variè inter ſe compoſita, poſſunt concinnari, ſicut ex litteris variè coaleſcentibus voces diverſæ fiunt. Habebat quidam deſcriptionem purgationis cujuſdam, quam, ut ajebat, Medicus quidam valdè doctus, ſed jam mortuus ipſi dederat, non potui continere riſum ob ineptiam compoſitionis; eam tamen pro uxore ſua ipſe compoſuit, ſed irrito conatu ſuaſi ut Pharmacopœo traderet, & tertiam demum partem daret, qua ſufficienter & abundè purgata fuit. Sic alios vidi qui cereviſiarum purgantium ſibi communicant deſcriptiones, quas meliores ſæpe eſſe credunt, quàm quæ à Medicis præſcribuntur, quamvis res non ita ſeſe habeat.

C.

CAP. XIII.

De Medicis qui creduntur eſſe fortunati.

PLurimi eorum qui faciunt Medicinam, etiamſi interdum non adeo docti eſſe credantur, tamen à populo cenſentur fortunati. Sanè quidam valdè fortunati ſunt, qui opes & divitias congerunt ex arte quam probè non intelligunt. Sed tamen infortunati ſunt qui illis confidunt; Arte enim non fortuna morbi curantur, cum ad curationem præcedere debeat morborum cognitio, & certa prognoſis qui fieri poteſt, ut qui hæc parcè tantùm, & leviter novit, probè unquam curet, niſi Andabatarum more cum morbis pugnet. Fieri quidem poteſt ut morbi ſeſe offerant curatu facillimi, quos natura ſola vincere poteſt, quorum ſi ſpectator tantùm ſit Medicus: nihil minùs tamen curabuntur, & tunc fortunatus ille Medicus eſt, cui tale quippiam contingit. Fieri quoque poteſt ut in declinatione morbi accerſatur, aut poſtquam præcipua jam remedia ab alio prudentiori fuerunt adminiſtrata. Fortunam cauſam per accidens eorum quę fiunt, vocat Ariſtoteles. Morbi autem curantur legitime adminiſtratione remediorum, quæ legitima adminiſtratio non à fortuna pendet, ſed doctrinæ & judicio Medici innititur.

tur. Aliter qui remedium adhibet, artis tamen ſufficientem cognitionem non habet, is haud dubiè tanquam cæcus collimat ad ſcopum; quem ſi atting.t, id ſanè planè fortuitum eſt, unde ſæpe fit ut hujuſmodi homines morbos aliâs curatu faciles, indoctâ medicatione reddant deteriores. Rectè ſcribit Hipp. lib. de loc. in hom. *Si morborum medicamenta certa ſunt, quorſum fortuna opus, aliàs tam medicamenta, quam non medicamenta cum fortuna exhibita proderunt.* Verum dicet quiſpiam, id, quòd fortunam vocamus, Dei eſſe providentiam, qui ad ſalutem hominum dirigit Medici quamvis non adeo docti remedia. Sed id dicere non ſufficit. Quamvis enim ſingula à benedictione divina pendeant, & ſint expectanda, non ſolet tamen immediatè operari, ſed per uſum remediorum. Creavit enim altiſſimus de cœlo Medicinam, & medicum probum, doctum, & fidelem honorandum eſſe ait. Unde non ſolet benedicere remediis pravis, ignoranter & intempeſtivè adhibitis. Sed contra, ſi Medicus quilibet, ſivè bonus vir, ſivè malus, probè remediorum & morborum naturam cognitam habeat, & ſingula probè, id eſt loco, tempore, ordine, & ſecundum artis legem adminiſtret, fœlix eventus expectandus eſt, ſoletque Deus ejuſmodi mediis benedicere, ex pacto quod inivit cum natura.

Aliàs

Aliàs etiamſi malè quis mederetur, ſucceſſus tamen fœlix à Dei benedictione eſſet expectandus, quod miraculum foret, ſi mala media quę naturaliter finem propoſitum aſſequi non poſſunt, præter ordinem à Deo in natura conſtitutum, ex ipſius immediata benedictione, ad ſcopum tamen dirigerentur. Id quamvis Deus poſſit quando lubet: non ſolet tamen niſi ratò ejuſmodi miracula facere, ad majorem ſui gloriam. Igitur concludendum fortunam potius ex hominum & vulgi opinione æſtimari, & ſæpe contingere, vel quia morbi ſunt natura ſua ſalutares, etiamſi forſan interdum prima facie videantur periculoſi, ſolentque ejuſmodi homines morbos interdum dicere graviores, quam ſunt, ut curatio majorem ipſis famam conciliet, aut ſi mors ſuccedat, etiam eam illos prævidiſſe notum ſit, ægrumque non Medici errore, ſed morbi magnitudine victum occubuiſſe rumor ſpargatur. Sæpe quoque ad curationem leviſſimi morbi remedia multa præſcribunt inutilia, quaſi graviſſimus ille foret, cum noxa ægrotantis, cui ſæpe melius foret morbum pati, quam remedium.

CAP. XIV.

De Medicis qui creduntur experti.

SUnt etiam alii, qui etiamſi non adeo doꝶi eſſe credantur, quia tamen diutius hanc artem profeſſi ſunt, cenſentur experientiæ plurimùm acquiſiviſſe, ideoque illis lubentiùs quàm aliis populus interdum credit, etiamſi Chirurgi tantùm ſint, aut Pharmacopæi. Experientia quidem valdè laudabilis eſt, & omnibus Medicinam facientibus utiliſſima, Verumtamen niſi quiſpiam doctus ſit, eruditus, & judicioſus, eam requirere admodum difficile eſt. Unde videre licet ejuſmodi homines, qui per aliquot luſtra Mediciam fecerunt, nullius tamen rei certam habere experientiam. Eſt autem experientia ejus, quod ſæpe eodemque modo fieri viſum eſt, memoria & obſervatio. Ità deprehenſæ ſunt medicamentorum facultates, ſicut agaricum pituitam, thaba barum vacuare bilem ſola experientia notum fecit. At hoc non ſufficit ad medendum, nam præterea experientia verſatur circa morborum naturas, ſigna & curandi ordinem. Propterea ſola experientia abſque doctrina & ratione incerta eſt, & conjecturalis; Qui enim novit rhabarbarum purgare bilem, neſcit tamen quando, quibus, & cui morbo proſit, niſi ſit Medi-

Medicus doctus & peritus. Undè rectè ſcribebat *Hipprocrat.* experimentum eſſe periculoſum, ob ſubjecti, humani ſcilicet corporis dignitatem. Thus carnem generare docent omnes qui de materia medica ſcribunt; At docet Galenus pro natura partium diverſas eſſe illius facultates. In una parte eſſe ſuppuratorium, in alia detergens. Idem ſcribit empiricum quendam cum haberet detergens emplaſtrum quod ulceri admovebat, cumque magis in dies ſordidum ulcus fieret, valentiori ſemper utebatur, ſicque ſordidius ſemper ulcus evadebat, cujus rei rationem cum ignoraret & ſolam remedii vim cognitam haberet, non mirum ſi fine ſuo fruſtrabatur. Non eſt igitur fidendum iis medicis qui à principio malè inſtituti, circa remedia tantùm ſunt occupati, reliquas Medicinæ partes negligunt; & certum eſt eos nunquam expertos fore, cum medici experientia non ſolum ad remedia, ſed ad alia omnia quæ illorum rectam adminiſtrationem ſpectant, extendatur. Certum quoque eſt Medicum doctum & eruditum, cum ad artis uſum ſe accingit, plus experientiæ uno anno comparaturum, quàm indoctus quiſpiam integro ſeculo. Quod ut faciliùs etiam populus cognoſcat, ſcilicet experientiam non niſi à perito & docto acquiri poſſe: Sciendum eſt, fieri eam duplici modo, vel per hiſtoriam, quan-

quando aliorum experientiæ credimus, ea ſequentes quæ ipſi probarunt, eamque ſtudendo quilibet acquirere poteſt, vel per aut opſiam, quando propria noſtra obſervatione rerum cognitionem quandam acquirimus. Prior autem abſque hac nihil certi habet. Ut autem experiamur aliquid, multæ requiruntur conditiones. *Primò* res eadem non in uno tantùm, ſed in pluribus debet obſervari, una ſiquidem hirundo non facit ver, ſicut de ahure ſuprà diximus, quod in omnibus non eſt ſarcoticum, ſed pro varietate partium, temperamentorumque, varias vires poſſidet. *Secundò* diſtinguenda ſunt ea quæ ſunt actu talia, ab iis quę ſunt potentia talia; tùm quæ agunt per ſe, ab iis quæ agunt per accidens. *Tertiò* applicatio remedii fieri debet in certo individuo cujuſdam ſpeciei, quia quod uni ſpeciei venenum eſt, poteſt alteri eſſe alimentum, propterea quia hic loquor de experientia quæ fit in corpore humano, illi ſoli remedia applicari ſuppono. Debent igitur primò temperato, dein intemperato, demum ægrotanti applicari. Ideò cognoſcere temperiem debet, qui experitur. *Quartò* in ægrotante morbus conſiderari debet, ſit ne ſimplex, vel compoſitus, nam experientia fieri debet in affectu ſimplici, non compoſito, ideoque exacta morborum cognitio neceſſaria eſt. Nam ſi febris adſit cum obſtructione viſce-

viſcerum, eaque medicamentis ceſſet, calida ſint, an frigida nondum conſtat, an obſtructionem, an febrem primò curarint, *Quintò* medicamentum, cujus vires experimur, ſolum eſt exhibendum, nam compoſitione vires alterantur. Spiritus Vitrioli calidiſſimus eſt, quo tamen ad refrigerationem febrium utimur, ſed aliis admiſto, unde fit ut qui ex aliorum libris compoſita remedia deſcribunt, nullius rei experientiam conſequantur. *Sexto* in remediis conſiderari debent, ſubſtantia, quantitas, qualitas, ætas, locus natalis, remedii bonitas, & tempus actionis, hęc enim omnia medicamentorum vires alterant. Ex quibus patet non niſi à docto, perito, & judicioſo viro certam experientiam acquiri poſſe.

CAP. XV.

De multis qui urinas inſpiciunt, pulſus tangunt, cathartica præſcribunt.

QUoniam jam loquuti ſumus de variis hominum generibus qui Medicinam faciunt, operæ pretium eſt errorem omnibus communem hic indicare. nam arteriarum pulſationes obſervant, urinas inſpiciunt, catharrica præſcribunt. Idem etiam mulierculæ faciunt. Quis riſum continere poteſt, cum mulieres pulſum tangentes videt. Ubi notandum

tandum ejuſmodi obſervatores unicam tantùm pulſus differentiam obſervare, celeritatem ſcilicet, & tarditatem. Sed tamen plurimæ ſunt aliæ pulſus differentiæ Medico neceſſariò conſiderandæ, ſimplices, compoſitæ, abſolutæ, relativæ, in unica pulſatione & in pluribus. Quæ omnes ſi ad Galeni & antiquorum mentem conſiderarentur, pluſquam bis mille differentiæ forent. Nobis autem qui ſuperflua plurima rejecimus, pluſquam centum ſuperſunt obſervandæ; ſed nec ſufficit differentias cognoviſſe, ſingularum præterea cauſæ ſunt cognitu neceſſariæ, ut certum de morbis judicium fiat. Sed & demum cognoſcendi modus difficilis eſt, nam ſingulæ differentiæ peculiarum habent cognoſcendi modum, quem qui ignorat, pulſus nunquam probè inveſtigàbit. Sola nomina pulſuum ſi multi audirent, ſponte ab arteriarum contactu abſtinerent, terrorem enim ignaris, ſicut & magica verba inferre poſſent, ut pulſus arythmos, ecrythmos, pararythmos mejouros in una vel pluribus pulſationibus, capriſans, imparcitatus, æqualis inæqualiter, æqualiter inæqualis, aliæque ſunt differentiæ hoc loco non recenſendæ, ex quibus morborum cognitionem, & prognoſtica deſumimus. Idem de urinis dicendum, quarum plurimæ ſunt differentiæ, ſimplices, compoſitę in colore, conſiſtentia, contentis, & earum

cauſæ

cauſæ pariter ſunt cognoſcendæ, vix autem res adeo difficiles à quolibet imperito, aut muliercula poſſunt tractari. Præterea ſolent cathartica & purgantia remedia adminiſtrare. Sciendum autem facilimum eſſe ventrem ſolvere, multa enim ſimplicia & compoſita id præſtant: verum id ſecundum regulas artis facere ſolus poteſt, qui artem probè novit. Sunt enim purgantia ut plurimùm naturæ adverſa, & propterea nunquam niſi magna cum cautione & prudentia debent adminiſtrari. Propterea malè faciunt qui indiſcriminatim, moda alvus ipſis abundè, liberaliterque ſolvatur, quocunque demum remedio id fiat, illud laudant. Idem pariter de aliis remediis dicendum, quorum magna ſupellex ubique deſcripta eſt. Non remediorum copia, ſed utendi ratio Medicum facit, quæ ſupponit Medicum in morbis cognoſcendis exercitatum, naturæ corporum, & methodi medendi peritiſſimum, quod plurimi de ſeipſis, nec alii de iiſdem poſſunt polliceri. Utinam quoque quidam, quos Academiæ comprobarunt, in eundem errorem non inciderent, & temerè remedia ex ineptis libellis non deſcriberent Non improbo tamen lectionem plurimorum librorum, qui nobis ingenia recentiorum exprimunt, eorumque in medendo artificium, maximè eorum qui obſervationes ſuas ſcriptis mandarunt. Sed

omnia

omnia Medici docti judicio relinquo. Ignavum fucos pecus à præſæpibus arceo, & tantùm de Medicaſtris quibuſdam hic ago, qui per mortes agunt experimenta, & Medicos bonos ac peritos imitari quidem volunt, aſſequi autem non poſſunt.

Caput XVI.

De iis qui luis Venereæ facilem curationem pollicentur.

ULtimum iſtius libri caput illi morbo dicabimus, quem aliis ſemper tribuunt, etiam qui illo tentantur, & affliguuntur maximè, Luem veneream vulgari nomine vocabimus. Morbus quidem fœdiſſimus, variis horrendiſque ſymptomatis ſtipatus, de quo varii extant Doctiſſimorum Medicorum tractatus, quibus veram, tutam & citam morbi curationem inveſtigant. Sed erupit hominum quoddam genus, qui quod difficillimum omnibus Medicis hactenus viſum fuit, facillimum prædicant, & methodum quandam programmatis ſuis ſe habere profitentur, quâ intra dies paucos, decem, duodecimve, morbum hunc quantumvis inveteratum, radicitus ſe extirpare poſſe profitentur, nec victûs rationem ullam curioſè obſervant, ſed ægrum ſibi ipſi relinquunt, facilis ſcilicet & grata hæc eſt medicandi ratio. At quot hodie creduntur Medici minùs apti ad hujus morbi cura-

curationem, quæ Chirurgorum & Agyrtarum munus eſſe creditur; quum tamen hujus morbi curandi ratio à Medicis profecta ſit, & magnam induſtriam poſtulet, tam circa ſudorifica quam circa inunctiones, ſuffumigia, & alia hujus morbi alexipharmaca. Cujus curationem etſi non negem à Chirurgis peritis & doctis perfici poſſe, in eà tamen arte plurimi imperiti ægrotantibus multa mala, forſan etiam inviti, ſed inſcii moliuntur. Imò certò ſcio quoſdam, quaſi lue hac laborantes, multis remediis exagitatos fuiſſe, qui tamen ejuſmodi morbo nunquam laborârunt: quamvis enim non adeo difficilis ſit ejuſmodi morbi cognitio, tamen plurimos artuum, capitis aliarumque partium dolores venereos, ſed perperam fuiſſe creditos à quibuſdam imperitis certò ſcio. Hic monendi ſunt omnes ut à ſcortis primum, dein ab ejuſmodi impoſtoribus ſibi caveant. Non eſt enim hic morbus adeo curatu facilis, & relictus in corpore, diutiuſque hærens, viſcera adeo labefactat, & corrumpit, ut alios morbos incurabiles accerſat, etiam elephantiaſin. Hujus quidem morbi non nego facilem ſatis in principio eſſe curationem, ſed quæ tamen medentis curam, ægrotantis obediendiam & patientiam, in victu ſedulam diligentiam poſtulat; Morbus ſanè leviſſimus ille eſſe debet, quem brevi tempore curare quiſpiam poteſt,

poteſt, nulla obſervata vivendi ratione, liberè & hilariter convivando, deambulando, aliiſque animi recreationibus utendo Attamen remedia quæ huic morbo debentur, non quamlibet vivendi rationem ſuſtinent. Talis enim eſſe poteſt, quæ remediis adverſatur, & eorum vim frangit. Deinde ſicut in aliis morbis temperaturarum diverſitas ſpectanda eſt; ita & in hoc morbo, & ſic remediorum delectus eſt faciendus, quæ ſi quis non conſideret, non mirum ſi plurimos ægros peſſundet. Quare qui hoc morbo laborat, non niſi Medico artis perito confidat, niſi & operam, nummoſque perdere cupit, quos ſæpe nebulonibus iſtis plures promittunt & largiuntur, quam Medico docto & fideli. Sed de his ſatis, nam morbum hunc aliumve quemlibet curandi rationem hoc libro tradere non mihi fuit conſilium, ſed ſolummodo populo errores ſuos ità indicare; ut ſemper medico opus habeat, ſi ægrotet. Quamvis ſæpe majus ex Medico quàm ex morbo periculum impendeat, & cuilibet ſe Medicum profitenti ſtatim credatur. Ipſe ego qui hæc ſcribo nihil curo, nec qui, nec quot ſint qui Medicinam faciant, docti, an indocti, perinde enim eſt ægrotantibus modo quendam nomine tenus Medicum conſulant, quiſnam demum ille ſit, modo aliquid Latinè blaterare ſciat, & ſe Medicinæ doctorem etiam

etiam falſò profiteatur, principia Medicinæ ignoret, Galenum, Hippocratemque nunquam legerit. Si igitur quorum maximè intereſt, ſcilicet ipſi ægrotantes, Medicorum non faciunt delectum, quare id Medici curabunt, ideo pauca tantùm de Medicis hoc libro ſcripſi. Quibus relictis ad magis ſeria progrediamur.

Cap. XVII.

Error illorum qui Medicinam hominum diverſam faciunt à Medicinâ brutorum.

ENcomia Medicinæ, quod à Diis orta fuerit, quod à Syracide & aliis poſteà ſcriptoribus laudetur, qnod hominis animalis nobiliſſimi morbis emendandis deſtinata ſit, tam fusè jam ab omnibus decantantur, ut inter errores populi has laudes & præconia reponere cogar. Neceſſitati, utilitati & elegantiæ artis nihil detractum volo, ſed larvam ſub quâ deliteſcit, furtivas plumas quibus nitet, detrahere volo, ut proprio ſolum ſpl ndore emicet, & appareat ars omnium quidem præſtantiſſima, non tamen liberalis. Medicinam eſſe artem mechanicam ut populo oſtendam. Primò de ejus ſubjecto agam. Conſenſus jam eſt fermè omnium, corpus humanum eſſe illius ſubjectum, quod admodum à vero abeſſe plurimi æqui rerum

æſtimatores deprehenderunt. Cum enim ſanitas quæ eſt ejus finis, morbuſque quem depellere docet liætâ, Chirurgiá, Pharmaciâ, aliis competant, planum eſt quicquid ſanitatis morbique capax eſt, adæquatum eſſe ipſius ſubjectum. Non ſolus homo, ſed omne animal, nec animal ſolum, ſed omne corpus vivens, nec corpus vivens, ſed omne corpus miſtum ſanitatis, morbi, medelæ capax eſt, quod ex definitionibus morbi, ſanitatis, curationis quas Medici afferunt patere poteſt. *Sanitas* eſt diſpoſitio actionem perficiens, Morbus affectio præter naturam actionem impediens, ut ipſe definit *Galenus* Medicorum princeps, 1. *de Sanitate tuendâ. Curatio* morbi depulſio, ſivè recta remediorum adminiſtratio ad morbos tollendos. Hæc fit per indicationes. Eſt autem indicatio inſinuatio agendorum, vel comprehenſio juvantis una cum comprehenſione nocentis. Quæ omnia ſoli homini non convenire per ſe patere poteſt, ſanum eſt omne animal, omne corpus miſtum ſimilare, aut organicum, quod naturalem ſuam conſtitutionem integram obtinet, Morboſum verò illud, cujus conſtitutio labefactata eſt. Rhabarbarum illud ſanum eſt, quod integrum, benè purgat; Morboſum illud quod vetus, effœtum eſt, vinum illud ſanum eſt, quod naturalem ſibi debitam conſtitutionem,

(quam

(quam ad juſtitiam Medici vocant) conſervat, Morboſum quod vappeſcit, mortuum quod in acetum degeneravit. Cognoſcuntur hæc ex ſymptomatis, ut morbi animalium ſolent, ſcil. actione læſâ, qualitatibus mutatis, colore, odore, ſapore. His ſi vinum, Rhabarbarum & ſimilia examines, invenies morboſa eſſe quibus hæc perierunt; inde conjicies actionem abolitam eſſe in cadavere Rhabarbari, aut vini imminutam, aut depravatam in morbido corpore. Similarium corporum quæcunque demum ſint, morbus eſt intemperies, organicorum verò præterea morbus organicus, in conformatione, numero, ſolutione continui Non differt ſpecie vulnus equi, à vulnere hominis, eaſdem habent cauſas, eaſdem curandi indicationes. Generalis curandi intentio eſt unio, quam natura ex convenienti alimento facit, tam in equo quam in homine; Miniſter eſt Medicus ſivè equi, bovis, ſivè hominis, cujus intentiones ſubalternæ ſunt, 1. Extranea tollere ſi quædam adſint. 2. Adducere partes diſtantes. 3. Adductas conſervare. 4. Partis ſubſtantiam, ſivè temperiem cuſtodire. 5. Symptomata emendare. Febris continua, & intermittens, morbus eſt equis canibus, bobus cum homine communis, Remedia quoque communia, venę ſectio, clyſteres, purgationes, ex iiſdem ſimplicibus compoſitiſve

ſitiſve medicamentis concinuata. Nihil habet hominum Medicina proprium, quod veterinaria ſibi vindicare non poſſit, unde qui de veterinariâ ſcripſerunt, apud Anglos quorum causâ hic liber ſcriptus eſt, *Markham*, atque alter Italus cujus nomen mihi non occurrit, antiqui etiam veterinariæ ſcriptores, iiſdem remediis utuntur, idque ſummâ cum ratione, Medicamenta enim hominem non afficiunt quatenus eſt rationalis ſive homo, ſed quatenus eſt corpus miſtum. Homo ſuſpenditur, aquis ſuffocatur, quatenus eſt animal reſpirans, igne comburitur, in vermes vertitur, & demum in terram, atque alia elementa, quatenus eſt corpus miſtum. Hæc eadem aſinus, anas patitur. Galenus *Medicinam* ſuam definit, ſanorum, ægrorum, & neutrorum ſcientiam. Hæc autem ſunt vel corpora, vel cauſæ, vel ſigna, quæ quibuſlibet corporibus, maximè hominibus & brutis conveniunt. Unde alii dividunt Medicinam in *Humanam*, quæ homini; *Paſtoralem*, quæ ovibus, equis, capris; *Agricultivam*, quæ ſegetibus & plantis medetur. Eſt enim Medicina à Medendo dicta, Medetur autem Agricultiva & Paſtoralis. Definitiones corporum, ſigna, & cauſæ, doctrina de febribus, temperamentis, facultatibus, morbis, curandi ratio per contraria, conſervatio per ſimilia, quibuſlibet corporibus aut animatis,

matis, aut inanimatis, conveniunt, ſunt enim generalia principia, quæ neque hominum, neque cæterorum animalium propria ſunt, qualia debent eſſe ſingularum artium principia, ſed ad communem artem Medendi referuntur, licet hominis gratiâ potiſſimum ab *Hippocrate, Galeno, Avicennâ* explicentur. Hanc autem non meam eſſe, ſed etiam præſtantiſſimorum Philoſophorum ſententiam ex ipſorum ſententiis patebit, & primo *Ariſtoteles cap.2.Libri quarti Metaph.* ſcribit unius generis unam eſſe ſcientiam, & ſic ens ad unam ſcientiam referri. ut omne ſanum ad ſanitatem refertur, omne medicabile ad Medicinam. Ex cujus ſententiâ omne ſanum, omne medicabile ad unam ſcientiam pertinet, Idem *cap. 2. Rhetor. ad Alexandrum*, facit univerſalem Medicinam, cujus ſubjectum ait eſſe corpus quod ſanari & ægrotare poteſt, cui ſubjicit non ſolum animalia, ſed etiam plantas. Ariſtotelem ſuum ſequuntur Philoſophi. *Zabarella*, & *Piccolhomineus*, improbant Medicos qui corpus humanum ſolum faciunt ſubjectum Medicinæ, cum hæc ars ulterius ſe extendat; ſed omnium clariſſimè id Medici ipſi confitentur. *Galenus* ipſe in libro ad Thraſybulum, corpus ſanabile dicit eſſe ſubjectum, in quo fit ſanitas, aut ex quo educitur. *Argenterius* dicit dari univerſalem medicinam, quæ uni-

verſales ſubjectum habet id quod ſanari & ægrotare poteſt. Particulares quoque eſſe, quæ ſubjectum particulare ſibi determinant, ut veterinaria, & ars noſtra. Hæc autem ſpecie non differunt, ſicut ars ea quæ oculis, non differet ſpecio ab eâ, quæ pedibus medetur, ut rectè obſervat. *Galenus libro ad Thraſibulum*. Fandem opinionem tuentur *Citadinus* in artem Galeni cap. 23. libri primi. *Truſianus* dictus Pluſquam Commentator in artem Gal. rectè obſervat definitionem Medicinæ quam Galenus eo loco affert, & totam tractationem illius libri non diſtinguere humanam Medicinam à Veterinariâ, ſed competere Medicinæ in univerſum. Aliique plurimi idem tradiderunt. Non eſt autem putandum humanam Medicinam eſſe ſpeciem univerſalis, & diſtingui ut corpus cœleſte, & miſtum a corpore naturali, homo & brutum ab animali. Minimè verò, nam artes non diſtinguntur à ſubjecto in quo operantur, ut Ephippia facit artifex ex panno aureo, laneo, corio per eandem artem. Nec differunt illa Ephippia ſpecie, ſic Medicina humana, aut veterinaria eſt tantùm applicatio voluntaria artis Medicinalis, & præceptorum ipſius, ac remediorum ad unum ſubjectum potius quam ad aliud, quod non facit diverſitatem ſpecificam, ut obſervat Gal. de Medicinâ oculorum, aurium & aliarum

rum partium. Quando igitur Medicina dividitur in ſpecies, Id non fit per ſubjecta, nam varietas ſubjectorum non tollit unitatem artis, ſed per modos operandi. ut ſanitatis conſervatrix & therapeuticè ſunt ſecundum quoſdam diverſæ ſpecie Medicinæ, ſic diæta, Pharmacia, Chirurgia ſunt ſpecies therapeuticæ, ſive in equis, ſive in homine fiant. Nec ſpecie, ſed ſolum quibuſdam extraneis circumſtantiis differunt Chirurgia aquorum & hominum, ut quod fortiora remedia pati poſſunt equi, quam homines, &c.

Cap. XVIII.

Medicinam eſſe artem Mechanicam.

EX prædictis, quæ vera eſſe non dubito, Medicinam paret non minus eſſe mechanicam, quam veterinaria eſt, de quâ communis eſt omnium conſenſus, non eſt liberalem. A ſubjecto ſcilicet humano corpore nullam nobilitatem nanciſci, inde clarum eſſe poteſt, quod etiam variæ artes circa humanum corpus verſantur, quæ non ſunt tamen liberales, aut ingenuæ, ut ſutoria & aliæ. Idem operationes indicant, ſuit, ligat, ſecat, urit, clyſteres parat, & pharmaca, corpora lanionum more ſecat. *Galenus*, *Hippocrates*, & alii plures pharmaca ſua componebant,

nebant, & operationes Chirurgicas adminiſtrabant. Nec obſtat Medicum hodie præſcribere tantùm, & operariis Pharmacopœis & Chirurgis operationes committere. Hoc inquam nihil obſtat, non enim ab artis naturâ, ſed medentium aut negligentiâ, aut ſuperbia id proficiſcitur, ſicut ſutor qui ipſe non facit calceum, ſed tyronibus ſuis, aut famulis id operis commiſit, non minùs mechanicus eſt quam ante; qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur. Medicus ope Pharmacopœi vel Chirurgi curat nec vellet curationis laudem ſibi adimi, illis attribui. Cum igitur partes Medicinæ ſint per Pharmaciam & Chirurgiam curare, quod mechanicum eſſe nemo dubitat, ars quæ id facit, aut facere cenſetur, etſi forſan artifex renuat, mechanica cenſeri debet. Quod ut clarius intelligatur, notandum eſt Medicum non facere ſanitatem, ſed naturam. *Naturæ*, inquit Hippocrates, *ſunt morborum Medicatrices*. Solùm naturæ miniſter eſt, per quaſdam operationes quibus ipſi opitulatur, adjiciendo, aut detrahendo, unde Medicinam adjectionem & detractionem vocavit, eam definiens per ipſas operationes, non per artem præcipiendi & imperandi illas actiones. Eſt enim ars factiva, non ars imperans ut aliquid efficiatur. Nihil nominari poteſt in Medicinâ, quod non ſit mechanicum.

cum. Omnis ars etiam viliſſima, eſt habitus cum recta ſive verâ ratione effectivus, κτ̓ λόγυ ἀληθῦς. Ideo præſupponit cognitionem & præcepta, quæ cognitio etſi in ſe ſeorſim ſumpta laudanda ſit, & commendanda, non facit tamen artem liberalem, ut artificioſa Lanionum Anatome, artem reddit viliſſimam, quomodo Medica poſſet eſſe liberalis, quæ ſimilibus inſtrumentis, manuumque operâ pariter perficitur. A fine quoque nulla ars liberalis nomen adipiſcitur. Omnis enim ad bonum finem hominis ſcilicet commodum, referri ſolet, ſi non primariò, ſaltem ſecundariò, nec tamen propterea nobilis eſt, ut fabrilis, ſutoria, ipſa etiam mercatoria, Architectura. Si præter rationem auctoritatibus & teſtimoniis Medicorum confirmanda ſit hæc ſententia, habemus conſentientem Averrhoem, capite primo libri primi Colliget, quo in loco *Ariſtotelem* addit opinioni huic adſtipulantem; *Ariſtoteles* inquit, hanc artem inter artes propriè mechanicas recenſet. Sed clarius cap. 31. libri ſeptimi ejuſdem *Colligat*. Ubi cum docuiſſet morbos quoſdam à naturâ ſanari, alios ab arte ſola, alios ab arte & naturâ, Medicum interdum fine ſuo fruſtrari, finem Medicinæ, ſcilicet ſanationem, eſſe intelligendam ſolùm ut plurimum, ſcilicet ſecundum plurimas ægritudines, plurima individua,

 &

& plura ten pora, ſive ſæpius, ſicut idem accidit in mechanicis artibus, ut artif ex intentionem ſuam aſſequatur, interdum minimè, ut ars nautica & agricultura, & propterea addit. *Dixi in definitione, quod Medicina eſt ars mechanica, & multi id mirabantur, qui ignorabant quid dixerim ſuper 2. Phyſicorum, de mechanicis artibus.* Ubi videtur fuſius probaſſe Medicinam eſſe mechanicam, ſed illius librum nunc non habeo. Eadem quoque eſt ſententia Beati Thomæ: Iſidorus quoque, lib. 4. Originum, quærit quare Medicina inter artes liberales non numeretur. Rationem autem reddit, quia omnibus liberalibus opus habet; quod quidem verum eſt, de completo perfectoque Medico, ſed tamen ipſius ars, applicat omnes iſtas diſciplinas ad bonum quidem finem, ſed mechanicè aſſequendum: Id maximè patet in parte illâ Medicinæ, quæ ſola morbos curat, ut Chirurgia, quæ luxata reponit, quæ natura nunquam potuiſſet, illa inquam omnium conſenſu eſt mechanica, illique non minùs neceſſaria eſt artium liberalium cognitio, quam illi, quæ Medicina κατ᾽ἐξοχὴν vocatur. Guido Cauliacus Chirurgorum princeps, inter Chirurgos reponit *Hipp. & Galenum, Avicennam, Halyabbatem, Raſim, Paulum Aëtium*, rectè addit, uſque ad Avicennæ tempora Phyſicos fuiſſe Chirurgos.

gos, ſed poſtea, vel ſuperbia, vel curarum tædio, & copia, fuiſſe Chirurgiam ſeperatam & mechanicis relictam, quorum primus fuit Rolandus, Rogerius, & quatuor Magiſtri, qui Chirurgiam à reliquâ Medicinâ ſepararunt; ſed quid artem illam mechanicam facit, noſtro tempore potius quam olim, ſcilicet operationcs, quarum ratione Medici veteres mechanici non minùs quam nunc cenſeri debent. Sed videamus quæſo, quid idem Guido in Chirurgo requirat, quem mechanicum confiretur ſcilicet, ut ſit literatus, expertus, ingenioſus, benè moratus. Prima conditio eſt ut peritus ſit Philoſophiæ, theoreticæ & practicæ, ſciat res naturales & contra naturam, maximè Anatomen, temperiem, facultates, ſex res non naturales res contra naturam, morbos, cauſas, ſymptomata, ut præſcribere poſſit victus rationem & medicamenta. Quid amplius in Medico quiſpiam requiret? Si igitur eximia hæc cognitio non eximit Chirurgum à mechanicorum numero, quia cognitionem hanc corpori ſanando appiicat per actiones mechanicas; Parilis ratio erit de Medico, ut ex præcedentibus pater. Laurentius Joubertus Medicus ſuo tempore inſignis, commentariis in Guidonem, id fateri cogitur. Exercitium artis inquit, ſecundum Galenum artifices facit, ideo videtur requiri in Medico, ut ipſe

operetur, imò potius laudandum id eſſe putat, quia exercetur per varia inſtrumenta artificiosè confecta, ſed hoc non ſufficit, quia etiam variæ aliæ artes inſtrumenta habent non minùs eleganter confecta; ſed mechanica cenſeri debet, quia operatio ipſa quæ exercetur per inſtrumenta illa quantumvis elegantia, eſt mechanica, non liberalis; Nec ſolum ad humanam, ſed etiam ad veterinariam hæc eadem prorſus cognitio neceſſaria eſt, unde *Markam* Anglus eleganti ſuo de Equorum Medicinâ libello, tractatum de rebus naturalibus, non naturalibus & præter naturam, judiciosè addidit, ut Medico quem inſtituit admodum neceſſarium. Non ſufficit dicere vix illorum centeſimum id ſcire, aut legere poſſe. Inde enim tantùm ignorantia illorum artificum demonſtratur, qui quæ neceſſaria ſunt, & ſcire tenentur, ignorant. Quin etiam antiquos Medicos habuiſſe officinas certum eſt, ἰατρεῖα vocat *Hippocrates*.

Etſi autem hæc ſatis manifeſta mihi videantur, iis tamen reſpondendum eſt, quæ contrarium evincere poſſunt. Liberales inquiunt artes dictæ ſunt, quæ ad liberos homines pertinent, qui nullâ ducti neceſſitate ſervire aut famulari minimè coguntur, quod eſt artium mechanicarum: liberi verò & liberalis hominis officium eſt hominibus mederi, maximè nobilibus, amicis, affinibus, docendo

ſcendo quidnam agendum ſit; fatentur enim non eſſe liberi hominis ſuere, ligare, ungere, urere, ſecare, ſaniem expurgare, unguenta pannis adhibere, &c. Verumtamen malè deſcribunt artes liberales, non enim quidquid ad homines liberos pertinet, aut ſaltem eos non dedecet, liberale eſt. Multa poſſunt homines liberi & nobiles facere, ex charitate, vel ob honeſtam animi recreationem, quod tamen in ſe liberale non eſt, & ſi ex ingenuo animo proficiſcatur. Lavavit Pedes pauperum D. noſter Jeſus Chriſtus, lavant Pontifices, Reges, Principes, quæ actio quia ex charitate, humilitate & aliis virtutibus proficiſcitur, laudanda eſt, quia actio illiberalis, & in ſe ſordida, fit liberali modo. Sic Medicina, ejuſque pars Chirurgia, Pharmaceutice, exerceri poſſunt à nobilibus liberali modo, ſic hoc modo vix aliquid tam vile in ſe eſt, quod non poſſit reddi honeſtum; Loquimur hic de actionibus in ſe conſideratis. Id benè explicat Ariſtoteles in Politicis, ubi ait diſcenda eſſe à juvenibus, quæ utilia ſunt, neceſſaria, liberali ingenio digna: Illiberales verò artes quæ liberorum hominum corpora & mentem ad actiones virtutis inutilia reddunt, non probat. Si tamen quiſpiam artes illiberales, aut ſui ipſius, aut virtutis alicujus gratia addiſcat, non eſſe id ſordidum, Veteres pueros docebant, ut idem docet, grammati-

maticam, quæ liberalis eſt, Gymnaſticam, Muſicam, pictoriam. Muſica poſt labores in ocio recreat animum, confert ad honeſtam oblectationem, & affectus excitandos; eadem tamen ſive vocalis, ſive inſtrumentalis, quæ ab eodem vocatur *Chirurgica*; ſi mercedis gratiâ exerceatur, redditur ſordida & illiberalis, aliàs non, ſi ſervetur τὸ πρέπον, ſive decorum, quod conſiſtit. 1. In perſonâ, nam juvenes magis decet quam ſenes, minimè omnium Principes & Magiſtratus, 2. In modo, ſcilicet ut non impediat graviora exercitia, nec corpus reddat ignavum. 3. In inſtrumentis, nam indignum eſt ingenuo homine uti tubis, fiſtulis, buccinis, utribus, cornubus, tympanis, tibiis, quia inflammant animos ad furorem, uſum ſermonis impediunt, hæc audire præſtat quam iis uti: Sic Pictoria valet ad exprimendas objectorum figuras, non eſt tamen liberalis nec tamen indigna viro ingenuo. Gymnaſtica, ut pilæ luſus & armorum, etſi non ſit in ſe liberalis, non dedecet tamen liberos viros: Athletica tamen illis indigna eſt, quia deformat corpora, ea reddit diſtorta, calloſa ut bajulorum, ſervorum, gladiatorum. Multa igitur ad artem quamlibet pertinerè poſſunt, atque eſſe illius pars, quæ dedecent quoſdam artifices, ut infundere clyſteres, terere medicamenta in mortario indignum eſt Medico, non tamen ipſius ars

ſit

ſit liberalis, quia diſtinctio habenda eſt perſonarum, quædam relinquenda ſunt junioribus quæ dedecent ſeniores. Ætas atque etiam divitiæ, conſuetudo, conſtitutiones nationum, in qualibet arte artificem inter ſuos reddunt aliquantulum honoratiorem quamvis artis Natura maneat eadem. Idem de Medicinâ cenſendum eſt; Conſtitutionibus Regum, Principum, conſenſu nationum, Medicus Chirurgo præſtantior eſt, veterinario: Artis tamen natura eadem, quam nullæ hominum conſtitutiones adimere ipſi poſſunt. Sic venatio, Aucupium, Piſcatio, inter ingenus artes numerantur, modo ingenuo more iis utamur, aliàs naturâ ſuà non ſunt tales. Propriè liberales naturâ ſuâ diſciplinæ ſunt, quæ virum ingenuum formant, ut Grammatica, Rhetorica, Philoſophicæ diſciplinæ, theoreticæ, practicæ, maximè prudentia civilis. Aliæ ſunt quæ virum ingenuum decent, non ſunt tamen liberales, ſed ingenuè iis uti quis poteſt, non gratiâ lucri, ſed propter virtutem, in patriæ, parentum, Amicorum ſalutem, ut ſunt ars diſtillatoria, pictoria, hortorum cultura, magia naturalis, Medicina, &c. Plurimum enim differt ut ait Ariſtot. 8. Politicorum, quouſque, quando, & cujus gratiâ eis navemus operam. Quid igitur dicemus de Medicis, qui artem ſuam exercent modo ſatis illi-

illiberali, & ſordido. Primò lucri gratiâ, 2. Per fraudem & deceptiones varias turpiter propter vile lucrum & inhoneſtum vaticinando ex urinis,& ſubdolè populum fallendo, à quo tamen non minùs dolosè ipſi decipiuntur, & ridendos vili popello ſeſe exhibent.

Præterea qui volunt artem eſſe liberalem, etſi fateantur ex parte Chirurgicâ eſſe mechanicam, ajunt tamen ex parte Phyſica eſſe ingenuam vel liberalem, quod ſupra oſtendimus eſſe falſum, tota enim ars eſt ejuſdem rationis. Pars autem illa quam Phyſicam vocant, eſt mera Philoſophia naturalis, Medico quidem ad benè medendum neceſſaria, non tamen artis pars. Quæ de elementis, temperamentis,facultatibus,Anatomè, morbo, ſanitate, plantis, animalibus,&c. diſceptant Medici, id totum mera Philoſophia eſt, de qua dixit Celſus, additam Medicæ arti fuiſſe ſapientiam, non ut mederi, ſed ut meliùs mederi poſſent, hæc eadem cognitio & Chirurgo, & veterinario neceſſaria eſt, quæ tamen ſunt artes illiberales,ut ſupra diximus. Non ſufficit ſi quiſpiam objiciat, ea à Medicis melius & diligentius fuiſſe explicata quam à Philoſophis. Non enim quicquid Medici tractant, Medicum eſt; poteſt eſſe Philoſophicum, ut agere de ſanitate & morbo, de partibus animalium ſive Anatome,

per-

pertinet ad naturalem Philoſophum, quamvis ea doctrina Medico neceſſaria ſit. Id maximè patet ex ipſo Ariſtotele, qui libro de ſenſu & ſenſili, dicit naturali Philoſophi munus eſſe, cognoſcere principia ſanitatis, & ægritudinis, ut ſunt qualitates, temperamenta, & ſimilia, quæ Avicenna dicit Medicum à naturali Philoſopho recipere, ut idem etiam Averrhoes dicit. 1. Collectaneorum, ſcilicet Medicum recipere à Phyſico cauſas Sanitatis & morbi. Unde vulgaris eſt, & ab omnibus conceſſa, ſed malè intellecta ſententia Ariſtotelis, ibi Medicum incipere ubi definit Philoſophus, non definit autem Philoſophus in tractatione de elementis, unde Medici ſuam artem incipiunt, imo nec in tractatione de ſanitate & morbo, cum libri de plantis & animalibus ſint poſteriores, unde Phyſiologia & Pathologia, Anatome Medicorum, non ſunt propriè tractationes Medicæ, ſed Philoſophicæ, atque eas a Phyſico deſumit, cujus concluſiones ſunt Principia in Medicina, ut ex refrigeratione vaporum à cerebri frigore pendere fluxiones, pertinere dicit Ariſt. ad librum de cauſis morborum, quatenus de his tractare ad naturalem ſcientiam pertinet. Cum igitur tractatus de ſanitate & morbo totus ſit Philoſophicus, cujus tantùm habemus fragmentum apud Ariſtotelem, ideoque imperfecta eſt ipſius Philoſophia;

phia; Re acuratè perpenſa, patet quicquid de morbis, ſanitate tam, in genere, quam in ſpecie, de Anatomè, plantis, animalibus, mineralibus, eorumque viribus tractant Medici, totum id eſſe Philoſophicum, ut ſi docente Ariſt. loco citato, fluxiones fieri ex vaporum in cerebro refrigeratione pertinet ad Philoſophiam, eadem ratione docere febrem tertianam eſſe à bile, quartanam à melancholia, & ſic de reliquis morbis, pertinet ad eandem Philoſophiam. Si igitur Philoſophus à Medico ſua repetat, patebit incipere Medicum ubi Philoſophus definit; ſcilicet in diagnoſi morborum, prognoſi, & therapiâ, quæ eſt applicatio mineralium, vegetabilium, animalium ad corpus ſanandum. Illorum autem vires, partes, & reliqua pertinent ad Philoſophum, ſola applicatio ad Medicum, quatenus Medicus eſt Hæc autem ſcire cum Medico neceſſarium ſit, docet *Galenus* peculiari libro, Medicum debere eſſe Philoſophum, & Hipp. Medicum Philoſophum, etſi impiè, Deo æqualem vocat, vires medicamentorum non minùs pertinent ad Philoſophum naturalem, quam vires elementorum ex quibus conſtant.

Alii addunt Medicinam eſſe artem divinam à Diis inventam, *Inventum Medicina meum eſt, opiferque per orbē, Dicor, & Herbarum ſubjecta potentia nobis*, de Apolline

dictum

dictum fuit. Sed hoc fabuloſum eſt, ethnicæ vanitatis ſomnium, apud quos etiam Vulcanus etſi Deus, faber eſt mechanicus. Podalyrius autem & Machaon Nobiles viri bello Trojano erant Mechanici; Omnis cognitio Dei donum eſt, quæcunque demum ſit, nam ad hominis commodum omnes diriguntur, & primi homines mechanicas artes exercebant, ut Tubalcain: Beſeleel à Deo vocatus fuit ad tabernaculi elegantem conſtructionem, fuit tamen illa ars mechanica, etſi laudabilis. Nulla eſt ars utilis quæ non ſit laudabilis, quamvis non ſit comparanda cum præſtantioribus, ut Bezeleel ratione artis ſuæ non erat comparandus cum Moſe, Sacerdotibus, Sapientibus Iſraëlis; Nequaquam igitur concludum eſt, artem Medicam quia divina videtur, etſi non ſit, ideo eſſe liberalem.

Aliud argumentum deducunt ex præſtantiâ Sanitatis, hæc enim nullo pretio ſatis emi poteſt, Unde homines ferè mortuos reſtituere Sanitati, divinum opus videtur & admirabile, quod non eſt opus mechanicum, ſed hominis liberi & admodum divini. Hæc ratio deducta à præſtantiâ Sanitatis nullo modo ſatisfacit, ſiquidem hâc de re nequaquam quæſtio eſt, ſed de arte per quam ea redintegratur, quòd fit per mechanicas operationes, clyſteres, inciſiones, pharmacias,

tre-

trepana, &c. Singulis animalibus ſua Sanitas eſt amabilis. Illis naturâ inſitum eſt ut remedia quærant; Non ſequitur tamen artem inde fieri liberalem, Sanitas enim etiam à veterinariò, equo reſtituitur, quæ ſanitas ipſi equo eſt pretioſa; ſic & cuilibet animali; nec differunt hominis & equi ſanitas ſpecie, nec enim ſanitas eſt genus ad Sanitatem hominis & equi, ſed mera extrinſeca & accidentaria denominatio à varietate ſubjectorum, quæ non dant ſpecificam differentiam, ut nigredo Corvi & Æthiopis non differunt ſpecie, ſic nec ars Medica equi & hominis, ut ſupra dictum: adde Sanitatem ipſam non reſtitui à Medico, ſed à naturâ, cujus Medicus ſolùm Miniſter eſt, illius autem operationes, etſi bonum finem interdum aſſequantur non faciunt tamen artem liberalem, ut ex ſuperioribus patet: laudabile eſt hominem adjuvare ex charitate, idque liberi hominis honeſtum eſt officium, ſed multa quoque, ut diximus, non dedecent homines liberos, quæ tamen non ſunt in ſe talia.

Demum addunt, artem quæ nullo pretio ſatis remunerari poteſt, eſſe liberalem, talem autem eſſe volunt artem Medicam. Ideo quidam etiam commemorant quantam vim pecuniæ pro ſoſtro medici quidam acceperint. Verùm hinc apparet non ſolùm artem non eſſe liberalem, ſed nec etiam libe-

rali

rali modo exerceri, ſed ſordidè & lucri gratiâ, ut aliæ artes ſolent; Pecunia illa quam illi tam amplam acceperunt, ſi gratis data fuit, bene eſt; ſi verò tanquam debitum exacta fuit, inter malè parta reponenda eſt, lucrum autem plurimorum medicorum, non tantùm ex redintegratâ ſanitate, ſed etiam & ſæpius ex deperditâ emergit; tunc non ſoſtra, ſed *ἰατρεῖα* vocari debent quæ Medici accipiunt. Falſum eſt ea quæ circa ægros Medici moliuntur tanti eſſe valoris, ut nullo pretio ſatis remunerari poſſint, ut ſæpius plus recipiant, quam merentur: Nam ut jam ſæpe dictum, Medicus ſanitatem non facit, nec eam reſtituit, niſi per accidens, removendo impedimenta quæ naturæ gravia erant, hæc enim eſt quæ humorum coctiones, criticas vacuationes, aliaque multa circa ægros perficit, ut in febre ardente poſt venæ ſectionem, purgationem, clyſteres & ſimilia, natura impetu facto humorem ſecernit & excernit, an ſunt prædictæ operationes tanti, ut convenienti eoque non admodum amplo pretio remunerari non poſſint. Inde patet artem hanc non eſſe in ſe liberalem, atque à Medicis maximè illiberalem reddi, qui lucrò inhiant, & de eo tam ſæpe garriunt, & gloriantur. Sufficere igitur debet Medicis artem ipſorum eſſe omnium præſtantiſſimam, & talem à populo

principumque decretis cenſeri. Quemlibet ſuâ ſorte contentum eſſe par eſt.

Cap. XIX.

Medicinæ partem ſanitatis conſervatricem nullam dari diſtinctam ab arte curandi.

Duas eſſe Medicinæ partes plurimi à Medicis edocti hactenus credunt, unam quæ ſanitatem præſentem conſervare, alteram, quæ morbos curare docet, aut imminentes præcavere. Quo dogmate nihil falſius eſt; Prior enim illa artis pars prorſus nulla eſt, ſcilicet ſanitatem conſervare pertinet quidem ad artem Medicam, ſed id non fit per partem ullam Medicinæ diſtinctam à parte therapeuticâ, ſive ab arte curandi morbos. Præcepta ſanitatis tuendæ ſunt præcepta therapeuticæ. Morborum impendentium prophylaxis eſt ſanitatis conſervatio, eadem enim impendentibus, quæ præſentibus, morbis conveniunt remedia.

Galenus ipſe hac de re dubitavit, dum peculiari libro ad Thraſybulum quærit, utrum ars tuendæ Sanitatis pertineat ad artem medicam, vel ad Gymnaſticam. Ex quo libro multa colligi poſſunt huc ſpectantia, 1. quoſdam fuiſſe qui Medicinam curatricem ægrotum, & ſanorum conſervatricem definiebant, & ſic dari partem ſalubrem volebant, alios

fuiſſe

ſuiſſe qui Medicinam tantùm ægrotantium curam habere volebant, & ſic ſanitatis conſervatricem tollebant. Utrique meo judicio malè. Nam conſervari ſanitatem per artem Medicam nemo credo ſanus negaret, quamvis etiam ſine eà poſſit conſervari, ſed ſolùm aio falſum eſſe, partem Medicinæ conſervatricem diſtinctam eſſe à parte curatrice, niſi gradibus applicationis, non ratione præceptorum. Id inde patet, quoniam indicationes morborum curativæ, & ſanitatis conſervativæ ſunt eædem, ſcilicet contraria contrariis pelli, & lege contrariorum ſimilia ſimilibus conſervari, ſic calida intemperiem calidam fovent, frigida eandem emendant. Sic in Sanitate calidæ naturæ, quies, aquæ potus, balneum, ait Hippocrates. Medicinam idem definit adjectionem & detractionem, quæ duæ operationes totam artem complectentes innituuntur prædicto axiomati: ſimilia ſimilibus conſervari, ut additionem additione, detractionem detractione, ut in habitu macilento purgatione; venæ ſectione, inediâ, validis exercitiis, curis, &c. tabem & maraſmum accelerantibus; & contraria contrariis curari, ut in eodem habitu, victu polytropho, hilari vitâ, quiete, &c. bonum habitum conciliantibus. In perfectiſſima ſanitate eædem ſunt indicationes, Corpus noſtrum in aſſiduo triplicis ſuſtantiæ fluor:
ver-

verſatur. Si non adjiciantur alimenta, ſi non detrahantur excrementa, ſanitas intra ſeptiduum funditus everſa erit. *Plinius* ultra ſeptimum diem hominem ſine cibo vivere non poſſe putavit. *Hippocrates*, Sanitatis ſtudium eſt, inquit, non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores, ad id nulla eſt opus arte. Id natura bruta ipſa docuit, eſt tamen præceptum præſervatorium, præſervativa indicatio petitur à cauſa morbi præſente aut impendente, quod eſt opus therapeuticæ; Prima igitur particula iſtius præcepti excrementorum futurorum generationem prohibet, & factorum coctionem adjuvat. Secunda eorundem excretionem promovet. II. eodem libro Galenus fatetur cauſam ſalubrem eſſe eam quæ ſanitatis eſt procreatrix, nemo autem negabit cauſam quæ ſanitatem conſervavit, etiam eſſe ſalubrem. Si igitur ſanitatis partem aliquam procreavit, ſanitatis particulam quandam, quæ perierat, reſtituit, & ſic quodammodo curatrix fuit. III. Optimè ſcribit non eſſe multa corporis bona, neque ipſius boni quod eſt, aliam eſſe opificem, aliam conſervatricem artem; & inferius addit in nulla materia ars una finis effectrix, altera conſervatrix habetur. Cum igitur ut ſupra dixi, ſanitatis effectrix ſit ſola therapeutice, Eadem erit ſanitatis conſervatrix. IV. *Vult eum qui ſanitatem tuetur,*

circa

circa ea verſari quibus corpus noſtrum neceſſariò utitur, ut ſunt aër, alimenta, &c. Quæ per ſe juvare poſſunt & lædere: Sanitatis cuſtodem ea ſpeculari, ita ut in corpore exactè ſano nihil novare audeat, ſed ſi moderationem tranſierit, continuò quod deficit, priuſquam id malum latius ſerpat, reſarciat; ſive plenitudine, ſive inanitione corpus laboret, quod deficit inſtaurans, in quanto, non in quali, correctionis differentiam eſſe vult. Hic duplex proponitur ſanitas una exacta in quà nihil novandum, quæ ideo arte non eget, omnis enim ars eſt alicujus operis effectrix. Hanc autem ſanitatem quiſnam habet? ſi quiſpiam habet, an tam ſtabilis illa eſt, ut tamdiu durare poſſit, quamdiu capo in veru & in ſtomacho coquitur ad eam conſervandam. Quis demum novit quibus mediis ea conſervari poſſit? Galenus nihil novandum eſſe vult. Attamen alimentis opus eſt quibus exhauſtus ſubſtantiæ reparetur. Hæc autem diſſimilia ſunt, & ita reparant, ut ſimul labefactent. Sola arbor vitæ poterat exactè ejuſmodi ſanitatem conſervare. Altera ſanitas hic propoſita; quæ paſſim vulgaris eſt & obvia, ad artem correctricem pertinet, therapeuticen, ſcilicet ſolùm in quanto non in quali differentiam conſtituit. At hæc in quantitate differentia non facit artis naturam diverſam, quia eſt mera applicatio earun-

rundem rerum, ſecundum judicium Medici ad varia corpora, ut qui Rhabarbari ſcrupulum unum præſcribit puero, drachmas verò duas adulto, id non facit per diverſas artes, aut ejuſdem artis diverſas partes, ſed unam eandemque: ſic ſanitatis conſervatrix, morborumque expultrix, cum ſecundum Galenum tantùm in quanto differant, ſunt una & eadem ars, & ejuſdem artis eadem particula. Non quod omnia quæ ad medendum neceſſaria ſunt, eadem ad ſanitatem ſimpliciter tuendam neceſſaria ſint, ſed quod omnia quæ ſanitatem tuentur, etiam medendi vim quandam habeant; unde benè comparat Medicinam arti laceras veſtes ſarcienti, ſanitatis conſervationem non eſſe diverſum genus à curatione, ſed artem quæ multum ſubitò corrigit, vocari curativam, quæ verò pauxillum, conſervativam. Ibidem improbat Platonem, qui cum una ſit corporis curatio, duas ejus partes vocat, unam Gymnaſticen, alteram curatricem. *Melius*, inquit, *ars corporis curam habens, emendatrix cum ſit, quâ parte magna vitia corrigit, medicatrix dicetur, quâ verò exiguas noxas tollit, conſervatrix.* Ita ut nomine ſolùm, non re differant. Quid plura, D. Noſter Jeſus Chriſtus idem cenſuit, cum dixit Sanos Medico opus non habere. Celſus quoque *Sanus Homo*, inquit, *qui & benè valet, & ſua ſpon-*

ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, nulla igitur ars eſt quæ ipſi præcepta tradat, *ac neque medico neque Iatralipta egere, hunc oportet habere varium vitæ genus.* Ejuſmodi homo, nec Medico, nec Medicinâ opus habet. Sic

> *Ars tua Typhi jacet ſi non ſit in æquore fluctus,*
> *Si valeant homines, ars tua Phœbe jacet.*

Qui de ſanitate tuendâ ſcripſerunt, nihil dixerunt quod ægris applicari non poſſit, ut patet ex tractatu de rebus ſex non naturalibus.

Cap. XX.

De Medicis qui nimium tribuunt judiciis Aſtrorum.

Nihil eſt hodie frequentius, non ſolùm Medicis, ſed etiam ægrotantibus, ex Aſtris de naturâ morborum, cauſis, ſignis prognoſi, curatione, divinationes inſtituere, tanto etiam cum faſtu & audaciâ, ut alios ipſis multis Paraſangis eruditiores, qui & olim fuerunt, & nunc ſunt, ignorantiæ accuſent, ipſi ut plurimùm ignorantiſſimi, tam dubitanter reſponſa ſua dantes, tam ſæpe decepti & decipientes, ut diſciplinam illam aut vanam eſſe, aut ab ipſis ignorati, facile quis

conjicere poſſit. Imò ulterius progrediuntur, cognoſcere ſe putant, an quiſpiam proſperam vel adverſam fortunam ſit habiturus, pius an impius, caſtus an adulter, ſtolidus an prudens, abjectus an honoratus, pauper an dives, Epiſcopus an Laicus; quo demum mortis genere ſit defuncturus, peregrè an domi, morbo, aquis, ſuſpendio, & ſimilia plurima, quæ unde ipſi norint cum quæritur, ſilent, nemo enim illorum hactenus probare potuit eſſe artem veram, principiis certis veris ratione probabilibus innitentem, Paucis in hæc inquirendum eſt, quatenus artem Medicam præcipuè ſpectant, quod tamen ità ſeorſim fieri non poteſt, quin etiam reliqua ſimul corruant. Vulgare habent proverbium, ſcientiam neminem habere inimicum prȩter ignorantem, quod verum eſt de verâ ſcientiâ, quæ habet vera principia, rationes, concluſiones, Non de phantaſiis Magorum, Chaldæorum, quæ nullâ ratione nituntur, Sic ad Magiæ vanitatem refutandam non opus eſt eſſe Magum, ſed præterea doctiſſimi tam veteres quam recentiores illius artis periti eam damnarunt, Imò vix quiſquam ſupra cæteros doctus probavit; Alphonſus Rex Arragonum quo doctior non erat ſuo tempore Aſtrologus, Genethliacos aulâ ſuâ exulare juſſit, hic vident Aſtrologum peritiſſimum, iſtius judiciariæ inimicum. Deum etiam

etiam habet inimicum qui eam prohibuit, quod nunquam feciſſet ſi bona, ſi vera fuiſſet. Non enim propter ſui uſum eam fecit, qui eâ opus non habet. Non in uſum Dæmonum, qui ſæpius mentiti ſunt, quam vera dixerunt, ſunt tamen iſtius diſciplinæ periti, ſi vera eſt. Eandem Eccleſiæ concilia vetuerunt, & Patres improbarunt, quorum multi catalogum fecerunt. Igitur ut ad rem accedam. Supponimus primùm tanquam experientiâ confirmatum, & Philoſophorum ſententiâ ſtabilitum, agere cœlum in hæc inferiora; Videmus ſolis motum afferre temporum vices & generationes. Sydera quædam ortu ſuo & occaſu ſerenitatem & procellas inferre, ad morbos generandos & curandos plurimum conferre, ſed non per modum Imperii, verùm per viam generationes & alterationis & corruptionis, per Præcedentes aëris & elementorum permutationes. Superiora enim inferiora gubernare conſtans eſt omnium ſententia, quorum definita eſt motio, ut rerum ſublunarium, ea ab illis regi debent quæ perpetuo motu cientur, ut ſunt Aſtia ex 1. *Metearen.* Sic Sol & homo generant hominem, ſiugula quoque à lumine, motu, influxu conſervantur. Cum igitur corpora ſuperiora per alterationem, generationem corruptionem inferiora gubernent, morbique omnes ſint alterationes & cor-

corruptiones, aut præviæ diſpoſitiones ad corruptionem & mortem, ab Aſtris derivari poſſunt. Morbi ſequuntur anni tempora, quæ à cœlis dependent, multi quoque fiunt ab inſolatu, ut febris, capitis dolor, à Lunæ radiis catarrhi. Verumtamen morbi ejuſmodi non fiunt ab Aſtris per ullam vim inſitam quâ morbos generare poſſint, ſed per accidens; per elementorum alterationem, meteora, ut ſunt rores, pluviæ, venti, frigora, aut ardores inſoliti, ut febris fit ab inſolatu, catarrhus à Lunæ radiis. Falſum enim ſupponunt Aſtrologi, Aſtra ulla eſſe malefica, malè quoque ſingulis tum Planetis, tum ſignis proprios & peculiares morbos aſſignant, & ex vario aſtrorum aſpectu derivant, & prænoſci poſſe docent. Quia cœlo ineſt vis benefica & ſalutaris, omni maleficâ deſtitutum eſſe neceſſe eſt. In cœleſtibus enim neque malum, neque errorem, neque corruptionem inveniri volunt Philoſophi, inde refutat Averrhœs Aſtronomos qui ſtellas quaſdam fortunatas, quaſdam infortunatas ſtatuunt, quin potius omnes ſunt conſervantes. Quod ſi unicum malignum ſydus daretur, cum ſit cauſa naturalis, perpetuò orbem ſibi ſubjectum corrumperet, quam malè cum hominibus ageretur, ſi tam potentem inimicum haberent, cui reſiſtere non liceret, quí indeſinenter adverſus ipſos præliare-

liaretur, nec præcaveri, nec vinci poſſet. Nec ſufficiet dicere ab aliis Aſtris impediri poſſe efficaciam illius maligni ſyderis; an Creator venena in cœlo & Antidotum poſuit? Non negandum tamen ſydera variis diſſidentibuſque viribus prædita eſſe, quæ tamen omnes ſunt mundo beneficæ, & ſalutares, ſed per accidens ex vario contrariarum virium concurſu poſſunt quibuſdam temporibus eſſe magis minuſve noxiæ per varias aëris alterationes, ſic calidus aër quamvis beneficus ſit & ſalutaris, quoſdam tamen in morbos præcipitat. *Quædam naturæ ad hyemem, quædam ad æſtatem melius ſe habent.* Sic æſtates nec ſunt omnes æquè calidæ, nec æque ſerenæ, ſic hyemes nec æque frigidæ, nec æque pluvioſæ. Quæcunque demum fuerint, ſemper quibuſdam nocent, magnæ mutationes caloris, frigoris, humiditatis, ſiccitatis, morbos pariunt, ſi eodem die modo calor adſit & frigus, morbi fiunt periculoſi. Nulla eſt tempeſtas quæcunque ſit, quæ quibuſdam non noceat, aut proſit. Hæc autem cum à cœleſtibus pendeant, ex ejuſmodi aſtrorum concurſibus poteſt per accidens morboſum, aut ſalubrem annum prædicere Aſtrologus, quamvis eos ſæpè deceptos eſſe oſtendat experientia, ut ſerena ſit ſæpe illa dies, quam pluvioſam, frigida quam calidam, annus ſalubris quem morboſum

fore dixere. Id tam obvium eſt & familiare, ut maximè dubiam faciat artis illius certitudinem. Sed maximè abſurdum videtur quod ad longè præteritos aſpectus, morbos, alioſque rerum ſublunarium caſus referunt, Cornelius Gemma peſtem anno 1575, refert ad conſtellationem quæ fuit anno 1571, & Lenticularem Fracaſtorii quæ fuit anno 1582, refert Cardanus ad annum 1524 Quod verum eſſe non poteſt de cauſis naturalibus, nam tantùm præſente causâ ſequitur effectus. Nec eſt veriſimile quod præſens cauſa facere non potuit, eandem abſentem, nec forſitan unquam niſi magno Platonis anno redituram, perficere potuiſſe, etiam forſan præſente ſalutari aliâ conſtitutione, ſic ejuſmodi ſyderum conjunctiones non præſentia bona, malave, ſed ſolùm futura prænuntiant, quod oſtendit nec eſſe ſequentium effectuum cauſas naturales, nec ſigna iis connexa, ſic eſſe tantùm ſigna ſupernaturalia & propterea humanum intellectum ſuperantia, nec niſi revelatione cognoſcenda. Sanè ſi Gemma, & Cardanus annis prædictis prædicere potuiſſent ſcilicet 1571, & 1524, peſtem futuram 1575, & Lenticularem 1528, egregium id fuiſſet, ſed poſt rem factam invenire in cœlo cauſas, eſt Lectorem Ludificari, ſicut invenit idem Cardanus mortem Chriſti in cœlo præfiguratam, quod eſt admodum

modum inane commentum, ſcilicet noverat momentum Conceptionis & Nativitatis D. Noſtri Jeſu Chriſti, & horam ac diem Paſſionis, quam nunc noſtri Novitii Theologi ignorare volunt; Principia Genethliacorum ſunt incerta. Omnia ſcientiæ principia debent eſſe nota, vel per ſe, vel per demonſtrationem, vel per experientiam, vel per revelationem; Chaldæi dicebant eſſe nota per experientiam, quod ut nequicquam iis detrahamus, verum eſſe poteſt, de iis quæ à conſtanti cœli motu dependent, ut ſunt occaſus ſyderum, & ortus, Eclipſes, æſtus maris & ſimilia. Sed morborum eventus prædicere, aut futura contingentia, quorum cauſæ ſydera non ſunt, nequaquam poſſunt. Unde norunt duodecim eſſe in cœlo domicilia, unam fortunæ, alteram vitæ, mortis, &c. In ſingulis domibus eſſe Dominum illius domus, vocant Almuten, ſcilicet Planetam præpotentem, qui planeta Dominium ſuum vel à naturâ habet inſitum, vel à loco cœli illud nanciſcitur. Non à naturâ ſuâ, quia modo Saturnus, modo Juppiter, aut alius Dominus eſt, non à loco cœli, quia in eodem loco poterit alter Planeta, alio tempore, dominari. Planetas etiam faciunt maſculinos, fœmininos. Sic & ſigna, quædam regia bonum Regibus, portendentia, quædam contra malum, & ſubditis perduellibus,

 &vi-

& viliſſimis regiam dignitatem. Quid agebant ſigna illa antequam ulli forent Reges, ſic non ſolùm influxus extendit ſeſe ad corpora quâ naturalia, quæ tamen hâc ſolâ ratione cœlo ſubſunt, ſed etiam ad accidentarios fortunæ caſus, quædam ſcilicet ſtellæ divitibus infauſtæ, quædam pauperibus. Sic apparet non eſſe ſigna naturalia, nec cauſas naturales, & ſic ſupra hominis captum, nec niſi per revelationem cognoſci poſſe. Si eſſent cauſæ naturales agerent in corpora quatenus ſunt naturalia, & naturali modo. Non poſſunt certò ſcire vires ſyderum, quia nec omnia cognoſcunt, nec eorum quæ norunt virtutes certo experimento, & ut ratione non fallaci comprehendi poſſunt, nec varios aſpectus ſæpe non ante magnum annum Platonis redituros, ullus homo inveſtigare poteſt. Unde ſæpiſſime diſcrepantes ſunt illorum de iiſdem rebus ſententiæ, unde patet illorum ſingulos ſua obtrudere ſomnia. Ptolomæus, Haly, Albumazar, Cardanus aliique de eodem aſpectu varia dicunt, Ita ut variè ex iiſdem Aſtris, de eâdem re judicare liceat, ſecundum ſcriptorum varias ſententias. Quæcunque demum ſint, Non poſſunt ſcire momentum quo quis conceptus eſt, vel natus, nec applicare ſitum ſyderum ad illud momentum. Ipſæ mulieres non ſciunt conceptionis momentum, nec horologiæ quæ

id

id indicant, acuratè id faciunt. Tam rapidus eſt cœli motus, ut ſi error ſit in unico horæ minuto, totam prædictionem irritam faciat; Id patet hoc exemplo, Plurimi ſub eodem ſydere nati, diverſos habent exitus, ut Jacob & Eſau. Plurimi ſub iiſdem ſyderibus nati diverſa habent fata. Reſpondent Jacob & Eſau, non eodem momento natos eſſe ob rapidiſſimam Cœli converſionem. Sed inde ſequitur ſi tam breve momentum tantam facit in cœlo variationem, quomodo certò ſcient momentum nativitatis & conceptionis, ſi enim gemelli non cenſentur ſub eâdem conſtellatione nati, quia unus poſt alterum editus eſt, ſic nec idem homo totus ſub eâdem conſtellatione naſcitur, maxime in difficili partu, 1. enim profert caput, poſt collum, poſtremò pedes, ſic ſingulis membris aſſignanda ſunt diverſa fata. Concedat hæc aliquis, remanet ſemper dubium quænam Aſtra id revelare poſſint, multi enim in toto mundo ſub eodem ſydere naſcuntur, qui diverſos habent morbos, & vitæ exitus, diverſa ingenia, ſtudia, mores. Sequeretur quoque eos qui eodem morbo pereunt, aut in eâdem navi ſubmerguntur, in eodem prælio occidunt, fuiſſe omnes ſub eâdem conſtellatione natos, quod non eſt probabile, aut omnia Aſtra habere eandem vim: Apud Judæos ex familia Aaron

omnes naſcebantur ſacerdotes, ex tribu levi omnes erant, ut nunc loquimur Clerici, ſed nulli ſacerdotes, ſi duo pluresve eâdem horâ ſub eodem ſydere naſcebantur, ut haud dubiè ſæpe factum eſt. Ille naſcebatur ſacerdos, alter levita tantum. Simile eſt Argumentum Bardezanis Syri apud Euſebium, Seres nulla committunt adulteria, homicidia, furta, nulla inter eos ſunt ſcorta, nulla Idololatria; apud Perſas ſorores, matres, filias ducere licet in matrimonium. Hæc à voluntate, legibus, conſuetudine ità dependent, ut ad ſydera nequeant referri. Sed elegantiſſimè Paracelſus libro de quinque entibus ſive cauſis morborum, quarum primum facit ens Aſtrorum, conſiderat primùm proprietates Aſtrorum, deinde vim quâ operantur. *Putant*, inquit, *Aſtrologi, Aſtra corpus noſtrum regere. Vult autem ille nos regi à virtutibus noſtris, Adam & Eva in creatione vim prolificam acceperunt, uſque ad interitum Mundi, licet nullus Planeta foret, vim hanc tamen ſervabunt, quia non in Planetis, ſed in ſemine eſt, ſicque unus foret melancholicus, alter cholericus, unus probus, alter vitioſus, quia aſtra nec ullam parteus corporis complent, nec dant complexionem, figuram, colorem, ullamve proprietatem, licet nunquam fuerit Saturnus, homines ferent variæ complexionis? Helenæ mere-*

meretrix fuiſſet, etiamſi Venus nunquam extitiſſet, Nero crudelis non erat ſoboles Martis: ſine Aſtris tamen & cœlo res eſſe non poſſunt; ſemen nunquam germinaret, ſi Sol non foveret, non quod vim indat ſemini. quam in ſe habet, ſed quia tempus conſtituit & diſtinguit. Sed in homine matrix locum gerit Stellæ & Aſtri, etſi nullus Sol extitiſſet, homines tamen generarentur. Sine Aſtris tamen vivere non poſſumus, nam ab iis calor eſt & frigus, & rerum omnium quibus vivimus digeſtio ab iis pendet, ſolus homo non; Nec iis opus habemus, niſi quantum calore & frigore, cibo & potu indigemus, ulterius nihil; Fœtus qui ſub ſalutari Planetâ natus eſt, ſi naturam habeat contrariam, unde id orietur, à generante ſcilicet, in quo virtus eſt ſeminis. Pariter negat fortunam ab Aſtris dependere, ſed ab induſtriâ cujuſque: Et tractatu 2. de ente veneni, Per quod excrementa intelligit, ait: *Etſi ab Aſtris nemo afficiatur tutus tamen non eſt ab ente veneni unde falli neceſſe eſt Aſtronomos qui ex atris ſanitatem promittunt, cum aliæ ſint cauſæ ob quas ægrotare corpus poteſt, non minùs quàm ex aſtris.* Quæ omnia ſatis bona forent, ſi ſibi conſtaret: ſi Chaldæus interrogatus an convaliturus ſit quiſpiam? Si affirmet, quid fiet ſi æger remedia negligat, aut malis utatur, ſi neget, quid fiet ſi æger remediis, bonis & benè

benè ſuo tempore adminiſtratis utatur ſcilicet prior morietur, poſterior convaleſcet. Faceſſant igitur hæc Aſtra Chaldæum decipientia, Medicus fidelis & probus dominabitur iſtis Aſtris, & mendacia illa faciet. Unde niſi fatum adſtruant, inanem eſſe omnem prædicationem, confiteri cogentur. Adſtruere autem fatum fatuum eſt. Hoc tollit libertatem voluntatis, uſum legum, conſuetudinis; dicat Genethliacus. Hic vel ille talidie occidetur, at hoc non eſt neceſſarium, & mentiri poſſunt ſydera, ſi poteſt occiſor non occidere, poteſt occiſus non occidi, Doctrina hæc tollit omnem contingentiam reſpectu cauſarum ſecundarum. Nam ſi cauſa eſt in Stellis, quod hoc vel illo modo quis pereat, quis caſu contigiſſe id dixerit? Sic homines ad vitia, ad mortem aguntur à ſyderibus, ut hæc evitare non poſſint, ſic quos leges ad virtutes hortantur, ſydera ad vitia impellunt, quaſi in cœlo ſcelera decernerentur, quod in peſſimis civitatibus fieri raró ſolet, ut infradicemus. Sic eadem conſtellatio mortem & ſalutem ſimul æque demonſtrat. Salutem, ſi quis utatur mediis ſalutiferis, mortem, ſi contrariis utatur, ut ſi ſe ſuſpendat, inedia maceret, idem ſine Aſtris puer diceret. Sed abſurdius eſt, quod de eclipſibus dicunt, ſcilicet eclipſis quæ non eſt ens male, vires habet per aliquot menſes & an-

nos

nos duraturas, diu poſtquam præteriit, quod eſt contra naturam omnium cauſarum, quæ ſunt in mundo. Sed unde norunt vires eclipſes per tot menſes duraturas? Id non eſt per ſe notum, omnibus enim innoteſcerent? Id non eſt alibi demonſtratum, ſi eſſet, ratione niteretur, nec eſſet tanta Aſtrologorum varietas, ſicut eſſe ſolet, tum hic, tum in domorum finibus & proprietatibus aſſignandis. Id quoque non eſt revelatum; ubinam, quando & per quos? Experientia quæ ſola reſtat, fallax eſt, unde ipſi tam ſæpe falluntur & fallunt; Eclipſis omnis ſemper eodem modo fit, nec tamen ſemper idem portendit, non igitur quatenus eclipſis eſt, ſed propter aliquid aliud eclipſi adjunctum, quod cum vim non habeat ab eclipſi, ſed potius eclipſis ab eo, poteſt ſine eclipſi operari, & ſic inutilis eſt conſiderationis. Quot horas inquiunt Lunæ eclipſis durat, in totidem menſes porrigitur ejus efficacia. At horæ in cœlo non ſunt aliquid reale, ſed humana inventio. Sed quænam vis adimit eclipſi poſt tot menſes efficaciam ſuam? vel ſponte perit, vel à contrario extinguitur. Nihil in mundo ſponte perit, ſed à ſuo contrario. Contrarium eclipſi lux eſt, quâ redeunte & Lunæ reſtitutâ, faceſſit eclipſis cum viribus ſuis, niſi tenebris per accidens, major ſit virtus quam luci, per quam cœlum gubernat

nat hæc inferiora, non per eclipſes. Adde quod ſemper in causâ major eſt virtus quam in effectu. Si eclipſeos Lunaris ulla vis eſt, cum ea pendeat ab umbrâ terræ, major in illâ umbra vis foret, quam in ipsâ eclipſi, quod opinor nemo credet. Sic umbra terræ quæ ſingulis noctibus redit, habebit vires ſtupendas quas adhuc ignoramus, Sed quod pejus eſt, non incipiunt ſemper effectus eclipſeos, ante tertium quartumve menſem, poſt ipſam eclipſin, quod manifeſte indicat, eorum quæ tunc ſuccedunt, nec cauſam, nec ſignum fuiſſe eandem eclipſin, nec ſigna, nec aſpectus cum eâ conjunctos. Si ejuſmodi omnia non ſunt cauſæ naturales, aut ſigna iis connexa, debent eſſe ſupernaturales, ut iris, quæ non eſt ſignum naturale, etſi res ſit naturalis. Rectè obſervavit Phavorinus apud Gellium, ea quæ iſti vera dicunt, præ cæteris quæ mentiuntur non ſunt pars milleſima. In meteororum prædictione ſæpe falluntur, quomodo quæ à plurium mutabili voluntate pendent, poterunt prædicere. Homo per crapulam in morbum ſeſe præcipitat, potuiſſet eſſe ſobrius & ſanus vixiſſe. Præterea ut ſe habet res ad eſſe, ita & ad cognoſci ait vulgare Philoſophorum axioma, ſed ad eſſe concurrunt non tantùm aſtra, ſed etiam cauſæ particulares, cœlum enim eſt tantùm cauſa univerſalis, indeterminata. At particula-

culares cauſæ non poſſunt à Gnethliacis cognoſci, naturales enim rerum proprietates ſpecificæ & individuales particularem cauſam ſequuntur, ut ſi unus à leproſâ alter à matre ſanâ eodem temporis momento naſcatur, ille leproſus, hic ſanus erit. Si igitur corporeas diſpoſitiones ex Aſtrorum inſpectione non cognoſcunt, quomodo cognoſcent futura contingentia, quæ non à causâ univerſali, ſed à voluntate pendent, & determinantur. Cum enim corpora cœleſtia non ſint principia aut cauſæ intellectionis & voluntatis, quia anima rationalis non eſt iis ſubjecta, nec ab iis pendet. Volitio & electio non ſunt actiones naturales, quia nec ſunt neceſſariæ, nec ad idem determinatæ, ut plurimùm quæ naturalia ſunt rectè fiunt, at electiones noſtræ ſæpe ſunt malæ; quod ſi penderent ab Aſtris, ſequeretur hæc eſſe cauſas malarum actionum, & in hominum perniciem creatas. Verbi gratiâ prædicit Chaldæus civilia bella in aliquâ regione futura, quilibet ſine Aſtrorum inſpectione idem prædicere poterit, ſi populus à demagogis in ſeditionem agatur, ſi eam foveant prædicantes, ſi alii iſtam ſeditionem compeſcere conentur, &c. Contra pacem fore ſi populus legibus ſuis obtemperet, ſinguli ſua, non aliena tractent negotia, & ſimilia. at quod populus fiat ſeditioſus pendet à populi

puli voluntate, non ab aſtris, nam populæ ſicut debuit, ſic potuit domi ſe continere, & pacem continuare; nec fiunt ejuſmodi ſeditiones niſi per ſuaſionem moralem, non per naturalem actionem Aſtrorum, aliàs homines ad vitia, ad mortem, agerentur à ſyderibus, ut hæc evitare non poſſint. Unde neceſſitate inevitabili voluntas in ſcelera pertrahetur à cauſis univerſalibus. Unde tandem res eò redit, ut peccati autor deus conſtituatur, ſi fecit Aſtra, ut per ea homines ad ſcelera inclinaret, potius quam ad virtutes, quaſi in cœlo ſeditiones, perduelliones, aliaque ſcelera facienda decernerentur; ſic Deus hominum genus ſecundum hanc ſententiam ludificabitur, dum quos legibus ad obedientiæ & virtutis cultum adſtringit, ſecretis Aſtrorum motibus ad vitia propellit. Dico igitur qui ejuſmodi futura prædicit Ariolus, nihil certum dicit, quia non pendent ab Aſtris, & ratione cauſarum ſuarum æquè poſſunt non eſſe, ac eſſe, ut qui pacem, loco bellorum prædiceret, æquè certò id faceret. Qui determinationem voluntatis non videt in cœlo, nihil videt quod certò prædicere poſſit, ſic de aliis cauſis ſecundis idem dicendum, niſi ab Aſtris determinentur, nihil prædici poterit, at quod determinatur ab alio, ſit neceſſarium, & non contingens. Amplius quod de imaginibus loquuntur abſurdum eſt, nam nullæ

ſunt

ſunt in cœlò, & fingi aliæ aut contrariæ poſſunt, ut loco Leonis Porcus Pingi poſſet. Cum igitur cœlum ſit univerſalis tantùm cauſa, particulares effectus non determinat, unde quæcunque ſit cœli conſtitutio, ex avi fit avis, ex homine homo. Pluribus hac de re in libro quarto egimus. Annuntiate, ait Deus, Iſaiæ 14. quæ ventura ſunt, & ſciemus quia Dii eſtis vos, & cap. 46. Non eſt ultra Deus, nec eſt ſimilis mei, annuntians ab exordio noviſſimum, & ab initio quæ nondum facta ſunt, & plena eſt Scriptura ejuſmodi teſtimoniis, ideo hic finem faciemus.

DE

DE VULGI ERRORIBUS LIBER SECUNDUS.

De erroribus circa morbos quoſdam, & eorum cognitionem.

Caput I.

De fallaci Vrinarum Iudicio.

IAm convellendus eſt error maximè familiaris, qui huic tractationi primum occaſionem dedit. Vix enim Medicus eſſe is creditur qui ex urinis morbos, eorumque, circumſtantias dignoſcere nequit, quem etiam errorem Medici nimis patienter fovent. Familiare olim id erat Arabum ſectatoribus, eratque hæc conſuetudo Valeſci, & Gardonii temporibus etiam in Gallia vulgaris. Refert *Plantius* in *vitâ Fernelii*, excellentiſſimum illum Medicum Pariſiis urinas aliunde allatis inſpicere ſolitum, quem tamen abuſum ipſe non probat

eoſque

eoſque reprehendit qui tanquam Arioli multa de abſente ægroto ex ſola urinæ inſpectione vaticinantur. Fraudemque adfuiſſe maximam, oſtendunt libri de cautelis urinarum, quos *Gordonius* aliique deſcripſerunt, in quibus docetur Medicus, quomodo populo fraudem facere poſſit, & ab illius aſtutiis ſibi cavere. Hodie adhuc inter *Germanos* obtinet hæc conſuetudo, etiam Medicis invitis, quorum plurimi acriter hunc morem reprehendunt, *Heurnius*, *Foreſtus*, *Sennertus*, aliique, ſed elegantiſſimè *Fuchſius* in principio capitis de urinis, Medicos urinæ inſpectores, aſinos vocat, impoſtores, οὐροπότας, indignos quibuſcum rixentur boni viri, quum pluris quæſtum urinarium quàm veritatem ipſam faciant, Hodiè autem in Gallia & Italia abjecerunt à ſe Medici importunum hunc vaticinandi morem. *Primò* urina ſerum eſt eorum qui in venis ſunt humorum. Sunt autem humores plurimorum morborum cauſæ; illos igitur urina indicabit. Sed morbi non ſunt in venis, omnes ſunt in ſubſtantia partium. Non igitur morbos, ſed ſaltem cauſas tantùm indicabit. At ab eadem cauſa plures morbi. Febris ardens, phrenitis, icterus, ereſipelatum & herpetum omne genus à bile fiunt, Oblata urina valdè biliosa, quiſnam horum morborum fatiget, an dicere poterit uromantis? Forſitan conji-

cict

ciet bilem prædominari. *Secundò* ſicut in diverſis morbis, ut jam diximus, & diverſis ægris, eadem urina apparere poteſt, ità in uno eodemque ægro varia eſt, & ſingulis diebus immutatur, ut ſi hodie urina ægri Medico offeratur, iterumque die ſequenti, niſi aliunde morbum cognoſcat, vix ejuſdem morbi urinam eſſe pronuntiabit. Imò alia eſt in principio paroxyſmi, alia in augmento, alia eſt in ſtatu. *Tertiò* eadem urina in contrariis morbis apparere poteſt, quamvis à contrariis diverſiſque omnino cauſis pendeant. Exempli gratia, dicat uromantis. Si offeratur urina alba & limpida, ſanuſne, an æger eſt qui urinam reddidit? Poteſt vir ſanus, qui vini vel cereviſiæ plurimum hauſerit, talem reddere urinam, ſicut quotidie fieri ſolet. Poteſt æger laborare ardentiſſima febre cum phrenitide, bile ſurſum rapta in caput; Poteſt laborare diabete, vel obſtructione viſcerum, vel jecoris, aut ventriculi imbecillitate, vel calculo, vel aliis morbis; At quemnam horum morborum adeſſe ſuſpicabitur; An judicabit phrenitidem eſſe intemperiem frigidam? Pariter bilioſa urina poteſt fieri in morbis pituitoſis, ex obſtructione meatus deferendis bilem in inteſtina. *Quartò* morbi, quorum cauſa non continetur venis, non poſſunt cognoſci ex urinis, nam multi morbi urinam ipſam non alte-

alterant. Tales ſunt externi , luxationes, partium aſperitates, lævitates , ipſa febris quartana , quæ morbus internus eſt , etiamſi ſit humoris melancholici ſoboles, nulla tamen ejus indicia in urinis exhibet, nec in paroxyſmo, nec extra paroxiſmum. *Gilbertus Anglicus* in ſuâ praxi , capite de febre quartana , & *Richardus* quidem vir doctiſſimus, referente *Arculano , commentariis in Avicennæ quarti Canonis fen. primam tract. 20. cap.65.* Sanctè profeſſi ſunt ſe nunquam potuiſſe ex urinis quartanam cognoſcere , nec epilepſiam , nec mulieris graviditatem ; Utinam noſtro tempore tam ingenuì forent Medici. Verba hæc ſunt *Arculani* Medici doctiſſimi , cujus tempore maximè vigebat hæc per urinas divinandi conſuetudo. *Non credo,*inquit,*per urinam ſolam poſſe comprehendi quartanã, propter convenientiam magnam quartanæ cum phlegmatica , in urinâ, & maximè in principio;Cujus opinionis maximè fuit Gilbertus Anglicus primo practicæ, capite de quartana , reprehendens quoſdam inſcios,loquaces,qui ſe profitentur cognoſcere omnes ægritudines per urinam , ſicut multi Medici Lombardi hoc Tempore hominum illuſores,qui ut ajunt omnes ægritudines cognoſcunt per urinam, etiam patridam, qui tamen cum ſunt præſentes , & omnia ſigna conſiderant , pauca cognoſcunt, nam ut dicit Magiſter*

giſter Richardus omnium doctorum doctiſſimus, & expertiſſimus, aſpiciens garrulos, & in Iudicio urinarum glorioſos, in multiloquio facundos, in ratione exiles & mutos, in urinarum ſuo excellentiſſimo tractatu, cujus doctrinam ſingularem & nulli comparabilem in pleriſque dicit ſe ſequutum, his verbis redarguit. Quidam garruli & arrogantes ultra metam debitam excedunt, variantque doctrinam cum regulis propria authoritate inventis; Sed Deum teſtor, & numina Cœli, quia nec cura, nec arte, de conceptione mulieris, nec de epilepſia, nec de quartana, potui invenire cognitionem certam per urinam ſolam, eſt enim fallax nuncius, & æqui vocus.
Quæ ſanè noſtris temporibus maximè conveniunt. Vidi interdum, idque non rarò, viſo ægro mutatam fuiſſe ſententiam, quam ex urina Medicus tulerat, & quod magis eſt, plurimos nebulones qui Medicinam impudenter faciunt, accerſitos ad ægrum, ex cujus urina morbum antea plenè explicaverant, non ſolum ſententiam mutaſſe, ſed nec amplius morbum dignoſcere potuiſſe, etſi & ægrum & urinam haberent præ manibus. *Quintò* urinæ ipſæ ex cibis, potibus, exercitiis, aëre, ſomno, vigilia, aliiſque variis de cauſis alterantur, & diagnoſin reddunt conjecturalem, unde poſt ſex horas *Avicenna*, poſt duas autem alii urinam nolunt eſſe inſpi-

ſpiciendam; Quantopere errant qui de urinis per plura milliaria allatis temerè judicant? Hinc fit, ut qui Medici non ſunt, quampiurimi ad fallendum populum compoſiti, plura polliceantur, quam Medici ingenui præſtare poſſunt. Nec Miniſtros Medicinam facientes, qui omnium ſanctiſſimi eſſe deberent, excipere poſſum. *Sextò, Galenus* 2. *Proreth. textu* 2. rectè docet, in urinis nulla eſſe ſigna quæ phrenitidem capitiſque affectiones certò portendant. Nam hæc inquit, hepatis, renum & veſicæ affectiones ſignificant, affectionum verò cerebri, alia ſunt ſigna & ſymptomata. *Actuarius* tamen cerebri, hepatis, colli, pectoris, imo & artuum morbos ex urinis dignoſci poſſe tradit, & *Hippocrat.* urinas quales ſunt jumentorum, dolorem capitis oſtendere ſcribit. Pariter totius corporis excrementa ad alvum & urinam confluere docent Medici, à quibus immutari poteſt, ſic pituita ex capite defluens ſpumoſas urinas reddit, & tormina inteſtinorum ac hypochondriorum urina multa ſolvi poſſe exiſtimat *Hippocrates* 4. *aphor*. 73. Verùm hæc prognoſin tantùm ſpectant, nam ipſa tormina ex urina cognoſci non poſſunt. *Actuarium* autem meritò ridet ingenioſiſſimus *Argenterius*, qui cerebri, thoracis, & artuum laborantium ſigna in urina oſtendere conabatur. Quamvis enim totius corporis

excrementa per urinas vacuari poſſint, id tamen ſemper non contingit, ſed plurimæ partes valdè affectæ urinam non alterant; Quin etiam excrementa ſunt tantùm cauſæ morborum, non morbi ipſi. Quod igitur de dolore capitis, & phrenitide dici poteſt, ſolvit *Galenus ad text. 4. Sect. 1. Prorhet.* Ubi ait phrenitica ſigna eſſe, quæ perpetuò, & ſolis inſunt, tùm quæ perpetuo quidem, ſed non ſolis, tum quæ nec perpetuò, nec ſolis, ſed interdum adſunt, interdum non, ſed ſuperveniunt; Unde demonſtratum eſt, inquit, nec in urinis, nec in dejectionibus, nec in ſputis, nec in vomitibus, phrenitica ſigna eſſe: Nec enim turbatæ urinæ, nec enæorema habentes, nec ſpumoſæ, perpetuò prædictos affectus indicant, ſed etiam ex aliis cauſis oriuntur, & ſi quando aliquid horum indicant, id cum aliis ſignis faciunt, nam prædicti affectus ſine hujuſmodi urinis eſſe poſſunt; Unde concludi poteſt, ſigna quæ nec perpetuò morbo adſunt, nec ſoli, non poſſe morbum ullum indicare: Tales autem ſunt urinæ. Nam docet *Galenus* eas dilitium caſu demonſtrare, quod flatuoſiorem ſanguinem indicant, ſed non per ſe & propriè. Itaque, *inquit*, loco citato, quæ de urinis dicta ſunt, à phrenitide ſeparata ſunt, ſed ad inſpiciendum utrum ſalubriter an periculosè æger habuerit, conducunt. Itaque in omni-

bus

bus morbis urinam conſiderare utile eſt, ut periculum dignoſcatur. Docet *Galenus* multis in locis, excrementa eſſe indicia partis affectæ, & affectus, dejectiones quidem alvi, ſputa thoracis, mucum narium cerebri, urinas jecoris & venarum indicia eſſe, ſcilicet coctionis, quæ in illis partibus fit, rarò autem affectuum ipſorum. Omnes igitur morbos urina indicare nequit; Verbi gratia pleuritis cognoſcitur ex dolore lateris, febre, pulſu duro, ſpirandi difficultate, tuſſi, ſine urinis & ſputis, nam ſi hæc accedant, cauſam, & prognoſtica indicant morbi, jam per alia ſigna cogniti. Etſi igitur pleuritis & phrenitis ex urina dignoſci non poſſint, tamen ſi valdè mutata appareat, malum eſt, oſtendit enim non tantùm partes vitales, & animales, ſed etiam naturales laborare; quando autem plures partes ſunt in vitio, eò periculoſius æger decumbit. Præterea urina interdum oſtendit, nam affectus febri ſit conjunctus an non; Docet ſiquidem *Galenus 2. de criſib. cap. 7.* In affectibus ventris ſi abſque febre fuerint, ſola alvi excrementa inſpicienda; ſi cum febre etiam urinas, ſed non ut ipſum affectum dignoſcamus, verùm ut cogniti jam morbi eventum judicemus.

Cap. II.

Sexum & graviditatem ex Vrina dignoſci non poſſe, ubi de fabula quadam.

QUi urinas afferunt, ſæpe Medicos rogant, ſitne viri, an mulieris, tùm an gravida mulier ſit. Mirum eſt quam cautè hoc in caſu à quibuſdam populo imponatur. Sed neque ſexum, neque graviditatem dignoſci poſſe clariſſimum faciam; etſi enim alia ſit juvenis, alia ſenis, alia viri, alia mulieris urina, id tantùm in colore eſt & conſiſtentia, quæ cùm à variis aliis cauſis poſſint etiam immutari, non propriè indicabit, an viri ſit, an mulieris: nam mulier bilioſa poſt exercitia, & calidorum ciborum uſum urinam reddet coloratiorem, quam vir pituitoſus; Pariter quæ febricitat, aliove morbo laborat, dubium non eſt, quin pro morbi natura urinam immutet. Qui ergo quamlibet urinam temerè inſpicit, quomodo ſexum dignoſcet, cùm temperiem non noverit illorum qui urinam reddiderunt. Igitur ſi ſanus cum ſana, bilioſus cum bilioſa, æger cum ægra, comparentur, nihilque externum acceſſerit, quod urinam immutet, *forſitan* urina mulieris ab urina viri diſcerni quodammodo poterit, aliàs nequaquam, cum unde urina ad Medicum afferatur, ſæpe igno-

ignotum ſit. Et ſic intelligendum eſt quod ſcribunt Medici quidam de diſcrimine urinæ muliebris, & virilis, quia enim viri dicuntur calidiores, exercitiis ſunt dediti, urinas reddunt tenuiores, coloratiores, cum paucioribus contentis. Mulieres verò, quia ſunt frigidiores, eas reddunt pallidiores, cum copioſiore hypoſtaſi; *Color*, inquit Fernelius, *ex albo liveſcens non ſolum cruditatis, ſed etiam ſexus eſt index.* Sed poteſt in viro etiam calidiſſimo talis fieri, ex cauſis urinam alterantibus. Quare nihil hâc in re certi eſt, & tale quid ex urina pronuntiare, temerarium eſt.

De gravidis majus dubium eſt, ſolentque ſæpe mulieres hac ſolum de cauſa urinas Medico inſpiciendas offerre. *Avicennas* ex ſedimento goſſipio carminato ſimili, aliiſque conditionibus id dignoſcere docet. Sed cum id experientiæ non reſpondeat, meritò reprobandus eſt. Non eſt neceſſe quamlibet mulieris urinam habere ſedimentum, ſed tantùm eam quæ probè cocta eſt. *Primò* Hippocrates qui conceptionis ſigna exactè perſcrutatus eſt, nunquam meminit urinarum. *Secundò* urina non ex ipſa graviditate permutatur, ſed tantùm ex ſuppreſſione menſtruorum, quæ fatendum eſt urinas poſſe alterare, ex ſanguinis & excrementorum in venas refluxu. Sed urinarum illa mutatio et-

iam in virginibus ex ſuppreſſo ſanguine menſtruo apparere poteſt, imò etiam in omnibus morbis ex ejuſmodi ſuppreſſione natis, tum etiam in aliorum viſcerum obſtructionibus. Sic urina nihil proprium & peculiare hic indicabit. Videmus urinas interdum decolores, ut in obſtructionibus frequenter contingit, interdum valdè coloratas, interdum ſanis ſimiles, cum gravida ipſa ſana eſt, interdum tenues, interdum craſſiores, quales etiam in aliis affectibus cernere licet. Quod ſi mulier ægrotet, vi morbi adeò permutatur urina, ut omnia graviditatis ſigna, ſi quæ adſunt, obliterentur. *Tertiò* non adeo facilem eſſe graviditatis cognitionem oſtendit Hippocrates, qui poſtquam plurima probabilia illius ſigna attuliſſet, tanquam illa minus certa ſint, ad empirica quædam confugit, *Aphoriſ. 41. lib. 5. Si ſcire velis an mulier conceperit, cum dormitura eſt aquam mulſam potandam dato, ſi alvi tormina patiatur, concepit, ſin minus non,* Et libro de Sterilibus, mel & aniſum tenuiſſimè terito, aqua dilue, exhibe, dormiat, ſi tormina ſentiat circa umbilicum prægnans eſt, ſin minus, non. Ut hinc pateat quàm difficile ſit cognoſcere prægnantem ante motum infantis, cum præter ſigna alia quamplurima, ad ejuſmodi empirica recurrat *Hippocrates*; Quam ineptiunt qui id ex

urinis

urinis tam facilè divinare ſe poſſe profitentur. Refert *Avenzoar* inter Arabes primariæ notæ Medicus, ſe in propria uxore deceptum fuiſſe, etſi illius urinam videre potuiſſet, haberetque alia ſigna quibus graviditatem cognoſcere poterat, ſi tam facilis fuiſſet illius cognitio. Refert *Saxonia* ſe à Medicis pro mola judicatum fuiſſe, matremque ejus multis agitatam medicamentis, non potuiſſe tamen fœtum corrumpere. Et huic opinioni aſſentiuntur r. centiores omnes Medici qui de mulierum morbis ſcripſerunt.

Hic addenda eſt fabula quædam, quæ mihi tanquam hiſtoria à viris etiam bonæ notæ relata fuit. Ea autem ejuſmodi eſt, Ancilla quædam Dominæ ſuæ urinam ad Medicum deferebat, cumque forte ſpargetnr, ignara demum quid factura eſſet, vaccæ quæ tunc forte mingebat, úrinam vaſe exceptam defert ad Medicum; Reſpondet ille, ægrotantem nimium veſci herbis & graminibus. Laude digniſſima ſanè Medici ſolertia, qui id potuit divinare: Fabulam hanc eſſe dico, quia eandem variis in locis de diverſis Medicis audivi, tum quia ſemper defuncto cuidam Medico, cui ſimilis, ſi Diis placet, ſuperſtes non extat, nunquam vivo adſcribitur. Et rectè ſanè, nemo hodie ſuperſtes eſt, nec fuit olim, qui jumentorum urinam ab hu-

mana certò dignoſcere poſſit. Si urina ſit quaſi ſubjugalis, dolor capitis vel adeſt, vel aderit, inquit, *Hippocrates, aphor.70. lib.4.* Innuens urinam ab homine reddi poſſe brutorum urinæ in colore, & conſiſtentia ſimilem. Unde hactenus dubitatum fuit, quibus modis urina humana ab aliis liquoribus dignoſci poſſit. Scio regulas quaſdam & notas, ab Avicenna & aliis conſtitui, quibus ab invicem diſcernantur, ſed omnes falſæ ſunt & incertæ. Nihilque facilius eſt quàm Medicum quantumlibet cautum oſtenſis aliis liquoribus & urinis decipere; quod ſi igitur homo urinam ſimilem Jumentorum urinæ reddere poteſt, qui poterit Medicus ignarus unde urina accedat, unam ab alia internoſcere.

Cap. III.

Solutio rationum quæ Ouroſcopiæ favere videntur.

Quidam qui Ouroſcopiam iſtam nimium probant authoritate utuntur, & rationibus *Herculis* Saxoniæ, Medici olim apud Italos doctiſſimi, qui videtur voluiſſe aliquantulum Ouroſcopiæ patrocinari. Vult enim non tantùm morborum cauſas, ſed & illorum ideas, magnitudinem, mores ex urinis poſſe cognoſci, non in genere tantùm, ſed

ſed etiam in ſpecie, cujus ſententiam breviter complectemur *Primò*, inquit, urinæ demonſtrant morbos in intemperie ſine materia, & cum materia. Calida intemperies immaterialis, vel eſt univerſalis, vel partis determinatæ, quæ interdum eſt ſine febre, interdum cum febre; Intemperiem calidam communem oſtendunt urinæ rufæ, croceæ, virides, atræ, pingues; ſedimenta atomoſa, furfurea, ſquamoſa, urinæ acres. Verùm tamen hęc non oſtendunt intemperiem abſque materia, ſed cum materia: nam hos colores urina non habet, niſi humorum permiſtione, hinc in ipſa ephemeta 1. *ad Glaucon. cap.* 2. & 3 *methodi. cap.* 2. & 10. *de criſibus. c.* 12. Urinas ſubrufas reddi ſcribit Galenus ob bilis permiſtionem. Præterea hæc tantùm oſtendunt calidam intemperiem, non autem ullam illius ſpeciem, nam calida intemperies poteſt eſſe ſynochus, ardens, tertiana; poteſt eſſe phlegmone, ereſipelas alicujus partis. Idem confitentur intemperiem partium calidam ex iiſdem urinis cognoſci; Quid igitur prædicet Vaticinator, ſi urinæ tantùm morbum in genere, non autem in ſpecie indicant, cur potius renum quam jecoris, aut totius corporis calorem ex urina cognoſcet? *Secundò* objicit, urinam eſſe ſerum humorum, qui in partium ſubſtantiam ſunt diſtributi, unde cum recedit ſerum, ſe-

cum defert excrementa earum partium, ideo illarum affectus poterit oſtendere. Sed alteratio ſeri eſt tam varia, ut dignoſci non poſſit, quænam pars illud præcipuè alteraverit. Deinde plurimarum partium excrementa ſunt eadem, & niſi extraordinaria ſint urinæ contenta, ut pus, ſanies, partiumve quarundam ſubſtantia, ſerum nihil peculiare demonſtrabit, neque etiam quando hæc adſunt, niſi alia ſigna adjungantur, cognoſcere vix poterimus, unde defluant, niſi ex veſica ipſa, ſicut furfures veſicam affectam arguunt. *Tertiò* docet meo Judicio rem valde vanam, ſcilicet quomodo diſtingui debeat ſerum Jecoris à ſero venarum, quaſi Jecur ullum haberet ſerum ſibi proprium, aut quaſi venarum ſerum non primùm in Jecore conficiatur. Dignoſcere autem id docet ex copia, & ſubſtantia, quia ſerum venarum copioſius eſt & craſſius quam ſerum Jecoris, quod eſt falſum, nam copia ſeri eſt à materia humida quæ aſſumitur, quæ priùs ad jecur, quàm ad venas pertranſit; Quod ſi urina aſſumpto potu copioſior ſit, aliquid aliud ipſi admiſceri neceſſe eſt. *Quartò* ait *Galenum* velle ut urinæ etiam in pleuritide, & affectibus pulmonum inſpiciantur. Sed diximus ſupra, in ejuſmodi morbis non diagnoſi, ſed prognoſi urinas inſervire. Idem dicendum de intemperie frigida, quam in genere dignoſci poſſe

ex

ex urina fatemur; nunquam autem in ſpecie, nam in diabete, in principiis acceſſionum, in cachexia, hydrope, lethargo; aliiſque affectibus, quamvis urinæ poſſint eſſe crudæ non demonſtrant tamen affectus harum partium potius quam aliarum. Unde malè addit, uterum frigidum ex urina deprehendi poſſe, quia ob viciniam intemperiem communicat lotio. Verum tamen urina cruda cur potius utarum quàm Jecur oſtendet? Deinde ſi urina in veſicam deſcendat colorata à cauſa quapiam calefaciente, uterus quantumvis frigidus, illi non adimet colorem, quem à bilis permiſtione habet, & quamvis uterus fervidior urinæ colorem aliquem tribuere forſan poſſit, frigidus tamen colorem tollere non poteſt, quem aliunde ſerum contraxit. *Quintò* ait, humores à ſingulis partibus redire poſſe in veſicam. Ergo illarum affectus urina demonſtrabit. Reſpondeo *primò*, humores ſecundarios dictos non redire, niſi fiat corporis colliquatio. *Secundò* humores ſemel elapſi è vaſis, raro iterum redeunt in venas, ſed expurgantur per habitum corporis. Verum; inquit ille, ſudoris & urinæ eadem eſt materia, ſudoris autem materia extra venas eſt. Unde cum defectu ſudoris multa fit urina, redit ſerum in venas. Sed tamen falſum eſt, ſudoris materiam eſſe extra venas, niſi cum actu ſuda-

mus, non autem cum tantùm ſudaturi ſumus. At nemo ſponte ſudat, niſi male habeat. Deinde quamvis humores in venas redeant, partium tamen peculiares affectus non oſtendent, ſicut ſi urina effluat purulenta, pus quidem expurgari oſtendet, ſed an ex thorace aliave parte promanet, non urina, ſed alia partis affectæ ſigna demonſtrabunt. Demum utitur authoritate *Avicennæ*, qui ſcribit urinas quæ craſſam & viſcidam obtinent materiam, eſſe indicia doloris articularis. Quod tamen falſum eſt, nam craſſus humor aliunde eſſe poteſt. Et hoc ſatis.

Cap. IV.

Vrinam in morbis turbari, non ſemper eſſe bonum ſignum.

Nihil eſt magis ordinarium, quam audire populum de ægris benè ſperantem, cum videt urinam quæ limpida & clara mingitur, poſtea turbari, quod tamen non eſt perpetuo verum, quin potiùs contrà malum ſignum eſſe poteſt. Ubi notandum urinas vel mingi claras, & tales permanere; vel mingi claras, & poſtea turbari; vel turbidas mingi, & tales permanere; aut poſtea clareſcere, vel igni admotas, vel deponendo aliquid craſſum, quod in fundo ſubſidet, de quarum urinarum cauſis multa dici poſſunt,

quæ

quæ non ſunt hujus loci. Urina quæ optima eſt, mediocris eſt colore & conſiſtentia, quæ ab hac recedit, mala eſt. Igitur ſi naturali tenuior ſit, cruditatem indicat; Quæ verò clara mingitur, & poſt turbatur, in ſanis metum facit futuri morbi, quia humorem crudum indicat, quem natura aggreditur, unde clara mingitur, ſed amiſſo calore ſuo & ſpiritu turbatur, nam calor æquat omnia. In ægris autem ſignificat morbi incrementum, maximè ſi ſubſtantia, quantitas, color, cæteraque ſigna malè ſeſe habeant, ſi in ſanis ejuſmodi urina morbi metum facit, quomodo in ægris oſtendet coctionem? Quum ſanus quiſpiam in morbum incidit, non neceſſariò ipſius urina evadit naturali tenuior, dein craſſior, & turbata, ſed potius à principio turbatur, & morbum futurum oſtendit. Perturbatio igitur urinæ nunquam eſt bona; nam ab urina tenui ad mediocrem, quæ naturalis eſt, non fit tranſitus per turbidam, magis enim accedit tenuis ad mediocrem, quam ad craſſam. Si igitur urina flava & tenuis, fiat flava & craſſa, ac turbida, non coctionem, ſed periculum oſtendit, ob putredinus incrementum, ut rectè advertit *Montanus*. Ideo dammandi ſunt qui urinas turbatas & craſſes pro bono ſigno habent, quia videntur obſtructiones operiri, & humor morbificus vacuari; Id ſanè interdum con-

contingit in calculo, in criticis vacuationibus, & vi medicamentorum. Sed quando abſque morbi imminutione excernuntur, crudum & pertinacem morbum arguunt, humorumque fervorem & cruditatem, nam coctio omnis claras urinas facit. Sed omnium peſſimæ ſunt quæ turbatæ minguntur, & tales manent, ob maximam humorum in venis agitationem, & magnum naturæ cum morbo certamen, & in Hippocratis obſervationibus, capitis dolorem, delirium, convulſionem, & mortem prænuntiant. Polyphantus cum ejuſmodi urinis mente motus eſt, convulſus interiit. 7. *Epidem.*

Cap. V.

Conſumtionem ex urina non poſſe cognoſci.

Familiare eſt etiam plurimis, quum urinas ad Medicos ferunt, eos interrogare, num credant ægrotantem laborare conſumptione. In quo errant dupliciter. *Primò* quod veram conſumptionem ab aliis affectibus non diſtinguant, ſed quamlibet corporis contabeſcentiam, quacunque demum de cauſa fiat, conſumptionem vocent, ut dicemus ſequenti capite. *Secundò* quia nec ulcus pulmonis, nec febris hectica; quæ propriè conſumptiones ſunt, poſſunt ex urinis cognoſci. Nec *Galenus & Hippocrates*, ullum

ab

ab urina de his morbis ſignum deſumpſerunt. Ratio eſt, quia nullum, nec proprium, nec inſeparabile ſignum conſumptionis, vel ex ſubſtantia, vel ex colore, vel ex contentis deſumi poteſt, quia urina ſerum eſt humorum in venis contentorum, unde ab humorum diverſitate urinæ permutatio dependet. In phthiſicis autem pulmones primùm, dein totum corpus ſicut in hecticis afficitur. Diximus autem ſupra, affectus pulmonum ex ſputis, non ex urinis dignoſci, & quamvis urinas inſpicere utile ſit, non tamen ad cognitionem morbi, ſed tantùm ad prognoſin. nam ſi parvæ apparent, augent periculum; Sed *Arabes* dixerunt, urinas eſſe pingues & oleaginoſas, quos etiam recentiorum plurimi ſequuntur, quamvis inter ſe non conſentiant, utplurimum autem fatentur in principio hecticæ, nihil certi ex urinis cognoſci, ſed ſuccedente tempore cum adipoſa humiditas conſumitur, apparere urinas quales jam ſupra diximus. Verum *Alexander Trallianus*, non urinas pingues proponit, ſed tenues, flammeas, & crudas: cum enim coctiones fiant à partibus ſolidis, ſi hæ malè ſe habent, urinæ non poſſunt eſſe probè concoctæ, ſed tenues, flammeæ, crudiores, quales in ſicca & calida intemperie. Verumtamen inde concludi non poteſt, poſſe Medicum ex urinis ægro non viſo cognoſcere febrem hecticam,

nam

nam ejuſmodi urinæ apparent in aliis affectibus, & variis de cauſis contingere poſſunt: & propterea niſi alia ſigna acceſſerint, nihil certum indicant. Idem dicendum eſt de urinis quas vocant oleaginoſas, de quibus multa dici poſſent, cum hujus nominis varia apud Galenum, alioſque Medicos ſit acceptio. Hoc tamen loco intelliguntur illæ, in quibus pinguedo ſupernatat, quas Hippocrates malas eſſe pronuntiat, 2. Prognoſt. textu 35. *Si pinguedo aranearum telis ſimilis ſupernatet, damnandum eſt, colliquationem enim ſignificat*. Has autem urinas conſumptionem non indicare, inde patet, quod in ſanis ſæpe videntur ejuſmodi urinæ, ut docet *Galenus* 4. *de ſanit. tuenda*. Cum n. adeps & pinguedo ex ſanguine probè cocto fiant, non mirum eſt ſi portio quædam illius urinæ innatet, qualis in juſculis refrigeratis reperiri ſolet. Præterea fieri poteſt ex ſupino in dorſum decubitu, pinguedine renum incaleſcente, & hi caſus duo valdè ſunt ordinarii, paucique ſunt qui ejuſmodi urinas in ſeipſis non poſſint obſervare. Quæ autem fiunt à cauſis præternaturalibus, in malignis & ardentibus febribus, quas ſyntecticas vocamus, apparent rarò in conſumptione & hectica, in quibus non apparet ejuſmodi colliquatio, ſed abſumuntur humores per inſenſilem tranſpirationem. Hin *Gal*. 10. *metho-*

method: cap. ultimo, hanc inter ſyntecticas, & hecticas ponit differentiam, quod in his, quod colliquatur, vaporis ſpecie digeritur; in illis vero defluit in ventrem: nam calor hecticæ exiguus eſt & mitis, adeo ut ſe febricitate ægri non ſentiant. Ideo nec *Hippocrates*, *nec Galenus*, nec Antiquiores Medici, qui ejuſmodi urinas obſervarunt, eas unquam hecticis attribuerunt, ſed ardentibus & peſtilentibus tantùm. Quod ſi ulla in hecticis cum urina defluit pinguedo, alia febris hecticæ conjungitur, maligna ſcilicet, vel ardens, qui caſus valde eſt perniciofus. Habeo ego nunc cum hæc ſcribo, hecticum quendam curandum in quo nunquam ejuſmodi urina apparuit, quam in aliis ſæpe vidi nequaquam ægrotantibus. Et quamvis concederemus in conſumptis ejuſmodi urinas apparere, tamen quia aliis etiam ex cauſis proficiſci poſſunt, quomodo Medicus, qui ſolam urinam inſpicit, ægrotantem ipſum forſan non cognoſcit poterit certò morbum inveſtigare? Sed de fallaci urinarum judicio ſat multa diximus. Addam hic tantùm, prudenter à Collegio Medicorum Londinenſium prohibitum fuiſſe, ne quis Medicorum fallacem iſtam divinationem profiteatur. Verba conſtitutionis illius hæc ſunt. *Ridiculum quidem eſt & inſulſum, ex urinarum ſolummodo inſpectione, ſive de morborum genere*

nere atque natura, ſive de ægrotantium ſtatu ac conditione aruſpicum & conjectorum more velle quicquam certi ſolidique divinare. Monemus itaque omnes Medicos, ut hac in re multò cautius poſthac ſe gerant, quam antehac ſolitum eſt à pleriſque factitari; Et hanc ab cauſam omnibus Medicinam excercentibus interdictum volumus, ut Idiotis iſtis & mulierculis ægrotantium matulas circumportantibus, ne quicquam in Medicina præſcribant, niſi aut ipſum ægrotum benè prius noverint, aut viderint, aut ſaltem ab illis qui conſilium petunt, de toto illo morbo, quo laborat æger, morbique circumſtantiis, & planè, & plenè, & ſufficienter inſtructi fuerint. Hac enim ratione, & dignitatem Medici melius tuebimur, & multò etiam aptius & ſcientius excogitabimus ea remedia quæ ſint homini periclitanti maximo profutura.

Cap. VI.

De Conſumptione.

Quoniam in hac regione familiare nimis & formidabile malum eſt Conſumptio dicta, de ea paucis agemus; à multis enim non ſatis benè intelligitur. Nam populus eo nomine quamlibet corporis extabeſcentiam comprehendit; Hic igitur no-

tan-

tandum eſt; ſi generalem hujus vocabuli ſignificationem retineamus, nullum fermè morbum eſſe, cui conſumptio dicta ſuccedere non poſſit; Errat ſiquidem populus quando de Conſumptione loquitur, tanquam de morbo ab aliis diſtincto: Non eſt enim morbus, ſed accidens aliis variiſque morbis quamplurimis ſuccedens, præſertim ſi longi ſint. Cum enim corporis noſtri ſubſtantia aſſiduè depereat, niſi alimento reparetur, per morbos labefactata caloris nativi, & viſcerum coctioni dicatorum virtute, corpus probè nutriri nequit, unde ipſius moles neceſſariò concidit. Contingit igitur ejuſmodi conſumptio. *Primò* ex cauſis externis, ut aëre æſtuoſo, inædia, curis, ſollicitudinibus, vigiliis, nimiis vacuationibus, aliiſque cauſis vacuantibus. *Secundò* contingit ætatis decurſu in maraſmo dicto ſenecturis; Calor enim nativus in ſenibus hebetatur, humidum primigenium abſumitur, cujus jactura eſt irreparabilis. *Tertiò* quibuſdam naturalis eſt corporis macies, ut in corporibus calidis ſiccis, qui facile ex cauſis reſolventibus extenuantur, & ejuſmodi corpora craſſis diutius vivunt. 2. Aphor. 44. *Qui natura craſſi ſunt, citius moriuntur, quam qui graciles*, quod tamen intelligendum eſt de immodicè craſſis, quorum venæ ſunt exiles, ſanguiſque paucus. *Quartò*

ſequi-

ſequitur febres ardentes, quæ alimentarios humores, corporiſque ſubſtantiam calore ſuo abſumunt. Scribit *Hippocrates lib. 1. de morbis. Qui ex febre ardente moriuntur, omnes ex ſiccitate moriuntur. Extrema, manus pedeſque primum ipſis reſiccantur, deinde verò partes ſicciores*; Et referunt authores quidam, ſanguinem totum fuiſſe abſumptum, ut ſcribit *Argenterius, ad cap. 2. libri primi ad Gaucon.* De Mutio Medices, arcis piſanæ præfecto, in cujus cadavere ne gutta quidem ſanguinis reperta eſt. Et quamvis æger non intereat, corpus tamen à vehementi febre ſolet extenuari, unde paſſio calida ſicca dicitur, ideoque *Hippocrates* victum humectantem præſcribit, *aphoriſmo decimo ſexto libri primi*, ut prohibeat exſiccationem illam quam febris inducit. Huc quoque referri debent febres, quæ dicuntur colliquativæ. *Quintò* ſequi poteſt affectus lienis, & tumores; *Hippocrates lib. de locis in homine, & Galenus 2. de facultat. natural. cap. ultimo; & Averrhoes 4. Colliget. 56.* Dicunt ubi lien floret, corpus emaciari, unde lienem fiſco Imperator comparabat, nam ſicut populi divitias fiſcus exhaurit, ita & lien corporis ſubſtantiam. Idem dicendum foret de jecore, & aliis viſceribus; quorum mali affectus corpus abſumunt; Indurato ſpleni ſæpe ſuccedit hydrops aſcites aut tympanites.

tes.

tes, in quo affectu familiare eſt, videre abdomen turgidum, cum tamen partes ſuperiores ſumma extenuatione laborent, ex penuria probi ſanguinis, tabemque æmulatur, ſic vidi ægrotantes hydropicos, quos conſumtione laborare populus judicabat, & reverà facile unus affectus alium inducit: nam ut diximus, macilentia, & corporis extenuatio, non eſt morbus ſui generis, ſed accidens à plurimis tum internis, tum externis cauſis profectum. Non omnis igitur corporis extenuatio conſumptio dici debet. Igitur ad rem propiùs accedentes dicimus. *Sextò* conſumptionem ſumi propriè pro febre hectica, in qua corporis ſubſtantia ſenſim & ſine ſenſu abſumitur: nam in hac febre calor blandus & mitis primo tactu videtur, poſtea ſentitur acer & mordax, æger nec febrem, nec alium affectum percipit, ſenſim tamen ſibi vires imminui ſentit. *Supremò* illud nomen atrophiæ convenit, quę pariter eſt variorum morborum ſoboles, & in genere etiam per atrophiam intelligi poteſt quæcunque corporis contabeſcentia. Verum magis propriè illa eſt, quando nec alimenti penuria, nec vacuatione immoderata, nec aliarum cauſarum evidentium vi, nec acuto morbo, nec febre hectica, nec phthiſi corpus emarceſcit, ſed quando lentè ac pedetentim corpus etiam ſumpto alimento alitur, vel quia alimentum malè trahitur, vel malè retinetur, vel malè

concoquitur, vel demum ſuperflua malè expelluntur, quamvis plurimi qui de atrophia ſcripſerunt, omnes cauſas quæ corpus macilentum reddunt, adduxerint. *Octavò* demum maximè propriè conſumptionis nomine intelligi debet phthiſis, quæ eſt ulcus pulmonum corporis ſubſtantiam cum febre lonta & continua depaſcens. Eſtque affectus valde deplorandus & curatu difficilis, forſan etiam impoſſibilis, ob tres cauſas à *Galeno allatas 5. Meth. 4. de locis affectis.* Primo quia curatur ulcus excretione puris, excernitur autem tuſſiendo, at tuſſi ulcus amplificatur. *Secundò* quia remediorum vis vix ad pulmonem, niſi multum habetata pertingit, perit enim virtus illorum in ventriculo, hepate, vena cava, & aliis viarum ambagibus. *Tertiò* quia ad curationem opus eſt quiete: at pulmonem aſſiduè moveri neceſſe eſt: Adde quod ulceri conjuncta eſt febris, quæ refrigerantia & humectantia poſtulat, ulcus autem exſiccantia: omnis enim ulceris curatio exſiccatio eſt. Præterea notandum eſt hunc affectum eſſe contagioſum, *ut Hipp. 3. Epid. & Galenus 1. de differ. Febr. cap. 2.* aliique authores obſervarunt, & id auget periculum. Ne autem populus multùm decipiatur, ſcire debet non eſſe adeo reformidandum hunc morbum in pueris & in ſenibus; nam ſecundum regulam *Hippocra-*

tis

tis aphoriſmo nono libri quinti, Phthiſis iis maximè ætatibus fit, quæ ſunt à decimo octavo ad trigeſimum quintum, & 3. Aphoriſ. 29. *Iuvenibus*, inquit, *accidunt ſanguinis ſputa, tabes*, quoniam cum Juvenes & adoleſcentes copia ſanguinis fervidi, & bilioſi abundent, minuſque tunc ſit corporis incrementum, fit ut & copia & caliditate ſanguinis fervidi, & pituita ſalſa ex bile orta, corrodantur & frangantur vaſa; tum etiam ob immoderata exercitia, & alia in victu errata. Rarò autem pueris & ſenibus hæc contingunt, illis ob blandum, halituoſumque calorem, niſi naturalis corporis conformatio ad hunc morbum inclinet, vel alterius phthiſici contagium morbum acceleret, his verò quia minor eſt in corpore ſenili humorum copia & caliditas. Unde erravit *Celſus*, qui hunc aphoriſmum latinum faciens, pro decimo octavo duodecimum poſuit, forſan mendosè pro duodevigeſimo, ut advertit Mercurialis. Erravit quoque *Avicennas*, qui ſenibus maximè fieri phthiſin voluit, niſi intelligatur de maraſmo ſenectutis, qui omnibus fermè ratione ætatis contingit, non de ulcere pulmonis. Quamvis enim ſenibus & branchi & coryzæ inemendabiles contingant, humor tamen adeo acris non eſt, ut pulmonem ulcerare poſſit. Ideo qui in juventute malum hoc non contraxit, in ſenectute ratione

tione proprii temperamenti illud formidare non debet: quamvis non negem poſſe aliunde accidere, ex pleuritide, peripneumonia, empyemate, aliiſque morbis, non autem ratione propriæ conſtitutionis ſenum. Quæ addenda putavi, ut ſi quando è populo quiſpiam Medicum roget, an æger conſumptione laboret, ſciat varias conſumptionis acceptiones diſtinguere, nec præcipuam illius differentiam in ſenibus & juvenibus reformidet. Scio *Cornelium Celſum* inter tabis ſpecies referre cachexiam, in qua habitus corporis potius intumeſcit, quàm concidit, & credo, ſi ipſam rei naturam ſpectemus, id verum eſſe, tamen quia viſui contrarium potius apparet, propterea hanc etiam ſignificationem omittere volui. Horum autem omnium affectuum cauſas, ſigna diagnoſtica, prognoſtica, & curandi rationem ſi addidiſſem, quod ſemel mihi exſtat conſtitutum, excreviſſet liber in nimis magnam molem, nec id neceſſarium eſſe puto, qui errores ſolummodo indicare, Medicinam autem docere non conſtitui; Poteſt populus Medicos doctos & probos conſulere. Ad alia properemus.

C a-

Cap. VII.

De Peſte an ſit contagioſæ.

QUidam ſunt moroſi, & plane Stoici homines ac obſtinati; quorum nonnulli à Peſte omne contagium, omnemque infectionem adimere cupiunt; Alii etſi contagium admittant, nefas tamen eſſe putant homini Chriſtiano, malum metuere, aut fugere. Primos quod attinet, oſtendit experientia, magnorumque virorum authoritas confirmat, peſtem eſſe contagioſam. Imo illa vera non eſt peſtis quæ contagio caret, nam etſi quidem morbi more peſtis interficiant, ſi abſit contagium, peſtis tamen non ſunt, ſed maligni morbi, & peſtilentes ſine peſte. Scabies morbus aliàs leviſſimus, tinea, lepra, rabies, phthiſis, ophtalmia, lues venerea, vicinos inficiunt, quidni peſtis? Et niſi eſſet contagioſa, ex una civitate in aliam deferri non poſſet, quod tamen ſæpe contingit, abſque ullo præcedente aëris vitio. *Galenus* quidem, *Hippocrates*, & veteres apertè contagii non meminerunt; Refert tamen *Thucydides* peſtem illam quam deſcripſit, fuiſſe maximè contagioſam, unde & fugam maturam, tardumque reditum ſuadet, cujus conſilii memor *Galenus*, Roma ſe ſubduxit, nec tutam eſſe cum infectis converſationem, 1. *de*

diſſ. Feb. 2. obſervavit. Cum enim invitis nobis aër hauriendus ſit, nulla illius evitandi ratio eſt, niſi procul ab infectis locum aliquem, ubi optimus ille fuerit, conceſſerimus, à quo non niſi tardiſſimè redeundu. Nil refert igitur, quod *Petrus Salius* Medicus, aliàs doctiſſimus, affert ad probandum non ſemper in peſte adeſſe contagium. *Primò* quod *Hippocrates*, *Galenus*, & veteres, nec illius meminerunt, nec illud reformidarunt. *Secundò* quod Turcæ aliæque gentes nefas eſſe putant vitare conſuetudinem peſte laborantium. *Tertiò* quia plurimi inter ægros verſantes peſte tamen non inficiuntur. Nam *Galenum*, *Thucydidemque* cognoviſſe vim illam inficiendi, patet ex ſuperioribus. Sed ſanè fatendum eſt, illos non adeo exactè illius naturam, modoſque inveſtigaſſe; nam *Ariſt. in problematis* pauca quædam & ſatis obſcura dixit. *Galenus* quoque 1. *de diff. Feb.* locutus quidem eſt de illo, ſed non clarè, & apertè. Sed veteres omnia non cognoverunt: reliquerunt poſteris plurima addenda, plurima clarius explicanda. Nec pariter exemplum Turcarum nos commovere debet; *fœlices* ſunt illi *errore ſuo; quos ille malorum Maximus haud urget lethi metus.* Unde quoties inter illos vagatur peſtilentiâ, tam immaniter ſævit, ut unica in urbe hominum interdum centena millia perimat.

Paulò

Paulò majus eſt quod ſequitur: nam videmus plurimos ſuperſtites, qui ſine noxa cum infectis converſati ſunt, qui haud dubiè periiſſent, ſi contagii vis ulla fuiſſet. Verum tamen ſi tot hominum millia, quos communicata hæc labes abſtulit, & familiæ in integrum deletæ quaſi poſtliminio redderent, quam facile paucorum ſuperſtitum ſententiam refellerent. Ad imprimendam actionem tria requiruntur, dominium agentis ſupra patiens, ipſius patientis præparatio, & debita mora, ſiquidem nihil agit in inſtanti. Ad dominium agentis non ſolum efficax illius virtus, ſed etiam quantitas debita requiritur. Nam in minima quantitate deleteria parum agunt, ignis ſcientilla parum urit. Patientis præparatio vel manifeſta eſt, vel occulta, ex innata naturæ proprietate. Hinc Marſi & Pſylli à ſerpentibus non lædebantur, digitus Pyrrhi non fuit ab igne crematus. Hinc quoque eſt quod quidam etiam in ſæviſſima peſte ab omni læſione manent immunes, alii ex leviſſima occaſione inficiuntur. Ex eadem occulta vi contingit ut venenum unius ſit alteri ſalutate, & medicamentum, ac etiam interdum alimentum. Cum igitur corporum naturæ diſſimiles ſint, ac multiformes, quidam facilè vincuntur, & ſtatim patiuntur, alii autem non niſi difficulter. Nulla enim cauſa abſque patien-

tis diſpoſitione agere poteſt, aliter omnes ſub eodem ſole commorantes pariter febricitarent, aut aliter afficerentur. Differt, inquit *Hippoc. lib. de flat.* corpus à corpore, natura à naturâ, temperamentum à temperamento. Propterea omnibus eadem non ſunt commoda, aut noxia. Accedit ad hæc moderata diæta, corpus ſanum, & humorum corruptione vacans, benè per ſpirabile, temperatum, ſiccum potius quàm humidum, frigidum potius quam calidum; ideo ſenes rarius quàm pueros hoc morbo laborare obſervavit *Plin. lib. 7. cap. 50.* ob corporis frigiditatem, maximè ſi moderatis tùm cibis, tùm laboribus utantur.

Cap. VIII.

An liceat tempore peſtis fugere.

SEcundum erat, an liceat fugere, & periculo ſeſe ſubducere, quantumvis Peſtis contagioſa ſtatuatur. Turcæ, ut refert *Proſper Alpinus, lib primo de Medicinis Ægypt.* Peſtem negligunt, quoniam unicuique ſuum pereundi modum Deum deſtinaſſe credunt, quem effugere nemo poteſt, ita ut qui in bello periturus eſt, à peſte interimi nequeat: quæ vana opinio etiam Chriſtianorum quorundam animos obſidet. Theologorum eſt in id diligentiùs inquirere. An Magiſtratui,

an

an Patrifamilias, an liberis, & illis qui aliis vel naturali, vel civili jure ſunt devincti, id liceat, & quatenus. Id tantùm addam, videri ſanctos homines mortem reformidaſſe, quia nemo unquam carnem ſuam odio habuit: Nam & Elias, & Moſes fugêre, Abraham maluit uxoris pudicitiam, quàm vitam ſuam periculo exponere. Imo & pericula omnia licet evitare. Famem licet Deus immittat in facinorum noſtrorum ſupplicium, eam tamen fugere licet, imo neceſſe eſt; propriæ etenim necis conſcius cenſeri debet, qui ſeſe præſenti periculo objicit. Quis ſævientes hoſtes, quis flagrantem ignem non devitabit? quis ille qui natatione à præſenti ſubmerſione, ſi poſſit, ſibi non præcavebit? An etiam frigora, quia Dei ſupplicia, nemo veſtibus & foco arcere debet? aut vulneratus, vel æger Medici opem implorare? Vitam, quam longiſſimam Deus nobis in benedictionem pollicetur! Licebit igitur eam omni arte ab imminenti periculo præſervare. Ideo ratio homini data eſt, ut non immediatum Dei auxilium ſibi polliceatur, ſed mediis quæ conſtituit, & creavit, prudenter, & cum ratione utatur. Quis prudens vagienti Leoni ſeſe objiciet, nec ſibi fuga, aut alio modo conſulet? At peſtis, ut docet *Galenus lib. de Theriaca ad Piſonem*, immanis quaſi fera eſt, civitates interdum totas depaſcens.

Ruare ſi commodè per officia licet, nemo ſe induci patiatur, ut inter peſte affectos moretur. Quod conſilium video plurimos prudenter ſequi, neglecta quorundam temeraria pietate. Nam quod mortem Chriſtiani reformidare non debeant, intelligendum eſt, non eſſe deſpondendum mortis metu animum, neque, ut mors evitetur, peccata admittenda, & demum in morte, ſi declinari ullo modo nequit, non eſſe deſperandum. Ideo *Hipocrates* tutiſſimum remedium eſſe ait, *citò & procul fugere tardè redire*. Non tamen expedit omnes abire; quidam enim conſtituendi qui ægrotantium curam habeant. Verùm quibus fugere non eſt datum, alteratione aëris, & antidotis ſibi præcaveant.

Cap. IX.

Quodnam mortis genus ope artis Medicæ poßit præcaveri.

Turcæ, ut jam ſupra diximus ex *Alpino*, audaces in omnia ruunt pericula, quod certò perſuaſum habeant, certum ſingulis deſtinatum eſſe pereundi modum, aut fame, aut bello, aut aquis, aut ſuſpendio, aut morbo aut ætate. Sunt etiam inter nos quidam ſuperſtitioſi, taleſque audivi plurimos, qui ſingulis certum dierum numerum ita præ-

ſcriptum

ſcriptum volunt, ut ulterius vita prorogari non poſſet, & ſi quiſpiam etiam forſan Medicorum, aut adſtantium errore perierit, illos excuſant, quod impoſſibile ſit hominem ſervare, quem Deus ad ſe vocat. Ita ferme ad verbum ſententia ipſorum exprimitur. Quæ abſurda ſententia favet plurimum Medicaſtris quibuſdam, qui ſuſque deque abſque ulla arte curationem morborum aggrediuntur. Sic enim & Medicorum, & medicamentorum delectus tollitur, nec refert cuinam, docto an indocto, experto an rudi, vita hominis committatur, cum moriendum neceſſariò illi fuerit, quem Medicaſtrorum, aut adſtantium temeritas, vel ignorantia, aliuſve caſus ſuſtulit. Poteſt Deus quicquid ipſi lubitum eſt. At quoniam cauſarum ſecundarum ope & mediis ſolet operari, niſi illis quiſpiam utatur, præmaturam ſibi mortem accerſit, ſicut qui ſeſe ſuſpendio, veneno, aliterve peremit, vitam ſibi fecit breviorem, quæ diuturnior eſſe potuerat. Non pollicetur ars Medica perennem vitam, tandem enim ſatis cedendum eſt, ita volente Naturæ ipſius conditore, qui ideo corporis noſtri principia fecit patibilia, ut tandem vincatur à cauſis internis & externis; Nec tamen excuſet Medicum, cujus culpa æger interit. Sed imminentes vitæ noſtræ caſus avertit, ne ante tempus, & maturam ſene-

ctutem pereat; Quis neſcit morborum efficacia corpus concuti, quaſſari, & clangueſcere, idem remediis reſarciri, remediorum neglectu, vel eorundem importuno uſu tandem ſuccumbere? Quis neſcit poſſe hominem caſu, ictu, aliove modo vulnerari, eundemque, niſi probè curetur, interire, qui aliàs vixiſſet diutius? Naturalis quædam mors eſt ab exhauſtis vitæ principiis in ultimo ſenio ſuccedens, quam Deus omnibus conſtituit, quam ideo prohibere nulla ars poteſt. Suntque ejuſmodi termini vitæ varii, propter temperamentorum & aliarum cauſarum diverſitatem; unde quidam longius, quidam diutius vivunt, quidam tardius, quidam citius ſeneſcunt, ſinguli tamen abſumpto calido innato, ſuo tempore à natura præſtituto moriuntur, ſicut abſumpto oleo ellychnii flamma extinguitur. Omnium enim natura conſtantium ordo eſt, & omne tempus ac vita circuitu menſuratur, ex *Ariſtotele 2. de generat. & corrupt. cap.* 10. cui omnes, tum Philoſophi tum Medici, conſentiunt. Alia mors eſt violenta, & præmatura, quam febres, morbi innumeri, aliique caſus accerſunt, & huic prudens Medicus, peritus & fidelis, vadit obviam, & ſalutaribus præſidiis legitimè adhibitis, vitam jam fermè abeuntem, revocat in præcordia. Quid enim aliud eſt à pernitioſo morbo ægrum liberari,

quam

quam differri mortem. Nam angina, apoplexia, pleuritis, febris peſtilens, & alii ejuſmodi acuti morbi, mortem natura ſua inferre poſſunt, niſi remediis arceantur. Quid aliud eſt morbos præcavere, quam ſenectutem, & mortem quæ in ea contingit retardare? Quam variç cauſæ calorem noſtrum labefactant, ut parva videndi ratio, crapulæ, inediæ, vigiliæ, ſollicitudines, curæ, quæ præmaturam ſenectutem accerſunt? At his proba vivendi ratio ex arte Medicorum inſtituta ſuccurrit, ne nimium citò corporis ſubſtantia diſſolvatur, ſed ut ad extremam uſque ſenectutem perveniat, quæ ſenectus ſuos habet in natura definitos terminos, ſoli Deō cognitos, qui anticipari quidem variis de cauſis poſſunt, ſed tamen ſemotis omnibus cauſis calorem alterantibus, ulterius non poſſunt prorogari, taliſque mors in extremo ſenectutis gradu contingens rariſſima eſt. Quis enim unquam ita exactè vivendi habuit occaſionem, ut nunquam ſex rerum, quas Medici vocant non naturales, uſus, ſibi noxam non intulerit? Nam qui ſalubrem vitæ rationem non ſervant citius quam pro naturæ lege moriuntur, ut dicit *Galen. 6. de Sanit. tuenda.* Adverſus hæc quidam inſurgunt, 1. Paracelſ. lib. de ente naturali, ubi vult hominem eſſe *Microcoſmum, & habere ſuum firmamentum, & cœlum: quod in nativitate habuit prædeſtina-*

ſtinationem ſuam quantum currere debeat, ut qui ponit, clepſydram novit quantum currere debeat; Si infans intra decem horas moriatur, Planetæ illius ſuos curſus perficiunt, non minùs quam ſi ad centeſimum annum perveniat, nec centenarius vir alium curſum quamvis tardiorem habet, quam infans unius horæ. At ſic oporteret tranſire infantem per omnes ætates intra aliquot horas, ſic tollit, & inutilem reddit artem medendi. Quid etiam dicet de morbis hominem è medio tollentibus, ſine quibus homo diutius vixiſſet. Exemplum illius de clepſydra inane prorſus eſt. Nam ſicut clepſydra abrumpi poteſt in medio ſuo curſu, ſic & hominis vita ſæpe interrumpitur.

Verum miſſo hoc tenebrione, major ſeſe offert controverſia, cum Stoicis fatum aſſerentibus, quos non ſolum Turcæ, ut ſupra diximus, ſequuntur, ſed etiam Theologorum plurimi, quorum etiam inter ſe diſſentientes ſunt opiniones. Illi volunt Deum æterno & immutabili conſilio ſemel conſtituiſſe quando, & quo mortis genere quiſque interiturus ſit, ſic voluntatem Dei faciunt rerum neceſſitatem, ſic inevitabili neceſſitate, illi vivunt, alii moriuntur ante tempus. Refert Cæſarius Ludovicum Landgravium, effrænatæ virum licentiæ, cum à religioſis viris moneretur, ut ante inopinam mortem reſi-

reſipiſceret, ſic ſeſe excuſare ſolitum: Adveniente die mortis meæ certò moriar, quicquid fecero moriendum erit. Idem animæ ſuæ ſaluti applicabat, ſi prædeſtinatus ſum certò ſalvabor, nec obſtabunt peccata mea: Si reprobus nihil juvabunt bona opera. Incidit tandem in morbum, Medici opem implorat. At ille fruſtra, inquit, me vocas, ſi venit hora mortis tuæ, te juvare non poſſum, ſi non venit, remediis non indiges, ſic eum confutavit. Utraque quæſtio tam inter ſe connexæ ſunt, ut vix una ſine altera explicari poſſit. Omiſsâ tamen ea quæ animæ ſalutem ſpectat, ſolùm de ſalute corporis agemus. Volunt iſti unumquemque noſtrum invariabilem vitæ & mortis προθεσμίαν unà cum ipſo ortu in hanc lucem afferre, quod admodum heterodoxon eſſe ſupradicta ſatis manifeſtant, nam multi & morbis & violentâ morte pereunt, qui vixiſſe poſſent diutius. Si crapula aliquem occidit, an dicemus Deum deſtinaſſe etiam ebrietatem tanquam medium. Contrarium dicit Deus: Pſalmo 54. viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos, & Job 15. 32. Antequam dies ejus impleantur peribit, & 17. 1. Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur. Deus parentum cultoribus vitam longiorum pollicetur, Si quis duxerit uxorem ſuadet Deus ne bellum adeat, ne forte in

eo pereat, innuens poſſe illum vitare fatum, vel periculum. Deus eum damnat, qui ſeipſum occidit, malè damnaret ſi decreviſſet ut ſeipſum occideret, Ezechiæ moribundo conceſſit vitam annorum quindecim. Populus Iſraëliticus in deſerto mortuus eſt propter murmura. Tollens manum dixi me collocaturum vos in hac terrâ. Mirum eſt quàm intricatè viri doctiſſimi his reſpondeant. Ad Pſalmum 54. & locum Jobi reſpondet unus, hæc dici Anthropopathωs tantùm ex opinione hominum, ſed reverâ ſingulos ad ſuum terminum pervenire, ipſe à Deo præſtitutum. Sed tamen qui veneno, aut malâ medicatione, aut gladio ſublatus eſt, potuiſſet revera diutius vivere. Ad id quod dicitur, Deum parentum cultoribus longiorem vitam polliceri, dicit Deum hic nobiſcum balbutire, & prolongari vitam eſſe ſolùm longâ vitâ & tranquillâ beari, quæ ab immutabili Dei decreto pendet, & ſic illorum annis propter cultum parentum nihil addi poſſe ad longioris vitæ cumulum; quod eſt contra ſenſum verborum. Balbuit Deus cum iis qui quæ dicit intelligere non poſſunt, ſicut proponuntur. At ſecundum illum non vult Deus nos intelligere illud abſolutum decretum, quare igitur ipſius interpretes nobis illud inculcant, ſi illud intelligere nec poſſumus, nec debemus; imò dico

ego,

ego, quia verba plana ſunt, quæ vix opus habent interprete, nemo tenetur alium ſenſum illis affingere, quam quem verba indicant, maximè quando cum rectâ ratione id conſentit inutilia forent præmia, pollicitationes, pœnæ, hortationes, ſi omnia ejuſmodi decreto reguntur. Ad exemplum Ezechiæ cui Deus vitam 15. annorum largitus eſt. Reſpondet Deum quidem ſub conditione minatum eſſe mortem Ezechiæ, niſi reſipuerit, ſed tamen inviolabili decreto divino illam longævitatem fuiſſe deſignatam, & ſolùm nuntio & pœnitentiâ declaratam, atque Ezechiæ dies non fuiſſe reverâ, ſed tantum videri protractos opinione Regis & aliorum. Sic concluderet quiſpiam, Deum illam longævitatem abſolutè decreviſſe, quod tamen eſt falſum, atque etiamſi non reſipuiſſet, non minùs diu victurum, nec ex illo morbo moriturum, quod eſt contrarium litteræ illius capitis. Quare Deus uſus fuiſſet remediis, ſi id decreverat abſolutè, non hypotheticè. *Deſine fata Deum flecti ſperare precando*, dicebat Ethnicus Poëta. De populo, qui in deſerto mortuus eſt, dicit alter, Deum promiſiſſe terram Chanaan poſteris Abrahami, ſed non ſingulis, ſic nec conſilii divini, aut promiſſi revocationem ullam factam, quia non innuit horum ſingulos hujus beneficii fore participes, ſed in memo-

memoriam ipſis voluit revocare, quid patribus illorum promiſerit, & quia Deus non mutatur, ipſum nunquam decreviſſe dare illis terram Chanaam. Quod pariter adverſatur textui Scripturæ ſupra citato. Promiſerat enim actualem poſſeſſionem illis, quos eduxerat ex Ægypto; qui ſuâ culpâ hoc beneficio privati ſunt, Pſalmo 94. An non verius erat dicere, Deum decreviſſe dare, ſed ſub conditione. Nemo credit Deum mutari, aut ipſius conſilium ab hominibus poſſe reſcindi, ſed falſum eſt Deum feciſſe talé decretum abſolutum ſine intuitu medicorum, verum hypotheticum, ut, ſi quis utatur mediis idoneis, vivet, aliàs morietur. Aliàs pericula fugere inutile foret. Unde mala eſt diſtinctio, quam quidam affert, aliud eſſe decretum æternum, quod eſt rerum omnium cauſa immutabilis, aliud ſententiam Dei per Prophetas pronuntiatam, quaſi Deus fictè aliquid proponeret contrarium decreto ſuo, hortaretur eos ad virtutes & pœnitentiam, quos certò perdere conſtituit. Addit alius, etiamſi homo ignoret conſilium divinum, non tamen debet media negligere, quod ſanè eſt verum, hoc eſt enim conſilium & præceptum divinum, ut mediis idoneis legitimè utamur, ut vitam ſervemus cibo, potu, remediis, non futiliter & ineptè eam amittamus. Verùm ſecundum abſolutum decretum,

tum, nonne ſufficiet in genere cognoſcere illud axioma, Deum omnia certò decreviſſe, ad concludendum, negligenda eſſe omnia remedia. Quomodo poteſt finis certò determinari, ad quem conſequendum media tantùm contingenter referuntur, nam ſi media etiam neceſſariò determinantur, Deus erit cauſa omnium peccatorum totius mundi, ut ſi decrevit quendam à ſuis famulis proditoriè occiſum iri, atque etiam decrevit ut illum occiderent, aut venenum propinarent, cauſa eſt illius ſceleris, quod abſit. Dicit alius, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum horæ ſuæ meminiſſe. Quid tum? ſcilicet meminit illius horæ quam ſibi cum patre ſuo deſtinaverat ex merâ arbitrii voluntate, potuiſſet enim diutius vivere ſecundum naturam, unde ait, ſe poſſe petere legiones Angelorum ad tuendam vitam ſuam à ſicariis, ſi voluiſſet. Sed id ſe nolle, ut impleretur Scriptura; Potuerat quoque vitam ſuam citius amittere, ſi voluiſſet, ſed eluſit conatus Judæorum, quoties voluit, verùm horá quam ſibi præſcripſerat adventante, noluit amplius eorum conatus eludere, potuiſſet tamen, unde ejuſmodi exemplum fruſtra affertur. Alius quidam dicit, fatum eſſe mobile & immobile diverſo reſpectu, ratione præſcientiæ Dei infallibilis decretum eſſe neceſſarium, neceſſitate conſequentiæ,

tiæ, non conſequentis, ratione cauſarum ſecundarum eſſe mobile. At illud eſt quod volumus, nam cauſæ ſecundæ ſunt media ad finem aſſequendum, nam finis eſt effectus mediorum, ut ſanitas remediorum, iſtæ cauſæ ſecundæ ſunt ratione ſui mobiles, ut loquitur, ergo qui ſequitur finis eſt mobilis, non igitur per abſolutum decretum conſtitutus. Præſcientia autem infallibilis quidem eſt, ſed decretum tamen in multis eſt hypotheticum, ut dicemus inferius. Dicet quiſpiam cujuſque contradictionis pars eſt determinatè vera, altera falſa, nihil enim poteſt ſimul eſſe & non eſſe; Eſt apud Ariſtotelem cap. 5. libri de interp. & erat Stoicorum illius temporis; hoc eſt verum de præſenti, non de futuro contingenti, quidlibet enim quando eſt, neceſſario eſt, non autem quando eſt in ſuis cauſis contingentibus, ut Benhadad cras morietur aut non morietur, neutra pars eſt determinatè vera, ſcilicet convaleſcet à morbo ſuo, ſed per nequitiam ſervi ſui morietur, quod potuit eſſe falſum, nec erat neceſſarium, quia pendebat ab Hazaëlis arbitrio. Aliud eſt aliquid eſſe à Deo certò cognitum & prædictum, aliud eſſe certum in ſuis cauſis contingentibus & liberis, antequam det.rminentur in tempore præſenti. Sic omnes res à Deo cognoſcuntur quatenus ſunt neceſſariæ, ſive quatenus ſunt

ſunt præſentes, propter infinitam ipſius cognitionem, qui certò videt determinationem omnium cauſarum ſecundarum, ideo certò videt terminum vitæ futurum, quia novit concurſus omnes cauſarum ſecundarum, tanquam præſentes & determinatos, ſecundum omnes ſuas circumſtantias, quibus omnibus ſimul poſitis, in præſenti, effectus redditur neceſſarius, magna autem differentia eſt inter futurum & præſens, nam propoſitio de præſenti nititur concurſu præſenti omnium cauſarum, propoſitio de futuro nititur earum contingentiâ. Sic quod fuit præcognitum, erit quidem, non quia fuit præcognitum, ſed contra præcognitum fuit, quia futurum eſt neceſſariò, ex hypotheſi concurſus omnium cauſarum, quem Deus certò & infallibiliter novit. Si ſcio theſaurum eſſe in agro, & video hominem illic profundè fodientem, conjicio theſaurum certò inventum iri. Verum & neceſſarium ſunt duo diverſa in diverſis temporibus, ut Benhadad cras morietur erat verum, ſed non neceſſarium, niſi ex præviſione cauſarum contingentium determinatarum, quæ determinatio potuit & debuit aliter fieri. Dices, ſi ejuſmodi enuntiationes de futuro non ſunt determinatè veræ, ſequitur quod nullo modo ſunt veræ, aut falſæ, nec actu nec potentiâ, quia potentia non eſt quæ non poteſt reduci

reduci in actum. Sed ejuſmodi potentia nunquam poteſt reduci in actum. At hoc eſt negandum, nam potentia illa quæ pendet à cauſis liberis, poteſt reduci in actum, ut potuit eſſe verum Benhadad cras non morietur, ſed cauſa ſemel in tempore præſenti determinatâ non amplius eſt contingens, ſed neceſſaria, & ratio illa eſt ſophiſma à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Infans habet potentiam fandi, tamen quandiu Infans, nunquam fari poterit. Non eſt tamen potentia fandi in eâ ætate fruſtra. Idem dicendum de morte hominum, quæ ſequitur vel neglectum remediorum, vel uſum pravorum & venenatorum. Non ſequitur Deum abſoluto decreto conſtituiſſe, ut talis homo moreretur, ſed hypotheticè tantum ex præviſo concurſu omnium ejuſmodi cauſarum fieri non poterat quin moreretur, potuiſſet tamen per uſum bonorum remediorum convaleſcere. Ezechias cui 15. anni conceſſi erant, non erat toto illo tempore immortalis, poterat fame, aut ſuorum nequitiâ, ſicut alii multi boni Reges, perire.

Etſi hæc ſufficere poſſint, notandum ulterius quædam neceſſario evenire, ut hominem eſſe animal, ſolem & planetas oriri & occidere; quædam contingenter, quæ poſſunt eſſe & non eſſe, ut cras poteſt quis ſcribere, aut non ſcribere. Horum autem tria ſunt

ſunt genera, quædam ut plurimum contingunt, ut hominem naſci integrum non monſtroſum, vel rarò, ut fodientem reperire pecuniam reconditam, vel æqualiter, ut ſedere non ſedere, quæ pendent à voluntate, in primis verior eſſe ſolet affirmatio, in ſecundis verior negatio, in poſtremis æque vera eſt affirmatio ac negatio. Contradicentium univerſalium ſemper quolibet tempore altera vera eſt, altera falſa, ſic & in ſingularibus, ſi agitur de re neceſſariâ, aut impoſſibili, ſic quoque in contingentibus ſi agitur de re præſenti aut præteritâ. Sed de futurâ alterutra vera eſt aut falſa, ſed neutra definitè, ut Petrum cras ſcripturum vel non ſcripturum, quia res eſt dubia, quæ evenire poteſt aut non evenire. Quod ſi omnia neceſſitate quâdam regerentur fruſtra eſſent admonitiones, hortationes, leges, præmia, ſupplicia, remedia, tam apud homines, quam apud Deum, inutile eſt quicquam agere, vel fugere, ad aliquid aſſequendum, aut labore victum, aut remediis ſanitatem quærere. Qui in ejuſmodi rebus libertatem adimit, judicium & rationem, ipſamque experientiam tollat neceſſe eſt. Neque concurſus Dei cum cauſis ſecundis rerum contingentiam tollit, quia concurrit eo modo quo agunt, aut concurrendo cum naturalibus effecta ſunt naturalia, cum voluntariis voluntaria. Sic quæ futura

ſunt

ſunt, præſcit eo modo quo ſunt futura, neceſſaria, neceſſariò, contingentia contingenter, ut noverat Deus Hezaelem & Judam electuros proditionem, nec tamen ex illâ Dei cognitione facta eſt illa proditio, fuit enim voluntaria. Poſſunt tamen quæ contingentia ſunt in ſe ſpectata, ex conditione & hypotheſi fieri certa & neceſſaria. Si contingentia tanquam contingentia Deus non noſceret, cognitio ejus certa non foret, nec rei conformis. Ex his concludere poſſumus hominis vitam non ità fatorum legibus adſtringi, quin ope artis Medicæ poſſit prorogari, & debeat æger ad Medici opem recurrere, ne propriæ mortis reus efficiatur: Ut reſiſtendo cauſis putredinem inducentibus, conſervando humidum radicale, ne cito abſumatur, aliiſque variis modis, poteſt mors præcaveri.

Cap. X.

An poßint febres intermittentes; quas Agues *Angli vocant, curari.*

Putant etiam plurimi adverſus febres intermittentes, quas *Agues* vocant, nullum eſſe remedium, eaſque artis Medicæ vim ſuperare. Illud autem cum experientia falſum eſſe oſtendat, quandoquidem eas ſæpiùs à Medicis curatas videre licet, multa hac de re di-

re dicere non oportet. Pendent autem illæ ex variis humoribus, bilioſis, pituitoſis, melancholicis; Bilioſæ autem ſi ſint exquiſitæ facilè curantur, nam ex Aphor. 59. lib. 4. *Tertiana exquiſita in ſeptem periodis judicatur longiſſima*, multò igitur brevior futura eſt, ſi remediis tempeſtivè adhibitis juvetur. Et ratio ſuffragatur: Cum enim alii morbi ab iiſdem humoribus geniti curentur, quidni & intermittentes febres? Id tantùm vulgo imponit, quod quædam admodum chronicæ & valdè longæ permaneant, ut ſunt tertianæ quædam nothæ, & quartanæ. Attamen id non tollit curandi poſſibilitatem, cum ſæpe ejuſmodi morbi curati fuerint, quamvis non ſemper in omnibus ægris; alias dicendum foret etiam febres continuas omnes eſſe exitiales, quoniam quidam ex iis perierunt. Morbi à quibuſdam Medicis rectè dividuntur in *Salutares*, qui natura ſua ad ſalutem terminantur, qualis eſt febris ephemera; in *perpetuos & incurabiles*, qualis eſt, verbi gratia, elephantiaſis; & in *ancipites*, qui interdum curantur, interdum occidunt, quales ſunt plurimi alii, inter quos etiam febres intermittentes reponi debent, quas in quibuſdam brevi curari contingit, in aliis verò diutius permanere; Non enim omnes ejuſdem ſpeciei morbi, eadem ſemper habent tempora, eundem-

demque exitium, ſed quidam citiùs, alii tardiùs terminantur, quidam curantur, quidam occidunt, pro varia humoris peccantis diſpoſitione, in copia, craſſitie, tenacitate, acrimonia, malignitate, pro ægrotantis habitu, viribus, anni tempore, regione, cœli ſtatu, victus ratione, partium nobilium conſtitutione, ipſorum medentium ſolertia, aliiſque circumſtantiis, quas explicare hujus loci non eſt. Scribit *Hippocrates 4. aphoriſ. 43. Febres quocunque modo intermiſerint minimè eſſe periculoſas.* Sunt igitur à prudenti & docto Medico curabiles, quamvis forſan inepti medicantes præpoſtera medicatione illas reddant incurabiles. Sic æſtivæ *quartanæ dicuntur breves, Autumnales vero longæ, maximè quæ hyemem attingunt, aphor. 25. lib. 2.* Quod igitur in quibuſdam multi morbi manent incurabiles ob varias cauſas, non eſt tamen credendum; tales eſſe natura ſuâ, nec in Medicinæ dedecus concludendum, non poſſe ab arte vinci & ſuperari. Non tamen fidendum glorioſis quorundam Medicaſtrorum verbis, qui *nil metuunt tentare, nihil promittere pareunt, pauca tamen præſtant.* Si fortè difficilem morbum ab ipſis non probè cognitum ancipiti remedio profligarint, quo ſermone tanti miraculi gloria prædicari, quo munere compenſari poterit? Sin minùs ſucceſſerit curatio,

cul-

culpam non in ſe, ſed ægrotantis adſtantiumve incuriam, aut ægri contumaciam rejiciunt.

Cap. XI.

Ex calore volæ manus, hepatis calorem non poſſe cognoſci.

FAmiliare eſt quamplurimis cum manuum vola incaleſcit, credere ſe hepatis calore præternaturali affici. Quod tamen non eſt valde certum, quamvis etiam Medici quidam id crediderint. Quis enim major eſt conſenſus hepatis cum manibus, quàm cum qualibet alia parte? Scribit *Galenus in arte parva*, totum corporis habitum incaleſcere ſi jecur ſit calidus, niſi cor obſtiterit, & pariter totum calefieri à corde, niſi jecur obſtiterit. Non igitur manibus ſolis id debet attribui; Deinde calor ille inſuetus manuum potius erit à corde, qui ſpiritus calidiores, ſanguinemque fervidiorem toti corpori communicat, quam jecur. Præterea probat *Galenus libro adverſus Lycum* nullum eſſe inter ventriculum & manus conſenſum, quoniam triplex eſt ſympathiæ ratio, prima vicinitatis, ſecunda familiaritatis operis, tertia per communionem vaſorum. Quod jecori & manibus poſſumus applicare. Inter has enim partes nulla eſt vicinitas, nulla

nulla operis familiaritas. Si qua igitur ſympathia eſt, ea erit tertii generis, per communionem ſcilicet vaſorum. At vaſa quæ à jecore proveniunt, non ad ſolas manus, ſed ad totum corpus deferuntur. In manibus ipſis præter venas ſunt arteriæ quæ à corde majorem calorem deferunt. Non igitur ex manibus calidis potius jecoris, quàm cordis calor inferri debet. Inſuper jecoris calor eſt perpetuus, aut ſaltem diutiſſimè perdurans, ſed manuum ille ardor fugax eſt, ſæpiùs abit, reditque. Demum lieni id attribuunt alii authores, ſi ſcilicet lien ſit ἀνάῤῥοπος, nam ſi ſit κατάῤῥοπος inferiores partes calere dicuntur, 6. *Epid. Sect.* 2. *textu* 32. *Avicenna* quidem *Fen.* 13. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 3. vult longitudinem digitarum indicare magnitudinem hepatis, & ejus calorem. Sed rectè illum ridet *Averrhoes* 4. *Colliget. cap.* 4. *Et homo quem tu ſcis, dicit quod brevitas digitorum ſignificat parvitatem hepatis, & hic apparet quod neſcivit benè ubi eſſet virtus informativa, & non conſideravit niſi in materiebus, & dimittamus iſtum cum aliis, quæ* ſunt verba *Averrhois*, qui non credidit ex manibus ſigna temperiei, aut conformationis hepatis deſumi poſſe, cum nullus ſit inter has partes major quàm inter alias conſenſus peculiaris. Unde etiam Galenus in arte parva cum ſigna Jecoris calidi explicat.

Iſtud

Iſtud de calore manuum ſignum omiſit, ſicut & Græci reliqui *Aëtius*, *Ægineta*, & alii. *Argenterius* com. ad prædictum locum artis Medicæ, Galenum reprehendit, quod hoc ſignum omiſerit. Sed rectius alii Galenum tuentur, quia ſignum iſtud vaniſſimum eſt populi commentum, nam non ſolum manus, ſed & totum corpus neceſſariò redditur calidum, nec calor ille manuum μόνιμος eſt, ſed inſtabilis & incertus.

CAP. XII.

De iis qui Iecur calidum, Ventriculum autem frigidum, accuſant.

VUlgare quoque eſt, & valdè ordinarium, quamplurimos de Jecoris calore & Ventriculi frigiditate conqueri, quoniam in ventriculo cruditates flatuſque perſentiunt, interdum ſimul quoſdam in corpore ardores fugaces, in facie, manibus, pedibuſque. Sunt autem hi de quibuſdam monendi. *Primò* certum eſt ventriculum, quia pars eſt ſpermatica, membranoſa, exanguis, alba, temperamenti eſſe frigidi, ſed credere hepatis calorem ipſi nocere abſurdum eſt; Docet enim *Galenus* eum undique calidis viſceribus à natura fuiſſe munitum, ut felicius ſuas obiret functiones, mediis inter Jecur, lienem, omentum, colon inteſtinum, conſiſtit,

ſutit, iiſquè undique cingitur, ut inſtar lebetis inter plurimos focos ab his incaleſcat, unde non putat eſſe probabile *Riolanus in Anthropog.* Jecoris calorem ventriculi calorem imminuere, cum potius illum augeat. *Secundò* obſervari debet, prædicta ſymptomata ſæpe contingere in ſanis, viſcerum calidiori temperie præditis, ſed prava victus ratione utentibus. Ex crapula enim ſive illa vini fuerit, ſive cereviſiæ, cruditatum in ventre maxima copia ſuccreſcit, fluctuationes fiunt, ructus, inflationes, ſputationes; nam familiare admodum eſt etiam ex calidis potibus nimia copia hauſtis, frigidos affectus proficiſci, qui non ex partis intemperie, ſed ex ſumentis vitio contingunt: interea jecur calidius primùm ſpiritus horum potuum tenuiores allicit, unde inflammatur, ſanguinemque fervidiorem toti corpori ſuppeditat. Inde ſimul percipere ſibi videntur in corpore fervorem, in ventriculo cruditatem. Et ſic malè partium contrarias intemperies, non autem ſua errata accuſant. Quod ſi ſobriè viverent, aut temperatis potibus uterentur, illud non experirentur. *Tertiò* quibuſdam id conſuetum eſt etiamſi ſobriè vivant, & tales ſunt hypochondriaci, quibus hypochondria fervida ſunt, ſicca, & obſtructa, quod malum in hac regione frequentiſſimum eſt, & ſæpiſ-

ſimè

ſimè ex ſuperdicta cauſâ, inordinata ſcilicet vivendi ratione, proficiſcitur; In his autem non fit ventriculus frigidior ex vicinia ferventium hypochondriorum, ſed quia multus humor melancholicus & flatuoſus in ſtomachum mittitur, qui coctionem vitiat, unde ventriculum ſibi videntur habere frigidiorem, quam habent. Inde quærunt Medici, unde fiat, quod hypochondriaci, quum affectu calido tententur, tamen cruditatibus & flatibus abundent Cujus rei cauſam quamvis etiam quidam Medici referant ad ventriculum frigidum, ſatius tamen eſt, ut diximus, referre ad humores pravos ventriculi tonum labefactantes, unde cruditates non tantùm acidæ, quæ fiunt à frigore, ſed etiam nidoroſæ caloris ſoboles proveniunt, maximè ſi alimenta nidoroſa, ut ova frixa, & ſimilia aſſumantur. Hinc rectè ait quidam ſymptomata in hypochondriaco affectu multa ſunt frigida, ſed cauſa calida.

Cap. XIII.

Maritum loco Vxoris gravidæ non ægrotare.

INter errores quamplurimos maximè ridendus hic eſſe videtur, quod vir credatur ægrotare, iiſque affici ſymptomatis, quibus ipſa mulier prægnans ſolet, illudque expe-

rientia confirmatum plurimi eſſe volunt. Habebam ægrum febre laborantem cum urina valdè accenſa & turbida, qui ægrotationis ſuæ nullam cauſam agnoſcebat, quam uxoris ſuæ graviditatem. Nullibi terrarum, quam in Anglia, id obſervatum memini me audiviſſe, aut legiſſe unquam. Certum autem eſt plurimis variiſque ſymptomatis, gravidas mulieres primis geſtationis menſibus affici ſolere, maximè quæ corpore ſunt cacochymo, & impuro. Solent autem oriri ex retentione menſtruorum. Cum enim ejuſmodi fluore ſoleat natura uti, non tantùm ad ſanguinem ſuperfluum, ſed etiam ad vitioſos humores expurgandos, retento & cohibito ejuſmodi ſanguine, illi etiam retinentur; Sanguis ipſe retentus, quia ob fœtus parvitatem, principio imprægnationis, in nutritionem totus non abſumitur, putreſcit, & vel ad nobiles partes confluit, vel ſaltem tetros ad illas vapores tranſmittit, unde prædicta ſymptomata in ventriculo, viſceribus, abdomine, capite, totoque corpore emergunt, vomitus, cibi faſtidia, picæ, malaciæ, tormina, capitis vertigo, & ſimilia. Cum igitur vir cauſas ejuſmodi affectuum in ſeipſo non habeat, ſed ſola uxor ipſam ſolam ægrotare rationi conveniens eſt. Nec ſi quis maritus, cum uxor gravida eſt, ægrotat, ab uxore infectus fuit, ſed poteſt ex peculiari pro-

proprii corporis vitio id pati. Sicut, dum hæc ſcribo, pluit, non eſt tamen pluvia aut cauſa ſcriptionis, aut ſcriptura pluviæ. Res nova non eſt, viros & mulieres etiam ſimul ægrotare At mirum eſt hactenuſque ignotum, graviditatem affectum eſſe contagioſum, & non alias mulieres, ſed viros, quos natura immunes ab hoc labore fecit, ſolos infici. Præterea obſervatum eſt non omnibus mulieribus ejuſmodi ſymptomata, aut ſaltem non omnia ſingulis contingere, & tamen accidit ſæpe ut cum mulier benè valet, ægrotet maritus, etiam abſens per aliquot milliaria. At ſi ex gravitate uxoris id patitur, cur ipſa eodem tempore ſimul incolumis permanet? Cauſæ enim naturales priùs agunt, in proximum, quam in remotum. Et propterea quum noxios ejuſmodi humores mulier ſecum ferat, priùs ipſa & graviùs ægrotabit. Scio quædam dici poſſe de ſympathia, antipathia, contagio, faſcinatione, aliiſque nugis. At ſi hæc ita ſe habent cur virgines, viduæque, quæ ſæpiſſimè ex ſuppreſſione menſtruorum ejuſmodi ſymptomatis infeſtantur, contubernales familiareſque ſuos ſuaſq; non inficiunt, cum eadem cauſa ſit, & haud dubiè cum quibuſdam ſympathiam habere poſſunt. Ad inferendum contagium non ſolùm agentis efficacia, ſed etiam in patiente diſpoſitio requiritur, & analogia.

At quis non credat, aliam mulierem ad ferenda & ſuſcipienda graviditatis ſymptomata eſſe viro aptiorem, cum ad prolis generationem creatæ fuerint omnes, & propterea una mulier ab alia ſibi maximè cavere deberet. Præterea contingere poteſt mulierem pallidis coloribus laborantem, graviterque afflictam, viro nubere, quem tamen, etiamſi ſuppreſſi ſint menſes, nunquam inficiet. Cur igitur cum eadem gravida ſit, nec nova ulla ægrotandi ratio præter menſium ſuppreſſionem accedit, maritus ægrotabit? Malè cum viris ageretur, ſi quoties uxoribus ſupprimuntur menſes, toties non ipſæ ſed illi laborarent. Sed quoniam ex ſola relatione abſurditas hujus erroris patet, plura non addam. Jupiter Bacchum in fœmore, Palladem in cerebro geſtavit. Sed hoc illi eſto proprium.

Cap. XIV.

An Medici extranei & Peregrini, ægrotantium alterius regionis temperiem cognoſcere poßint.

COgnoſcere ægrotantium temperaturam maximè confert ad morborum cognitionem, & curationem, reſque hæc longam & difficilem poſtulat tractationem. Id tantùm addam, quorundam hanc eſſe opi-

opinionem, non poſſe peregrinos cognoſcere temperaturam hominum alterius regionis, ut Gallos Anglorum; Verùm id repugnat naturæ artis Medicæ, cujus præcepta generalia ſunt, & facilè applicari poſſunt cuilibet regioni. Ars enim omnis eſt univerſalium non ſingularium, unde hic in Anglia ſecundum Galeni & Hippocratis præcepta, Medicinam, omnes, qui benè medentur, faciunt, quæ ſi quis probè intellexerit, poteſt hominum diverſitatem ſecundum ætates, regiones, variamque cœli faciem dignoſcère, & quænam illis medicamenta conveniant. Eâ de re ſcripſit Hippocrates *librum de aëre, aquis & locis*, valdè elegantem; Docet enim ars Medica, ubicunque doceatur, ſigna quæ petuuntur à regionibus, ad morborum tum diagnoſin, tum prognoſin, & indicationes, quas ad victus rationem inſtituendam, venæ ſectionem & purgationem faciendam, aliaque remedia adminiſtranda, regionum diverſitas ſuppeditat. Aliter ars non feret, ſi tantùm loco cuidam præcepta ſua accommodaret. Galenus in Græcia natus, & educatus, Romæ faciebat Medicinam, unde *Hippocrates* 3.prognoſt. ait, ſuam doctrinam poſſe applicari cuilibet regioni, tam calidæ quam frigidæ, Libyæ, Delo, Scythiæ, aliiſque. Arabes quoque à Græcis mutati ſunt ſua medendi præcepta. quæ

eadem ſunt cum Galenicis, quæ nos promiſcuè ſequimur. Ideo prudentiſſimè factum eſt, quod legi inſtitutum fuiſſe ab Hiſpanis & Luſitanis, ut Medicina apud Indos, ubi ipſi dominantur, fieret eodem prorſus modo quo in Europa, ſecundum Galeni & Hippocratis doctrinam. Scio multa dici poſſe de varietate illa temperiei, quam regiones dant incolis, nam etiam in uno eodemque regno diverſitas magna eſt incolarum, pro vario regionum ſitu, ſoli natura, ventorum perflatu, aliiſque de cauſis, quas omnes explorandi rationem ars Medica tradit. Et tamen quæcunque demum illa regio ſit, etiam in maximè borealibus, ſunt omnis temperiei homines, calidi, frigidi, bilioſi, pituitoſi, ſanguinei, melancholici. Quidam qui ſine licentia Medicinam exercebat, Chirurgus profeſſione, nec tamen valde peritus, ut nihil invidiam faceret, ſæpe id dicere ſolebat, non poſſe Gallos Anglorum naturam, & conſtitutionem intelligere. Rogatus ſemel à me fuit, quænam eſſet illa Angli conſtitutio, qua differt à Gallo, quibus ſignis illam cognoſceret, cum ubique omnis temperiei homines reperiantur. Quæ cum non niſi à docto Medico cognoſci poſſint, non mirum eſt ſi quilibet de trivio Medicaſter ea ignoret. Eſt enim res difficillima cognitu. Ideo dicebat *Galenus* ſi ægrorum temperiem perfectè

fectè cognoſcere poſſet, ſe Æſculapio parem fore. Id nunc addam, quod vulgo fertur de temperamento variorum populorum à paucis probè intelligi, nam ſinguli homines propria ſua habent, & ab invicem diſcrepantia, temperamenta, à principis generationis innata. Non poſſunt igitur commune aliquòd habere, in quo omnes conveniant. Illud igitur eſt tantùm aſſuetudo quædam, & naturæ inclinatio ad aërem patrium, & victus conſuetudinem, quæ ſine mutatione proprii temperamenti, & ingeniti, quod à parentibus habemus, à nobis ſenſim acquiritur, unde fit ut quidam in aëre patrio quantumvis inſalubri, meliùs degant quàm in alieno. Scribit *Avicennas* ægrotaturum Indum, ſi eſſet in regione Sclavi. Quamvis etiam id non ſit perpetuum, ſed fieri poſſit ut quidam Anglus ſalubriùs etiam in Hiſpania, quâm in aëre patrio degat.

CAP. XV.

De iis qui morbos fermè omnes ad refrigerationem referunt.

RES eſt ſatis frequens & ordinaria, ubi in morbos quiſpiam incidit, aut non ſatis benè valet, accuſare frigus externum, à quo non ſatis curioſè ſeſe tutatus eſt. Et ſanè ſæpiſſimè hæc poteſt eſſe multorum malo-

rum cauſa. Aër enim à nobis continuò inſpiratione & tranſpiratione attrahitur, ſuàſque nobis qualitates impertitur, qualeſcunque tandem illæ ſint. Nocet autem maximè quando apertis calore poris repente frigidus accedit, eos enim ſtatim obſtruit, unde retentis fuliginibus in corporibus cacochymis febres facilè ſuccedunt, aliis autem dolores, laſſitudines, ſpirandi difficultates. Inſpiratus aër frigidus pulmonum bronchia rigida facit, unde vix poteſt pulmo dilatari. Sæpiſſimè inde rumpuntur vaſa pulmonum, aliarumque partium, ſanguis in capacitatem quandam defluit, putreſcit, & corrumpitur, & prava ſuſcitat ſymptomata. Verum circa rem hanc quædam monere oportet. *Primò* non omnes qui hanc cauſam accuſant, inde tamen ægrotare, aliæ enim ſunt & variæ morborum cauſæ externæ. Unde ſæpiſſimè in aëre frigido degentes, nihil inde mali patiuntur; Iidem verò etiam æſtate media, panniſque benè cooperti, ab eo tamen ſe affectos & læſos fuiſſe queruntur. Idem de reliquis externis morborum cauſis eſt ſentiendum. In una eademque civitate plurimi ſunt qui eodem utuntur aëre, iiſdem exercitiis, eademque victus ratione, tamen cum in morbos incidunt, variis omnino, diſcrepantibuſque morbis afficiuntur. Si horum quiſpiam ex crapula, aut cibo pleniori ægrotare ſeſe

ſeſe dixerit. At forſitan centies antea eodem modo, & innoxiè largiùs ſeſe invitârat: quod pariter de aëre frigido, & nimio labore dicendum, cum ſæpiùs frigidiorem aërem, ſine noxa pertulerit, & eundem laborem perfecerit, mirum quomodo inde jam ægrotârit. Sic videmus ſæpe ultimum cibum, aut exercitium illud quo quiſpiam ante morbum uſus eſt, aut ultimum frigus quod perpeſſus eſt, accuſari, ſicut & ultimum remedium creditur etiam ſanitatem attuliſſe. Ubi notandum eſt, has cauſas dici externas, nec ſemper & quolibet tempore corpus afficere, ſed tantùm quando interna in corpore latet diſpoſitio, & morboſus apparatus, quem ejuſmodi cauſæ ſuſcitant. *Secundò* monendum, ejuſmodi cauſas abire, nec remanere, ipſarum tamen affectus, morbos ſcilicet ab internis cauſis ſuſcitatos in corpore permanere, unde cauſarum externarum contemplatio non ſemper ad morborum cognitionem aut curationem neceſſaria eſt; ſed ſolum internarum, quæ morbum concitant & fovent. Nam videmus ab aër: frigido inchoaſſe morbum, nec, etiamſi temperies aëris mutetur, illum curari, ſed ſæpe perſiſtere curatu difficilem. Unde etiam *Tertiò* monendum eſt, non eſſe remedia ex cauſarum externarum natura metienda, nihil enim indicant. Nam ſic iis quibus

frigus initium morbi attulit, convenire ſemper calefacientia, quod tamen non eſt perpetuò verum, nam ſæpe refrigerantia proſunt; Ex aëre frigido, ut diximus, ſæpe febres, eæque ardentiſſimæ, oriuntur, ſicut & ex balneis nimium frigidis, ſtipatis ſcilicet corporis poris, & retentis fuliginibus, à quibus ſanguis accenditur. Hic ſi populus ut ſolet, calefacientibus pugnet adverſus morbum, tantùm abeſt ut illum profliget, quin potius augebit maximè. Conveniunt in hoc caſu interna refrigerantia, &, ut ſæpe docet *Galenus*, maximum remedium eſt venæ ſectio, *S. Methodi* in diaria ab obſtructione cutis genita ſanguinem mittit, ne putredo ſequatur. Etſi enim externa cauſa frigida ſit, interna tamen cui ſoli curatio debetur, ſæpe calida eſt, & retentis fuliginibus talis evadit.

Cap. XVI.

Quomodo verum ſit mores animi ſequi corporis temperamentum.

QUæ antea dicta fuerunt circa Judicia Aſtrorum & fatum, revocant mihi in mentem errorem admodum familiarem, ſcilicet mores animi ſequi corporis temperamentum, iracundum vocamus cholericum, eumque calidum ſiccum credimus; triſtem

triſtem melancholicum, frigidum ſiccum, & ſic de aliis plurimis, quæ opinio maximam habet in ſe probabilitatem, non eſt tamen prorſus vera. Eâ de re Galenus elegantem ſcripſit libellum. Nam inde cauſam repetit, quare alii ſint timidi, alii audaces, alii inexplebiles, alii ſobrii, alii verecundi, alii impudentes, &c. Unde concludit non eandem eſſe omnibus animæ naturam, ſive temperiem, ſi enim eſſet, idem omnes agerent, & ſimilibus ex cauſis ſimilibus afficerentur affectibus, quod experientiæ contrarium eſt. Ex flavâ bile in cerebro copioſiore fit deſipientia, ex atrâ, melancholia, ex pituitâ & refrigerantibus lethargus, memoriæ & intelligentiæ jactura, ſic ſtultitiam cicuta conciliat, mœſtitiam & anxietatem vinum diſcutit, ſed mediâ temperaturâ, quæ non ſolùm actiones animæ variat, ſed etiam eam à corpore ſejungere exceſſu ſuo poteſt. Plato quoque humiditatem dementiæ, ariditatem intelligentiæ cauſam arbitratur, ſplendor ſiccus animus ſapientiſſimus ſecundum *Heraclitum*. Neminem quoque ait eſſe ſponte malum, ſed ob pravam corporis diſpoſitionem, ideo nec turpia debere vituperari ex Platone. Hipp. libro de aëre, aquis & locis vult boreales & montanos agreſtibus eſſe moribus, Aſiaticos molliores, mitiores, ad agendum promptiores, ſed corpore debiliores,

liores, ob Aſiatici cœli temperiem; unam autem regionem ab aliâ differre temperie. Ideo pueris ante duodecimum annum vino interdicit Plato, ne nimium incaleſcant, & in furorem agantur. Videmus quoque pueros iiſdem parentibus ortos, iiſdem præceptoribus educatos, iiſdem alimentis uſos, naturâ inter ſe differre, quos quis flagitia edôcuit, cum pauci pueri naturâ ad virtutem propenſi ſint, id à temperie habent, quæ primam in utero habet generationem, ab alimentis, & aliis cauſis augetur & fovetur. Singulæ nationes vitia peculiaria creduntur habere, vix ulla urbs eſt in Italia, vix ulla natio in Mundo, quæ non habeat quædam epitheta, ſive falſa, ſive vera; quibus quædam vitia exprimuntur, quibus ſæpe non carent qui ea aliis objiciunt. Id autem varia regionum temperies promovere creditur. Quidam multis illatis injuriis non iraſcuntur, alii minimâ ex causâ incandeſcunt, quia ſanguis fervet circa cor. Imò quodam tempore, & poſt quorundam alimentorum uſum, quidam facili & promptius iraſcuntur, Vigilia & fames bilem in naſum conciunt, Fames humores exaſperat, qui cibi ſuavitate miteſcunt. Alii omnia tua timent; Eſt enim corporis & animæ tanta connexio, ut ſibi invicem conſentiant, & ab animâ corpus, viciſſim hoc ab illâ patiatur. Teſtatur expe-

Digitized by Google

experientia amore, invidiâ, irâ ſimilibuſque paſſionibus corpus macerari, imò immodicâ lætitiâ quidam extincti fuerunt. Diagoras Rhodius apud Agellium, cum tres filios eodem die coronari videret patremque adoleſcentes amplexati eſſent, in manibus filiorum animam præ lætitiâ efflavit. Corpus ebrietati deditum inducit mores ineptos, ſpiritus triſtis, inquit Salomon, exiccat oſſa. Idem judicibus & principibus vini potum prohibet, quod etiam poſtea Plato præceperat. Græci Scythas credebant eſſe ſtultos, ita ut apud eo, unicus fuerit Philoſophus Anacharſis, iidem abderitanos dicebant eſſe fatuos, contra ſuos Athenienſes impensè laudabant. Varia hanc opinionem confirmantia habent Ariſtoteles 2. de partibus animalium, aliique ſcriptores; Hinc artis Phyſiognomicæ fundamenta deducuntur.

Verum hæc opinio experientiæ non eſt prorſus conſentanea. Videmus rationem, conſuetudinem, educationem, mores immutarè; Imò inutiles forent exhortationes, comminationes, pœnæ, præmia, ſi paſſionibus ſuis non poteſt ſapiens dominari. *Ira furor brevis eſt, animum rege, qui niſi paret, imperat, hunc frænis, hunc tu compeſce catenâ.* Virtuti nullus foret locus, aut vitio, nec enim viperis venenum vitio datur, quia id ipſis naturale eſt, ſic nec homini improbo, quod

quod ipſi naturale vitium eſt. Faceſſant leges, diſciplinæ, omnis recta inſtitutio, ſtudium Philoſophiæ, libertas voluntatis, animæ quoque ipſius immortalitas, ſi ipſum eſt temperamentum, aut ab eo prorſus dependet, ſi naturâ nobis mores competunt. Videmus contrarium, rationem ſcilicet pugnare cum paſſionibus appetitus. *Video meliora proboque, deteriora ſequor.* Natura autem ſecum non pugnat, neque ſeipſam vincit per eandem aut facultatem, aut actionem. Quis legiſlator non rideretur, qui vetaret animal fameſcere, aut Scorpionem eſſe venenatum.

Eſt tamen aliquid in priori opinione verum, ſi de propenſionibus intelligatur, quæ ſemina ſunt virtutum & vitiorum. Actiones autem, & habitus, qui eas ſequuntur, poſſunt inſtitutione, diſciplina, conſuetudine, imò & remediis Medicis præcaveri. Non eſt enim temperamentum cauſa adæquata iſtarum actionum, imò nec cauſa ſine quâ non, cum repugnante temperie poſſint exerceri, ſequuntur enim judicium & electionem, ut cauſam potiorem & ſuperiorem. Quædam tamen ſunt quæ ſequuntur præſens temperamentum, nec poſſunt à ratione emendari, nec ſtudio & aſſuetudine, ut delirium, amentia, furor, ut alio capite dicemus. Verum hæ non ſunt perturbatio-

nes

nes aut mores, ſed actiones leſæ, & ægritudines; Primi motus dicuntur non eſſe in noſtrâ poteſtate, quia prævertunt judicium rationis, poſſunt tamen aſſuetudine & educatione prohiberi, ne hominem ſubitò commoveant & adoriantur.

Cap. XVII.

De delirantibus.

NEminem credit populus delirare niſi abſurda minimè cohærentia, & inepta aut dicat, aut faciat, ubi duplex error eſt, unus quia ſilens delirare poteſt, & eſſe phreneticus, alter eſt quia etiam delirare poteſt, qui benè de omnibus ratiocinatur. Prius quod ſpectat, oſtendit experientia delirantium tres eſſe ordines, alii cogitatione ſolâ delirant, alii verbo, qui aliena & abſurda effrenatius loquuntur, alii opere & factis deliria ſua explent. Sic delirabat Antipheron Oritanus, qui ſuam imaginem armatam videbat in aëre, quem ſcribit Ariſtoteles libro de memoriâ fuiſſe inſanum. Ille ſive ſileret, ſive ambularet, ſemper delirabat. Galenus delitium ſuum agnoſcit, cum in lecto feſtucas & floccos colligeret, colloquentes amicos audivit, videtis ut feſtucas colligat, & floccos evellat, tunc ſtatim ille antea ſilens benè compoſitá mente, Cavete inquit amici ne

ne in phrenitidem incidam. Eſt quoque aliud delitium cum febre, & inclinatione ad ſomnum, typhomaniam, vel lethargophrenitin Medici vocant, tunc ſic affecti cogitatione ſolâ delirant, nec verbis, nec opere mentis errorem patefaciunt, & ſolùm ſomnolentos, non verò delirantes vulgus falsò credit. Eſt etiam quædam phrenitis, in quâ cerebrum humoribus bilioſis eſt imbutum, ægri pacatè aut nullo modo moventur, nec delirare videntur, ſunt tamen phrenitici. Hanc phrenitin hecticam vocat Galenus, commentario in ſententiam 33. libri primi prorhetic. Hippocratis, ubi obſervat frequens eſſe hoc delirii, genus, quaſi æger quietus jaceat, videaturque adſtantibus dormire, ſed non ſolùm his, verum etiam Medicis, qui ægrum bene non norunt, & obſervat illorum errorem etiam noſtro ſeculo familiarem, qui eos ſolos phreniticos putant, qui ferociter aut moventur, aut clamant. Atque hoc delirii genus admodum eſt periculoſum, etſi adſtantes ex ſomno illo, quem falsò putant adeſſe, ſalutis ſpem concipiant. Deinde etiam obſervandum, eum apud Medicos cenſeri phreniticum & delirantem, qui de omnibus benè ratiocinari poteſt, ſed tantùm abſono more, ut ab homine modeſto audax reſponſio, malum, ſententia 51 coacarum prænotionum, idem dicendum de loquacitate inſuetâ,

ſuetà, ejuſdem rei crebrâ repetitione, oblivione, vigiliis, crebrâ ſputatione, & aliis ſimilibus, etiamſi æger de omnibus objectis benè loqui, & ſentire videatur, ut paſſim ex Hippocratis & Galeni libris colligere licet.

Cap. XVIII.

Marem non eſſe ſemper fœminâ calidiorem.

PRæcipua, quibus ſexus diſtinguitur, ſigna, ſumuntur à conceptu, partu & educatione fœtus; nam robore & ingenii fœlicitate fœminæ ſunt ſæpe maribus æqui parandę ſi non præſtantiores, ut in rapacium avium genere cernere licet. At quamvis in humano genere Peripatetici viros prætulerint, Plato tamen 7. de legibus viros & mulieres æque idoneos, ad eadem ſtudia natos voluit, eadem utriſque inſtrumenta actionum communium conceſſit. Erravit enim Ariſtoteles cum fœminas monſtra eſſe voluit, nam ſi ipſarum utilitatem ad concipiendum, educandumque partum, ſive numerum ſpectemus, primariò intentam à naturâ fœminæ generationem obſervabimus, ideo peculiaria fœminis inſtrumenta dedit, quæ viris negavit, propter fœtum, quarum partium ratione ſanæ ſunt & morboſæ; ſunt autem partes hæ uterus & mammæ, quæ fœminis ad

ad conceptionem & nutritionem deſtinantur. Errarunt quoque maximè, qui tantùm ſitu partium mulieres à viris diſtingunt, quòd mulieribus reconditæ, viris verò ſint prominentes, nam differentiam adeſſe maximam conformatio partium non ſolùm oſtendit, ſed & facultas diverſa maris & fœminæ, quæ oſtendit partes quoque diverſas eſſe, quibus tales inſident facultates. His prælibatis, Marem ſaltem ſemper eſſe fœminâ calidiorem vulgaris eſt opinio, atque id oſtendunt tum modus generationis, tum actiones. Nam Galenus fœminas voluit frigidis & humidis conſtare principiis, iiſdem cibis & potibus augeſcere, ſtudiis & exercitiis molioribus uti. Hippoc. ſemen vult eſſe robuſtius quo mares, debilius quo fœminæ coaleſcunt. Ariſtoteles ſenes & juniores, fœminas producere ſcripſit, ob ſeminis frigiditatem, potiſſimùm ſi frigidiore diætâ utantur. Mares citius, fœminas tardiùs dearticulari, ob minus ſpermatis robur; Mares quoque in dextris, fœminas in ſiniſtris generari. Lac ipſum ejus quæ fœminam peperit, frigidius eſſe: Barba, latitudo venarum, durities, & ſimilia, marium calorem atteſtantur. Actiones principes ſenſus, motus in maribus vegetiores eſſe ſolent, pulſus quoque vehementior, vox gravis & intenſior, magnanimitas major, ſeminis virtus

virtus potentior. Ex quibus concludunt quemlibet virum qualibet muliere, calidiorem eſſe & ſicciorem, niſi victu calefaciente exercitiiſque quamplurimis mulier temperamentum ſuum immutarit. Verumtamen id non eſſe perpetuæ veritatis. atque etiam mulierem quandam nativo temperamento, quodam viro calidiorem eſſe inde patet. Nam venarum latitudo, arteriarum vehementior pulſus, corporis robur & gracilitas, cutis nigrior & durior, pilorum copia, ingenii firmitas & conſtantia, motus agilitas, vocis gravitas, cæteraque caloris indicia reperiuntur in quibuſdam fœminis, cum contraria reperiantur in quibuſdam viris, ut thoracis anguſtia, corpus glabrum, cutis tenera & alba, timiditas, ſegnities, obſcuritas, & parvitas vaſorum & ſimilia. Nullæne ſunt, quæſo, mulieres bilioſæ, nulli viri pituitoſi, eſtne pituita viri calidior bile mulieris? Unde liquet merito inania eſſe quæ pro virorum majori calore afferri ſolent. Falſum eſt ſemper ex ſemine frigidiori mulieres generari, ſic enim cur viragines non fuere viri, & viri effœminati non fuerunt mulieres. Illę enim ex calidiori, hi ex frigidiori ſemine generantur. Neque perpetuò verum eſt mares omnes fieri in dextra uteri parte, fœminas in ſiniſtrâ, Mares enim ſæpe viſi ſunt in ſiniſtris, ut fatetur ipſe Hippocrat. libro de ſuper

fœtatione. Cur igitur tota differentia eſt in partibus genitalibus? omnes enim aliæ partes ſunt prorſus ſimiles, ſolæ genitales particularem habent organorum apparatum, unde patet ex naturæ intentione fœminam non minùs quam marem generari, cum in unaquâque ſpecie perfecti animalis fœmina ſemper ſit neceſſaria ad generationem. Non eſt quoque perpetuò verum, mares intra uterum citiùs articulari & moveri, id incertum eſſe apparet ex tempore partus, quod mari & fœminæ promiſcuè idem eſt. Reliquæ etiam marium dotes ſupra recenſitæ in quibuſdam tam viris quam mulieribus veræ, in aliis falſæ ſunt. Quidam comparat bilioſam mulierem cum viro bilioſo, pituitoſam cum pituitoſo, & ſic in unoquoque genere virum muliere calidiorem, pituitoſum pituitoſâ, bilioſum bilioſâ, quod inane commentum eſt, oſtendit experientia promiſcuè quoſdam eſſe quibuſdam aliis magis minuſve calidos frigidoſve.

Cap. XIX.

De ſeptimeſtri, undecimeſtri, octomeſtri partu.

Perfectus in mulierum utero fœtus, id eſt robuſtus ſatis, & corpulentus, grandior & calidior exitum affectat, ut externo aëre &

& alimento uberius & liberius fruatur. Uterus quoque, tum ipſius mole, tum excrementorum copiâ gravatus, onus ſuum excutere nititur. In quo opere admiranda eſt conditoris potentia, quam ſatis admirari aut exprimere nemo poteſt, ſolùm hic de tempore partus agemus. Illud autem in humano genere incertum prorſus eſt. Si hiſtoriis credendum eſt, quinque menſium fœtus incolumes etiam diu vixiſſe narrant Hiſtoriæ, Cardanus de duobus id refert, Valleſius, cui magis quam Cardano credendum, cap. 18. libri de ſacrâ Philoſophiâ, natam ſuo ſeculo ait puellam quinque meſtrem, quam duodecim annos agentem vidit. De menſe ſeptimo obviæ paſſim ſunt Hiſtoriæ, ſatis frequens eſt ejuſmodi partus in Galliâ aliiſque, nationibus, vidi varios qui menſe ſeptimo nati dicebantur, eoſqne non infirmos, ſed alacres & robuſtos, octavo menſe natum neminem vivere ſtatuit Hippocrates. Excipiunt Ariſtoteles, Plinius & alii Ægyptum, ob cœli & ſoli benignitatem. Alii addunt inſulam Naxon, quæ una eſt inſularum Cycladum in Mari ægæo, ubi mulieres octavo menſe parere dicuntur, quo liber Pater editus eſſe dicitur. Sed & Plinius & Varro referunt in Italiâ tales partus eſſe vitales, alii in Cypre inſulâ, Nonus verò menſis frequens eſt & ordinarius. Verum etiam naſci

decim

decimeſtres & undecimeſtres, atque etiam ulterius partum protrahi, non ſolùm Hippocrates, Ariſtoteles, ſed & recentiores Hiſtoriæ produnt. Mirum eſt quod ſcribit Plinius. *Veſtiliam C. Herditi, & pòſt Pomponii atque Orfiti clariſſimorum Civium conjugem, enixam eſſe ſempronium ſeptimo menſe, Suillium Rufum undecimo, Corbulonem ſeptimo, Ceſoniam octavo.* Nullus illorum fœtuum ordinario menſe natus eſt. Vulgus credit ejuſmodi mulieres in partus tempore deceptas eſſe, credidiſſe ſe eſſe gravidas uno aut altero menſe antequam forent, quod etſi interdum verum eſſe poſſit, non tamen ſemper. Vidi quæ fœtus motum in utero ſenſerunt per menſes octo, & amplius, quas deceptas fuiſſe probabile non eſt. Tempus partus triplum ad motionis tempus conſtituitur, ut ſi formetur trigeſimo, movebitur ſexageſimo, completis 180. diebus, in principio ſeptimi excluditur. Si formetur quinquageſimo, movebitur centeſimo, & poſt trecentos dies exibit 4. menſe decimo; quamvis hæc proportio admodum incerta ſit, plurimæ mulieres non niſi tardiſſimè infantis motum percipiunt, quem tamen ultra ordinarium tempus non ferunt; Pendet enim motus citior aut tardior à pueruli majori minorive alacritate & robore. Ante ſeptimum menſem vix quiſquam ſolet eſſe vita-

vitalis, nondum ſatis auctis & roboratis partibus, ſeptimo autem menſe perfectus eſt, ideo tunc ſalutariter naſci poteſt, maximè in fine illius menſis, nam accelerari & tardari poſſunt conformatio & partus, pro caloris & virium robore & imbecillitate, ſeminis aptitudine & ineptitudine: ſeptimeſtris tamen vitalis non erit, ſi illi debebatur nonus menſis, ſed commodè diceretur abortus. Cicero ad Attic. lib. x. Tullia mea peperit puellum ἑπταμηνιαῖον. Octimeſtris verò nunquam ſolet eſſe vitalis decreto *Hippocratis & Ariſtotelis*. Verum id mihi non videtur eſſe impoſſibile, varia enim eſt temperies corporum humanorum, ſi ſeptimo & decimo naſcuntur quidam, cur non etiam octavo? qui citius formantur citius naſcuntur, alii tardius. Qui probant proportionem ſupradictam, negare non poſſunt fœlicitatem partus octimeſtris, nam ex Hippocrate formari poteſt die quadrageſimo, ſic movebitur octuageſimo, edetur 240. Octavo menſe. Rationem tamen reddit Hippoc. quare ejuſmodi partus non ſit vitalis, quæ valdè frivola mihi videtur, ſcilicet, quod ſeptimo menſe conatus ſit exire fœtus, unde ſi non potuit, debilitatur, & propterea ſi contingat illum octavo menſe excludi, duos conſequentes labores ferre non poteſt, proindeque moriatur. Malè hic ſupponit omnem

nem fœtum ſeptimo menſe partum conari, quod certum non eſt, cum non omnis fœtus eo menſe ſatis perfectus ſit: ſi eſſet, atque tunc exitum affectaret, eoque fruſtraretur, ob imbecillitatem aliiſve de cauſis, non poſſet in utero per duos treſve menſes naturaliter amplius contineri, ſed continuè in dies debilitaretur, nec vires octavo menſe recuperaret, ut malè ſcripſit Hipp. ſed potius debilior fieret, cum nec locum ſatis amplum, nec ſufficiens habeat alimentum, nec ſatis tranſpiret, nam ſi hæc adfuiſſent, nunquam ſeptimo exitum affectaſſet. Satius eſt dicere poſſe mulierem etiam octavo menſe parere. Nec dubito plurimos eſſe ejuſmodi partus, ſed malè deceptas matres credimus, cum habuiſſent omnia probabilia graviditatis ſigna. Quis credet in Ægypto, & Naxo Inſulâ, aliam eſſe naturæ rationem, quæ alibi non eſt, atque illam regionem habere peculiarem generandi rationem, quæ arcticis, & antarcticis denegata fuerit. De reliquis menſibus ſupradictum fuit. Ita ut concludendum ſit cum Plinio & aliis mulieri nullum eſſe certum pariendi tempus, nam à ſeptimo ad undecimum, & decimum quartum quidam illud extendit, ſed hoc rariſſimum.

Caput XX.

Mulierem ſine menſtruorum fluxu poſſe uterum gerere, quomodo ſit intelligendum.

MUlieribus quidam ſanguinis fluor adeſt, quem reliquorum animalium fœminis natura denegavit, quia in ſquamas, pennas, pilos, & per varios motus, ſanguinem abſumunt, ex vulgari Medicorum opinione, cum tamen mares non minus quam fœminæ habeant ſquamas, pennas, pilos. Sola mulier habet, quia minus laborat, vitamque domi degit ſedentariam, ipſiuſque ea eſt temperies, ut ſanguinem plurimum gignat, minus reſolvat, ob minorem caloris vim & vitæ inſtitutum, quem ſanguinem ideo menſtrualem vocamus, quia ſingulis menſibus excerni ſolet, aliàs mulier ægrotabit; Iſque quibuſdam citiùs, aliis tardius contingit, pro fœminarum natura & educatione. Quibuſdam ante duodecimum prorumpit ob vaſorum amplitudinem, carnis mollitiem, ſanguinis copiam. Aliis quæ ſunt graciles, & pauci ſanguinis, & quibus vaſa ſunt anguſtiora, non ante decimum octavum. Pariter caſta educatio remoratur, laſciva promovet; nam marem appetunt, ubera exurgunt, vox gravior fit; Eademque ætate pueris narium hæmorrhagiæ, puel-

puellis menſtrua profunduntur, ſed tamen etiam quibuſdam anno undecimo profluxerunt, referuntque hiſtoriæ viſas fuiſſe decennes gravidas. Non eſt enim certum vacuationis tempus, ſed varium, nam ætas ab ætate, natura à natura differt. Cum igitur redundare ſanguis incipit, moveri incipiunt menſes, eſtque hic ſanguis interdum probè coctus, interdum crudior & ſubalbidus; Deſinunt quoque ut plurimùm anno 45. interdum citiùs, raró ulterius profunduntur. Sic pariter quibuſdam brevius ad tertium diem, aliis tardius ad ſeptimum uſque profluunt. Quod excedit, aut deficit morboſum eſſe ſolet. Suas quidem leges Natura nunquam niſi alterata & mutata pervertit; Quamvis enim ſanguinem hunc ſingulis menſibus vacuare cupiat, viæ tamen non ſunt ſemper æquè expeditæ, nec ſanguinis natura & quantitas ſemper eadem, ideo non ſemper eandem legem natura ſervare poteſt, ſed ſæpiùs interdum ſingulis menſibus, interdum tertio tantùm menſe vacuat, pro variâ individui conſtitutione. Aſſervat enim, donec copiâ, aut qualitate ſtimulet, unde pro vitio ſanguinis & viarum, anteveitit, remoratur, aut citra ordinem vacuatur. Menſura quoque certa non poteſt ſtatui ob naturarum & vitæ rationis diverſitatem, æſtimari tantùm debet ex mulieris *euphoriâ*,

ſi ala-

ſi alacrior, non debilior fiat. Ut plurimum cotylas binas, aut duas hæminas atticas, tridui ſpatio excretas menſuram tanquam regulam conſtituit Hippocrates, ut inde exceſſus defectuſve cognoſcere poſſimus. Hunc ſanguinem putarunt veteres eſſe perniciоſum, quoniam mulieres, dum fluit, minùs benè valent. Plinius, Columella, Solinus, Ælianus, & inter recentiores Fernelius aliique varia illi mala adſcribunt, ideo Moſis atque etiam Zabrorum legibus menſtrualis mulier ſeorſim domi vivere jubebatur, ne alios inficeret & pollueret. Sed Medici credunt multorum morborum eſſe remedium, podagræ, ſtrumarum, parotidum, ignis ſacri, furunculorum, &c. & ſolâ copiâ eſſe vitioſum. Nam Hippocrates ſupracitatus vult eſſe ſanguini victimæ jugulatæ ſimilem, ſcilicet rubentem & citò concreſcentem. Talis eſſe debuit, cum ſit alterum generationis noſtræ principium. Ideò quoque & fœtus alimentum ex eodem fit ſanguine, ſic lactantibus deficere ſolet; Eſt autem lac purior ſanguinis portio, ideo quia purioribus conſtant principiis pueri, parentes ſuos calore ſuperant, unde ſenes ſeipſis robuſtiores generant fœtus. Quæ autem vitia illi tribuuntur, non ex ipſius naturâ, ſed ex conceptâ putredine oriuntur, quò enim purior res quæpiam eſt, eò majus vi-

tium dum corrumpitur concipit, quod in humani cadaveris putredine accidere ſolet. Cum enim non affatim, ſed ſenſim à naturâ deponatur, tandem intra menſtruum ſpatium vitiari poteſt, ſiquidem facilè alteratur, citius tamen in iis quæ cacochymæ ſunt, aut pravo aliquo morbo laborant: in reliquis purus eſt & integer ſanguis, in gravidis fœtui alimentum, in aliis ſuo tempore menſtruus futurus, ſed ob moram interdum vitiatus prodit. Quibuſdam autem mulieribus menſes nunquam fluxere, quarum nonnullæ conceperunt, aliæ nequaquam, quædam ſanæ permanent, aliæ graviter ægrotant. In omnibus ablata eſt uteri actio. Non videtur poſſe fœmina ſine hâc menſtruorum vacuatione concipere, ſi enim ad fœtus generationem & alimentum deſtinatur, quomodo concipiet cui hæc deſunt. At brutorum fœminæ quæ menſtrua nunquam habent, & ſæpiùs & plures fœtus generant. Idem mulieribus contigiſſe variæ referunt Hiſtoriæ. Refert *Rondeletius* ſe vidiſſe Montalbani mulierem, quæ nunquam menſtrua paſſa fuit, & tamen peperit duodecies. Guainerius cap. 2. de affectibus matricis. *Mulier*, inquit, *ſi propter ipſius caliditatem aut naturalem ſiccitatem, menſtrua non habuerit, in eâ menſtrua retineri non dicimus, imò potius menſtruis carere, ſicque ſterilitatem*

tem in eâ prognoſticare debes, aliud nihil, eſto. Ille Medicinæ verus interpres Iacobus de Forlivio, ſuper primâ primi, (ſcilicet Canonis Avicennæ,) *mulierem carentem menſtruis poſſe concipere monſtravit apertè. Et adoleſcentulam prægnantem quæ nunquam menſtraverat in meâ curâ habui, aliam quoque, quæ partus plures edidit, nec menſtrua niſi tempore partus videbat unquam.* At hæc lochia erant, non menſtrua. Ille autem Jacobus de Forlivio à Guainerio citatus ſic Scribit. *Dixit mihi quidam fide dignus Marſilius de Sanctâ Sophiâ, ſe vidiſſe Papiæ puellam prægnantem, quæ erat præcisè annorum octo, & Marſilius ſeu Gentilis fatetur ſe vidiſſe mulierem quæ nunquam emiſit menſtrua, plures tamen impregnata fuit, & partus ſuos ad lucem eduxit.* Variæque ſunt apud alios authores ejuſmodi Hiſtoriæ. Ariſtoteles autem 7. de Hiſtoria Animalium cap. 2. *Conceptus*, inquit, *mulieribus à profluvio menſtruorum ſuâ naturâ contingit, & quæ iis carent, ſteriles magnâ ex parte exiſtunt, verum fieri poteſt, ut aliquæ etiam ſine eorum profluvio concipiant, videlicet quibus tantùm humoris colligitur, quantum iis quæ purgantur reſtare ſolet, quanquam non tantâ copiâ, ut & foras poſſint profluere, intus tamen ſatis eſt.* Verum rem totam non explicavit Ariſtoteles, nam deſunt menſtrua

H 4 vetu-

vetulis, quæ concipere nequeunt, etſi tantum illis adſit ſanguinis quantum aliis poſt purgationem. Illud igitur, ne quis forſan in hoc caſu decipiatur, ità explicandum cenſeo. Mulier quæ naturâ ſuâ eſt, aut futura eſt menſtrualis, concipere non poteſt, ſi ipſi non adſint menſtrua, 1. ætate ut in vetulis prædictis, aut in junioribus, quibus nondum circa uterum colligitur ſanguis. 2. obſtructione, ut in multis quibus prodire nequeunt. His quia & generationi materia, & fœtui alimentum aditu prohibetur, generatio nulla ſuccedit, concipere niſi reſerati ejuſmodi obſtructione nequeunt. Et hoc ſenſu vulgaris ſententia vera erit. Aliæ ſunt quibus menſtruis carere naturale eſt, hæ tamen concipere poſſunt, ſi tantùm illis colligatur ſanguinis, quantum iis quæ purgantur reſtare ſolet, quia non ab obſtructione, ſed aliis de cauſis menſtrua non habent, & quia vias non habent obſtructas & impeditas, non prohibetur ſanguinis ad genituram acceſſus, quâ ratione brutorum fœminæ ſine menſtruis concipiunt. Si tamen hæ obturata etiam haberent ora vaſorum, ſteriles forent. Sic quoque puellæ quæ concepiſſe dicuntur, etſi menſtrua nondum haberent, habebant tamen & ſanguinis ſatis, & vaſa ſimul libera, non obſtructa, unde quæ pallidis coloribus laborant, vix concipiunt, donec reſerati

rari hæ obſtructiones incipiant, accedente partu ex liberali ſanguinis evacuatione curari ſolent.

CAPUT. XXI.

De vanitate anni climacterici.

NOn noſtri tantùm ſeculi, ſed & veterum antiquiſſimus hic error eſt, quem propter nimiam antiquitatis reverentiam pauci falſitatis arguere auſi ſunt. Nimia tamen hic vanitas eſt, quam quotidiana refellit experientia, nam omni ætate à pueritiâ ad extremam ſenectutem varios mori contingit, & ſi quis ſexageſimo illo tertio, qui climactericorum præcipuus eſt, quemque ſolum plurimi norunt, moriatur, non ratione illius moritur, ſed aliis de cauſis, propter quas & ante, & poſt mori potuiſſet. Nec qui exceſſit hunc annum tutus eſt à ſequenti, niſi etiam ſe tutum præſtet à morbificis cauſis internis externiſve. *Nemo tamen tam Divos habuit faventes, Craſtinum ut poſſit ſibi polliceri.* Sanè quum omnes undique cauſas conſidero, propter quas aliquem mori aut ægrotare contingit, nullam invenio quæ in annum illum potius quam in alium reduci debeat. Mors duplex eſt, una in extremo ſenio contingens, quæ rariſſima eſt, at hujus cauſa non eſt ſexageſimus tertius aut

alius quilibet climactericus, quia multi hoc modo illis annis non moriuntur, & ſi quibuſdam id contigerit, non ratione ipſius anni: Ejuſmodi enim mors ex abſolutâ conſumptione humidi radicalis proficiſcitur, unde vita variam habet periodum ſecundum complexionis diverſitatem, nam in quibuſdam citius, in aliis tardius deficit: Alia eſt mors quæ morbos ſequitur, eſtque frequentior, raro aliter quiſquam naturaliter moritur, hujus etiam cauſa nequaquam eſt annus ille climactericus, ſi annus quiſpiam morboſus eſt, cur potius huic quam illi? Nam annus quatenus annus, non eſt cauſa morbifica, ſemper enim foret, cum quilibet annus ſit quibuſdam ſexageſimus tertius. Nec probabile eſt hominem eo anno magis eſſe ratione ætatis ſuæ ad morbum periculoſum & lethalem proclivem, quam erit anno ſequenti, oſtendit enim experientia multiplex, & à me per annos plurimos obſervatum, multos elapſo fatali hoc anno, ſequenti uno aut altero ex morbo periiſſe. Si annus ille qua climactericus eſt, eſſet morbifer, omnis annus talis eſſet, quia omnis annus eſt climactericus quibuſdam, ſic omnes anni habebunt eaſdem vires, quod eſt abſurdum, cum anni quidam ſint admodum ſalubres, alii morboſi; ſi diſpoſitio ad morbos periculoſos eo anno major eſt, mirum quomodo plurimi

rimi incolumes evadant, ſequentibus annis minimè climactericis ægrotaturi, & ſi malè curentur perituri. Hyems ſenibus admodum periculoſa, poteſt uno anno eſſe minùs aſpera, quæ ſequenti erit rigidiſſima, in priori omnes climactericum agentes melius degent, in ſequenti, illo priori elapſo, pejus. Quo ſenior eſt quiſque, eò imbecillior ſeipſo in dies evadit, & ad morbos ſeniles ſuſtinendos ineptior, & ſic periculoſius ægrotaturus ſexageſimo quarto & deinceps, quam ſexageſimo tertio. Cum igitur nec ratione ipſius anni, quatenus annus, nec ratione cauſarum morbificarum internarum externarumve magis hoc anno quam ſequenti ægrotet, meritò inane commentum ille annus videtur, cum quilibet annus morbificus eſſe poſſit, cujuſcunque demum ætatis homo fuerit. Nec rationem videre poſſum, cur ſaluber non poſſit eſſe annus 63. Titio, æque ac Sem pronio juniori. Poteſt hic ex imbecillitate temperiei, hoc anno ægrotare; alter etſi ſenior ſanus eſſe, contrarium tamen ſi huic anno vis ulla eſt, accidere deberet. Adde quod in horum annorum numeratione omittuntur ſemper novem illi menſes, quibus in utero fœtus latitat, attamen à principio generationis incipiunt motiones cauſarum naturalium, quæ nos ſenſim ad ſenium & interitum deducunt, ita ut

elapſus ſit climactericum, qui in eo ſe eſſe putat. Ut Auguſtus Cæſar evaſerat jam periculum quod timebat, cum in eo ſe verſari credebat. Mihi videtur ſimilis eſſe ſuperſtitio eorum. qui dies fauſtos & infauſtos obſervant, ad iter, aut rem aliquam inchoandam, certas quoque feſtivitates, quibus ſi pluat, vel cœlum ſerenuum ſit, ſibi ſpondent ſterilitatem, &c. *Si Sol ſplendeſcat Maria purificante; Major erit glacies poſt feſtum quam fuit ante.* Cum tamen feſtum hoc in diverſa tempora incidat in Galliâ, Hiſpaniâ, Italiâ, quam in Angliâ, ubi hos verſus audivi. Qui iſtos climaces ad numeros referunt, quem numerum annorum eligere debeant, probè non videntur explicare. Sexageſimum tertium climactericum eſſe ajunt, quia conſtat novem Septenariis. At pariter dicerem conſtare ſeptem novenariis, ſic nonus æquè ac ſeptimus erit climactericus. Sed quâ ratione incertum eſt, quare ternarii non ſint æquè climacterici, ac novenarii, aut denarii. Sic octuageſimum primum dicit Valleſius eſſe climactericum, quia conſtat novies novem. Sic non ſeptimo, ſed nono attribuitur virtus. Sic pariter dico decimus erit climactericus, nam nonageſimus habet ſecundum illos decies novem, at dico ego habere novies decem. Sic facilius & verius dicere poſſumus, quoſlibet annos eſſe climacte-

macτericos, quia ad mortem ſenſim per gradus properamus, & ſequenti anno propiores ſumus quam hoc; aut nullos eſſe peculiares, & utrumque propter rationes dictas verum eſt. Tam varia eſt ſupputatio iſtorum climacterum, ut facilè pateat quoſlibet annos poſſe æquè climactericos eſſe quam ſeptimum nonumve.

CAPUT XXII.

De iis qui non diſtingunt pingues à carnoſis.

PIngues pauciorem habere ſanguinem quam graciles multi non ſine ratione credunt, & ſic minus facilè tolerare venæ ſectionem, Præpingues & obeſi anguſtas habent venas, & paucum ſanguinem, ideo difficiliùs venæ ſectionem ſuſtinent; Hic diſtinguendi ſunt pingues à carnoſis; non enim omnes obeſi habent venas tenues, ſed quidam habent valdè latas cum carnis abundantiâ, atque etiam cum multâ pinguedine; qui habitus dicitur euſarcos, & ſi modum exceſſerit Athleticus, quia olim Athletæ illum ſibi victu polytropho conciliabant, & hos citò venæ ſectione evacuandos vult *Hipp.* ne ſanguinis copiâ ſuffocentur. Spectatur conſtitutio corporis in carnoſæ ſubſtantiæ craſſitudine, aut gracilitate, quâ ratione

tione quidam ſunt craſſi, alii graciles, nonnulli quadrati, ut Athletæ, aliique multi paſſim occurrunt, avidè comedentes, probè coquentes, multum ſanguinem generantes, qui etiam ſimul multum pingueſcunt, ſuntque plurimi illorum validi, niſi ſagina vires obruat & reſpirationem difficilem reddat. Vocatur hæc εὐεξία bonus habitus, optima corporis conſtitutio & perfectiſſima ſanitas, in quâ eſt omnium actionum robur, carnis & corporeæ molis ſymmetria. Sed qui cum venarum parvitate pinguiores ſunt, illi parum habent ſanguinis, & venæ ſectionem cum periculo ſuſtinent. Quod cum experientia quotidiana oſtendat, id ſolùm hoc loco addidi, quia vidi plurimos craſſiori corporis habitu, corpulentos, euſarcous, venæ ſectionem nolle pati, quia ſibi pingues videntur, cum tamen ſint plethorici, & ex abundantiâ ſanguinis periclitentur. Febris Synochos quæ à ſanguine fit, ſolos eos occupat, ex Galeno, qui ſanguine abundant, carnoſi ſunt, corpulenti, denſo & firmo corporis habitu præditi, qui tum ætate, tum naturâ, tum acquiſititio temperamento calidi ſunt, iiſque venæ ſectionem copioſam ad animi uſque deliquium præſcribit. Nequaquam verò eos attingit, qui graciles ſunt, etiamſi multo ſanguine abundent. Multò minus eos, qui temperamento, aut ætate frigidi ſunt.

CAPUT XXIII.

Parvitatem cordis non eſſe ſignum aut cauſam Animoſitatis vel audaciæ.

QUin à calore cordis animoſitas proficiſcatur, nemo quod ſciam unquam vertit in dubium inter ſigna calidi cordis audacia, & ad actiones promptitudo reponuntur; Sed præterea pulſus & reſpirationis magnitudo, thoracis & vaſorum ſcilicet arteriarum amplitudo. Hæc autem fieri non poſſunt, niſi vaſa magna fuerint, nam pulſus magnus in parva arteriâ fieri nequit, nec in parvo corde, nec magna reſpiratio, niſi thorax magnus ſit. Scilicet inter hominem ejuſdem ſtaturæ, qui & thoracem & arterias habet ampliores, pulſum majorem, ille cor amplius habet, & altero animoſior vel audacior eſt. Cor ſe habet ad pectus ut cauſa finalis & efficiens. Finalis quia cor magnum magnâ eget dilatatione, cui reſpondere debet pectus amplum & contra; Ideo enim factum eſt, ut cor contineat & defendat. Efficiens verò, quia calorem generationis opificem ſubminiſtrat, calor autem quo amplior eſt eò magis dilatat, & amplificat, ut rectè obſervat Gentilis in Avicennæ lib. tertium. Amplitudo partium ſequitur formatricis robur & materiæ copiam; Forma-

trix

trix autem calore utitur, cujus influxus à corde plurimus eſt. Hæc partes has format ut commodè inſerviant principibus, unde ſi hæ calidæ ſint, & magnas eas facit, & magna vaſa illis tribuit. Amplitudo igitur iſta facta eſt, ut calidioribus iſtis partibus vaſa poſſint inſervire. Probabile eſt eandem eſſe cordis & cæterorum viſcerum principalium rationem. Caput majus parvo præſtantius eſt, modo magnum ſit ob inſitæ virtutis robur, quæ multam materiam optimè formaverit. Hoc autem indicat figura concinna, ſi valida ſit cervix, nervoſa ſubſtantia craſſa ſit & ſolida, boniquе habitus. Idem in corde conſiderandum eſt, num commoda & laudabilis ſit conformatio thoracis & reliquarum partium; Hepar quoque calidum vaſa habet majora, Frigidius verò minora; qui magno ſunt hepate ſolent eſſe voraces, & potenter ſanguinem conficiunt. Ita de teſtibus & aliis partibus ſentiendum, modo concinna ſint omnia & benè conformata, nec modum reliquo corpori debitum excedentia. Major eſt caloris nativi vis in magnis partibus quam in parvis. Scripſit quidem lib. 3. de part. anim. cap. 4. Animalia quibus cor magnum eſt ea eſſe timida, quibus parvum audacia, ut de lepore, mure, Cervo. Verum non eſt meo judicio comparatio facienda unius animalis ad aliud diverſæ,

verſæ, ſed tantum ejuſdem ſpeciei. Sic probabile eſt in ſingulis ſpeciebus ea animoſiora eſſe quibus cor majus eſt, ut in genere canum, leporum, cuniculorum, &c. Lepus cani & nobis videtur animal timidum. At inter ſeſe ferociſſimè decertant, ſic & galli gallinacei, tunc timiditas omnis abeſt. Homini quoad proportionem majus eſt cor, quam reliquis animalibus, uti cerebrum & hepar ajunt quidam Anatomici. Sic homo timidiſſimum foret animal, quod tamen verum non eſt. Quin contra quia cerebrum habet ampliſſimum & ingenioſiſſimum eſt animal, ſic quia cor habet ampliſſimum erit audaciſſimum. Non intelligo hic quamlibet promptam citoque placabilem iracundiam, quæ in parvo corde eſſe poteſt, ſed virtutem, ſcilicet magnanimitatem, fortitudinem, ſimileſque virtutes ejus aſſeclas ad appetitum iraſcibilem pertinentes, cujus ſedes cor eſt.

Caput XXIV.

De Lupo ulcere.

GEnerari in ulceribus præſertim tibiarum animal quoddam quod carnibus pullorum, gallinarum, vitulorum paſci debeat, & inde Lupum ob voracitatem vocari quidam ſimplices credunt. Verum quidem

eſt

eſt in ulceribus quibuſdam vermes generari, ſcilicet in putridis, ſordidis, aut neglectis, ex putredine excrementorum, vel quia pars inſigni cacochymiâ laborat, vel quia collectus in ulcere humor non difflatur, verum his nec ad incrementum, nec ad mitigationem carnes exhibendæ, ſed potiùs interficiendi ſunt amaris, ſiccantibus & detergentibus. Sed ſunt præterea ulcera quædam valdè maligna, corrodentia ab atrâ bile generata, quæ à ſanie ad carnem, dein ad partes molles, venas, arterias, nervos, tandemque ad ipſa oſſa contagione ſerpunt, & erodunt, in cruribus lupi, in facie, noli me tangere, vocantur, non quod illic ullum animal ſit, quod humoris ferocia potius extingueret ſed quod ſanies ipſa acris & erodens partem, animalis voracis inſtar abſumat, quidam etiam ideo vocant phagedenam, eſtiomenon, quamvis etiam alii differentiam quandam inter hæc faciant. Sunt ulcera cancroſa, fœda & aſpectu horrenda, quæ ubicunque ſint *noli me tangere* vocari poſſent, quia vix unquam ſaneſcunt. Guido & alii ad humoris ferociam edomandam carnes gallinarum recentes apponunt, quas quia devorare dicitur, cum illæ tantùm putreſcant, & non abſumantur, lupus à populo dictus fuit; Potuiſſet æquè vocari vulpes aut canis.

CA-

Caput XXV.

Melancholiam non ſemper fieri ab humore melancholico.

Melancholia non humorem hoc loco, ſed morbum ab humore melancholico factum ſignificat, quia hunc ſolùm humorem illius cauſam eſſe multi putant, ad hunc ſolum remedia omnia dirigunt. Vocant delirium ſine febre cum timore & mœſtitiâ ſine causâ manifeſtâ conjunctum. Longus, contumax, & varietate multiplici admirabilis affectus eſt. Non tamen ſemper ab hoc humore ejuſve vaporibus fieri, plurima oſtendunt; videmus enim primò hoc ſymptomate vexatos ſæpè non habere humoris iſtius prædominantis ſigna, imò cujuſlibet temperiei homines ſic affici interdum poſſe, ex ſolâ intemperie, aut cerebri, aut Spirituum. Hippocrates ſolius timoris & mœſtitiæ meminit, cum ſigna recenſet. *Timor & mœſtitia* inquit, *ſi longò tempore perſeverant, illud eſt melancholicum*, ubi delirium omittit, & rectè; non ſemper enim delirant, alios videmus mœſtos eſſe, omnia tuta timere, etſi circa unum tantùm delirent, quod oſtendit timorem illorum non procedere ab objecto illo, circa quod mens errat; & certè non eſt neceſſarium, ut timorem & mœ itiam delirium

rium ſequatur, aut ut hæc ſequantur delirium. Familiare eſt videre mulieres adeo propter peccata ſua triſtes mœſtaſque quæ tamen non delirant, etſi adeo interdum angantur animo, ut mortem ſibi, niſi præcaveantur, inferant, ex vehementiori ſolâ apprehenſione objecti ejuſmodi terrifici. Ad id non eſt ſemper neceſſarius humor melancholicus, ſufficit ſola temperies, & ſenes ſunt meticuloſi propter ejuſmodi temperiem, quamvis non delirent. Aliud eſt eſſe meticuloſum, aliud delirare, poteſt delirium eſſe ſine metu, hic verò ſine delirio. Omnes ſenes ſeipſis junioribus ſunt timidiores, avariores, tenaciores, non ſolùm propter multiplium rerum experientiam, ſed etiam propter temperiem immutatam. Qui frigidum cor habent & ſiccum, ſic & cerebrum, timidi ſunt naturâ, eſt enim etiam hæc melancholia paſſio cordis, & omnes mœſtitiâ affecti anxietatem circa cor perſentiunt, ſicut pariter omnes qui ex occaſione manifeſtâ graviter triſtantur; pathemata enim omnia gravia cor afficiunt. Matthæus Ferrarienſis com. in IX. almanſoris autoritate Rhazis vult cogitationes fortes & longas adducere ad hanc paſſionem, non immutando realiter complexionem, & homines fieri triſtes, quando non poſſunt conſequi effectum rerum de quibus cogitant. Videmus quam

ſæpe

ſæpe irrito conatu ejuſmodi melancholicos torqueant Medici, purgationibus, variiſque aliis remediis, qui ſtatim poſtea curati ſunt, mutatâ ſolùm imaginatione. Quidam qui ſine capite ſeeſſe perſuaſerat, impoſito capiti pileo plumbeo ſanatus fuit, à Philotimo Medico, ut refert *Aëtius*. Sed Trallianus aliter hiſtóriam deſcribit. Philodotus Medicus, quendam qui ſibi caput amputatum eſſe putabat, quod tyrannus factus fuiſſet, curavit, impoſito repente capiti pileo plumbeo, gravitatem ſentiens caput ſe recepiſſe rurſus putavit, gaviſuſque eſt plurimum, & vanâ imaginatione liberatus; abſque ullâ humoris purgatione, alteratione, ceſſarunt ſtatim mœſtitia, timor, falſa imaginatio, ſucceſſit gaudium, quod non potuiſſet fieri ſi tenax ille & contumax humor adfuiſſet. Mulier ſerpentem ſe devoraſſe putabat, medicus vomitum provocat, in id quod rejectum fuit, ſerpentem impoſuit, ſtatim diſcuſſa eſt triſtitia omnis, gaudium ſucceſſit; Alia mulier ex longâ viri abſentiâ melancholiâ correpta, eo præter ſpem reverſo, gaudio affecta, omni metu liberata eſt, abſque ullâ curatione ad naturalem ſtatum rediit, ut idem Trallianus fuſius explicavit. Variæque occurrunt ejuſmodi hiſtoriæ. Unde patet non eſſe ſemper ejuſmodi imaginoſos remediis vexandos, quæ corpori noxam, menti nullum afferunt ſolatium.

ſolatium. Non enim ſemper in humoribus, ſed in ſolâ intemperie, aut etiam ſpiritibus cauſa latitat, quibus vel ſopitis, vel aliò procul à corde & cerebro ablegatis affectus ceſſat, triſtitiæ ſuccedit gaudium. Nihil enim ejuſmodi ſubitis motibus obedire poteſt præter Spiritus. Intemperies tam citò abire, aut humor tam contumax evacuari, naturæque ſuæ perniciem amittere nequit, maximèque in malo per longas temporis moras confirmato. Cum igitur oſtendat experientia melancholicos benè ratiocinari, licet timeant & triſtentur: At melancholia non juvat diſcurſum, ſed claritas ſpirituum. Rhazis in 1. continentis inquit, *Dico quod aliquando exiſtit melancholia humoribus exiſtentibus bonis, & non indiget, habens hanc diſpoſitionem, aliqua medicinâ, & hoc eſt quando aliquis cum aviditate cogitat de aliquo facto, & mutatâ ſolâ phantaſiâ, verbis vel alio ingenio curantur.* Avicenna etiam fatetur fieri poſſe ab intemperie ſine materiâ. Præterea addendum, quod ſæpè demon his affectibus addit ſe comitem, cui fruſtra Medicinam quis adhibeat, quâ ratione veteres in hoc humore, (potius morbo dicerem) adeſſe θεῖόν τι exiſtimarunt. Rhazes & Trallianus referunt vidiſſe ſe melancholicos qui futura prædixerint, notatque Avicenna quoſdam melancholicos adeò ſtupenda interdum efficere, ut

ut vulgus eos dæmone obſeſſos putet. Refert Guainerius quendam melancholicum carmina in lunæ combuſtione ſemper facere ſolitum, quæ alias non poterat. *Ego Pinaroli*, inquit, *vidi, quendam ruſticum melancholicum qui ſemper luna exiſtente combuſtâ, carmina componebat, & tranſactâ combuſtione circa duos dies, uſque ad aliam combuſtionem, verbum nunquam ullum litteraliter proferebat, & hunc mihi nunquam didiciſſe litteras ajebat. Hoc quoque Gentilis in quæſtione de incantationibus & colli ſuſpenſionibus affirmat, cum inquit famoſum eſt multos & multas, qui nunquam prius litteras cognoverunt, ſubitò litteraliter loqui, &c.* Hæc Guainerius. Quot noſtro ſeculo viri docti, ſtryges, veneficaſve condemnare recuſarunt, credentes humorem melancholicum ipſarum imaginationem depravaſſe, & vanitates varias impreſſiſſe. Sed hic anima humana & ruſtici, potentior ipſo dæmone fingitur, nam niſi Dæmon carmina facere, & peregrinas linguas didiciſſet, nunquam in promptu ea proferret, non eſt probabile eum in principio ſuæ creationis natum fuiſſe pœtam, & idiomata omnia quibus nos nunc utimur, herbarumve nomina virtuteſque calluiſſe, imò multa verum eſt eum ignoraſſe, quæ experientiâ & ratiocinando inveſtigavit. Obſervat Plutarchus Apollinis verſus

verſus fuiſſe malos & ineptos, nec comparandos Homeri & Heſiodi verſibus, lib. de defectu oraculor. Scythiæ. Quamvis igitur multi venefici forſitan melancholici ſint, (quod tamen non eſt neceſſarium) peregrinis tamen linguis loqui, futura prædicere, ſine dæmonis boni maſive ope nequaquam poſſunt. Quomodo erit in ore, quod nunquam fuit in mente, & in mente quod nunquam fuit in ſenſu; ſic depravata phantaſia, ſanâ & integrâ foret potentior; humores peccantes, intemperieſque præter naturam perfectiorem redderent hominem, quod eſt abſurdum. Vult tamen idem Guaynerius (homo ſuo ſeculo doctiſſimus) rem iſtam poſſibilem probare, ſuppoſitis his fundamentis. 1. *Animas omnes eſſe æquales*, quod verum eſt de ſubſtantiæ perfectione, non neceſſarium eſt de accidentariâ, qualis eſt hujus vel illius reĩ cognitio, quæ in unâ animâ potuit eſſe major, quam in aliâ. 2. *Scientiam noſtram eſſe tantùm reminiſcentiam*, quod etiſ falſum ſit, ſi tamen verum foret, non ſequeretur æqualem eſſe ſingularum animarum cognitionem, & animas facit corpore priores, quod eſt hæreticum. Verius eſt quod ſcribit Ariſtoteles animam eſſe tabulam raſam. 3. *Eo inſtanti quo anima infunditur corpori praeſſe unam ſtellam qua non aliunde impedita influit in animam illam,*

illam, quas in ſe habet proprietates, ex Ptolomæo. Et niſi ſic eſſet, non videretur ratio, quare unus homo ad unam, quam ad aliam ſcientiam potius inclinaret. Et hanc opinionem Avicenna ſic firmiter credidit, ut velit quod per talem influxum aliqua interdum anima talem proprietatem, acquirat, per quam anima tales producere poſſet effectus, quos illa ſtella poteſt, ut ex ſano ægrum facere, & contra, pluvias & nives, &c. Ubi ſupponit ſtellam illam eſſe cognitione præditam, atque hanc communicare animæ illi cui præeſt; Unde fit igitur tantus ſtultorum ignorantiumque in toto mundo numerus, unde tanta opinionum ſententiarumque varietas, ſi ſtellæ quæ omnium noſtrum conceptioni præſunt tam ſunt eruditæ, tam variis inter ſe opinionibus diſſidentes, quas nos ipſis ſubditi fovemus? An opifex Mundi unius veritatis autor, illas voluit aut juſſit etiam mendaces falſaſque opiniones animis noſtris infundere? quod impium eſt imaginari, ſtultum credere. Mirum eſt multos homines eſſe tam impotentes, ut non poſſint ſtellæ illius ſub cujus imperio nati ſunt, vires illas admirandas imitari, nemo mortalium natus unquam fuit, cujus conceptioni & nativitati ſtella aliqua non præfuerit.

4. *Supponit animam intellectivam corpore exutam, omnia intelligere ſine diſcurſu, quia*

 orga-

organa non habet quibus impediatur, unde vult in ecſtaſi eam ſenſibus ligatis omnia intelligere ſine diſcurſu, cum non plus impediatur, quam ſi à corpore foret ſoluta. Quæ omnia falſa ſunt, ut eam intelligere ſine diſcurſu, dein etiamſi id facere poſſet, non ſequitur illam ea intelligere, quæ nec revelata ipſi ſunt, nec experientiâ comperta, cum ipſi Angeli ultra non poſſint progredi. Multò minùs quicquam propriâ virtute in corpore intelliget, quantumvis extatica fuerit. 5. *Supponit ſtellam qua praeſt anima perfectius influere in illam ſenſibus ligatis quam ſolutis, quia minor eſt tunc reſiſtentia. Tunc ſcientia ad quam ſtella inclinat perfectius infunditur in animam.* Quæ ſuppoſitio ſtulta eſt, tum quia anima quatenus à corpore ſoluta non ſubeſt influxui ſtellarum, quæ corpora ſunt, ipſa verò ſpiritus eſt, influxus ſtellarum eſt in ſola corporea. Nec Angeli nunc, nec anima poſt mortem unquam ſubdita erit ejuſmodi virtutibus rei inanimatæ, qualis ſtella eſt, nec etiam ipſius intelligentiæ. Quare huic magis quam Angelo cuſtodi, aut aliis aſſiſtentibus, à quibus neminem audivi abſque propriâ induſtriâ fuiſſe edoctum. Tunc malè concludit, *poſſe melancholicum illiteratum, fieri literatiſſimum, etiamſi ab aliquo nihil unquam didicerit.* Sanè non pejus judicarunt Judæi de Apoſtolis,

qui

qui eos ebrios eſſe credebant, quam iſte Chriſtianus, qui eos judicavit fuiſſe deliros & melancholicos, & per vim iſtius humoris poſſe peregrinis linguis loqui, quod quoniam fuit miraculum, *certum* eſt nec ab humore melancholico, nec à ſtellâ præſide poſſe quicquam ſimile unquam proficiſci. Stella quæ docta non eſt, nec loqui poteſt, non infundit cognitionem linguarum peregrinarum. Nec certum eſt, ſi id poſſet, eam illud velle, etiamſi animata ſtatuatur à quibuſdam. Hæc ſunt fundamenta falſæ illius opinionis, qualia à Gentili & Guaynerio aliiſque proponuntur. Certum autem eſt, peregrinâ linguâ quam quis nunquam didicerit, loqui, aut futura prædicere neminem poſſe, ſine ope, aut divinâ, ut Apoſtoli, & Prophetæ, aut demonum, ut reliqui. Tradunt Platonici fieri ſpirituum in animas noſtras illapſiones, ejuſmodi demones Eurycleas, & Pythonas, veteres vocarunt, quos hominum ingredi corpora, & eorum uti vocibus ad prædicendum credidit antiquitas, ut fusè explicat Plutarchus de defectu oraculorum. Sic Cicero & Ptolomeus ipſe, ſuis diis, Apoſtoli verò Deo futurorum attribuunt prædictionem. *Annuntiate*, inquit Eſaias, *quæ futura ſunt, & dicemus quia Dii eſtis*. Quo modo poterit melancholicus quiſpiam per vim iſtius humoris prædicere,

quæ ipſi Dæmones non poſſunt, niſi revelatione ea cognoverint. Agrippa Magus refert quendam à Rabbi Johanam fuiſſe ita illuminatum, ut quamvis rudis antea eſſet, tamen coram populo multa legis myſteria eſt interpretatus, quod poſtea fatetur factum fuiſſe arte Magicâ, per placentas quaſdam Sacras Angelicis nominibus inſcriptas. Scilicet in eo Dæmon Eurycles concionabatur. Ejuſmodi igitur opera Dæmonum ope fieri ſolent, qui ubi imbecille & morbidum cerebrum repererint, occaſione arreptâ phantaſiæ varias ſpecies objiciunt, & organis utentes corporeis, variis peregrinis linguis loquuntur, futura prædicunt, etſi ut plurímùm falſa ſint. Non enim cacodemon viros fortes aut magnanimos, ſaltem rarò, ſed mulieres, Idiotas, tentare ſolet, quibus quæcunque vult perſuadet, vel improbos aut ignaros quos facilè decipit. Hos autem ſi Medicus habet curandos, ad melancholiam purgandam aliaque illi adaptanda remedia fruſtra opem ſuam dirigit, niſi Dæmon agere ceſſet, fruſtra tot medicamentis fatigatur æger, non enim ab ipſis afficitur, aut quicquam patitur.

Sed præterea eſt altera melancholiæ ſpecies, quæ nequaquam ab humore procedit. Amor eſt, cui obnoxii ſunt omnis temperiei homines, maximè ſanguinei, & calidâ te-

ſtium

ſtium intemperie laborantes, non melancholici ſolùm, qui rarius minuſque validè ab ejuſmodi objectis fatigantur. Non fieri ab humore ullo quatenus humor eſt, inde patet, quod nulli humori parcat, & quolibet prædominante eſſe poſſit, tum quia eos invadit qui proba ſunt humorum conſtitutione, quicunque demum illi fuerint ex ſolâ apprehenſione objecti amabilis, rarò eos qui ex humorum putredine aut corruptione ægrotant, ut febricitantes, ſed aliàs maximè ſanos,& facilè ſolâ rei amatæ poſſeſſione; ſanabiles nequaquam Helleboro, vacuationibuſve aliis. Si ex longâ ejuſmodi phantaſiâ corpus poſtea ægrotare contingat, præceſſit illa inſania morbum, & hic ab eâ, non illa ab hoc pendet. Plus hic proſunt vita laborioſa, exhortationes, verbera fruſtra, quam Pharmacopolarum officinæ. *Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus, contemptaque jacent & ſine luce faces.* Neminem vidi ex hoc morbo ſeriò ægrotantem. Vidi quæ ſe veneno ſuſtulerunt, aliàs animo ſolùm, nequaquam corpore ægrotantes. Eſt continua rei amatæ cogitatio, cum immoderato illam obtinendi appetitu, cujus causâ cætera agenda omnia negliguntur. Non tam ferociter ſenes, in quibus humor melancholicus dominatur, quam juvenes, carnoſos, otioſos, delitiosè viventes, aliàs minimè melancholi-

cos poſſidet. Adjuvant omnia quæ melancholiam diſcutiunt, ut otia, ſomni, exercitia, victus polytrophus, ſcilicet ciborum potuumque exquiſitorum uſus. Curant autem ira, triſtitia, metus, labor, phlebotomia, quæ melancholicis nocent, præter moralia ſupradicta, quæ ſæpe reliquis ſunt præſtantiora.

Caput XXVI.

De ecſtaticis.

PRedictis etiam addi poſſunt illi, qui ecſtaſin patiuntur, quæ cujuſlibet temperiei hominibus accidere poteſt], & rarò à naturali causâ, ſæpiùs à dæmone proficiſcitur. Galenus ecſtaſin ait ſignificare vehementem animi perturbationem, ſcilicet intenſionem melancholiæ, morbi, non humoris, ad majorem feritatem, qualis in pathematum exceſſibus, ut in amore inveniri poteſt. Alii rectius volunt eſſe quaſi animæ abſtractionem, aut intentionem profundam mentis, ob arctam contemplationem rei imaginatæ, non ſunt ſemper maniaci & feroces, imò nec ſemper delirant, qui ità afficiuntur. Imò quidam ad vehementem rerum ſublimiorum contemplationem hunc affectum referunt, unde abſtrahi videtur anima à corpore, ut referunt hiſtoriæ de Pythagorâ, Zoroaſtre,

roaſtre, Hermete, & Auguſtinus de Sacerdote qui ſimillimus mortuo jacebat, cum ureretur, & ſecaretur nihil ſentiebat. Dicit Herodotus cujuſdam Philoſophi animam ſolere è corpore egredi, & poſt viſa longinqua ſpatia redire doctiorem. Plinius idem ait de Harmotimo Clazomenio, cujus inimici qui Cantaridæ vocabantur corpus cremarunt, ſic remeanti animæ vaginam ademerunt. Idem dicunt alii de Pilappiis, eos ità per triduum à corpore ſevocari, ut poſtea redeuntes multa nuntient. Bodinus in dæmonomaniâ ſimilem habet de milite quodam narrationem, cujus anima muſtelæ inſtar è corpore egreſſa, per campos errabat, & cum rivulum prætergredi non poſſet, miles eam miſertus gladium obtulit ſuper quod tranſiit, & poſt aliquot horas rediens iterum corpus ſubiit. Tunc expergefactus miles ille mira quæ vidiſſet narrabat, ſe per pontem ferreum iviſſe & rediiſſe, quod haud dubiè phantaſma à Diabolo objectum: interea dum arctè ſopito ſomnia offert & imaginationi repreſentat, quæ ſe feciſſe poſtea falsò credunt. Non ago hic de raptu virorum ſanctorum, quos ideo melancholicos potius fuiſſe, quàm alterius temperiei ſtultum foret credere.

Caput XXVII.

In delirantibus rationem propriè non lædi.

Ea eſt animi corporiſque connexio, ut à corporis motibus anima patiatur, & viciſſim animæ paſſionibus corpus corrumpatur, ſic amore, invidia corpus maceratur, lætitiâ Diagoras Rhodius extinctus fuit. In corporis motibus anima perturbatur, ut in ebrietate rectæ & benè conſtitutæ actiones permutantur, in acutis aliiſque morbis delirat, interdum quidem mens errorem corrigere conatur, ſed ob morbi impetum rectam rationem adhibere nequit; videmus autem in delirio, vel imaginationem vel ratiocinationem lædi, interdum utramque. Videmus melancholicos quoſdam optimè ratiocinari etiam de iis circa quæ delirant, ut qui ſe Regem arbitrabatur, de regno & politia optimè diſſerebat. Theophilus Medicus qui tibicines in conclavi ſibi adeſſe perſuaſerat, rectè eos ejiciendos putabat. Sic qui impoſito capiti pileo plumbeo ſanatus fuit, ſalvâ ratiocinatio ex onere & pondere ſibi adeſſe caput colligebat. Rationis quoque depravatæ exemplum eſt apud Galenum, illius qui *vaſa* projiciebat, quæ rectè nominabat, ſed malè ratiocinabatur ea eſſe projicienda, projecit demùm

demùm infantem, de hoc poſteriùs agemus. Priores verò quod ſpectat, quidam volunt etiam habere leſam rationem, quoniam falſæ imaginationi quam de re terrifica conceperunt, aſſentiuntur, imo mortem etiàm ſibi inferunt. Verum eadem ratione non lædi rationem concludere poſſum; Nam ſi res terrificas optimè dijudicant, integra procul dubio ratiocinatio eſt.; Nec obſtat quod res aliter judicant, quam ſint in ſeipſis: Nec enim intellectus res primò concipit, ſed phantaſiæ phantaſmata contemplatur, quæ phantaſia ſi leſa ſit, ratio concluſionem ex illis elicit malam, ratione rerum ipſarum, bonam verò, ratione phantaſmatum, ut Theophilus ille de quo ſupra, minimè leſam habuit rationem, ſed imaginationem ſolam, quando tibicines adeſſe credebat, ex qua falſa imaginatione ratio benè concludebat eos ejiciendos, quia moleſti errant, vel potiùs ut ſimilem hiſtoriam aliter recenſet Horatius, eſſe retinendos, quia placebant. Si errat igitur ratiocinatio circa res, id non ex ipſius, ſed phantaſiæ vitio contingit, quæ res intellectui malè repreſentat. Pariter ſi oculus ictericus res flavas ſenſui communi ſive phantaſiæ, objiciat, non erit in hâc vitium, ſed in oculo. Verùm hic quæſtio eſt, quare ratio non corrigat errores phantaſiæ, ſi illeſa ipſa eſt: Reſpondeo intellectum cognoſcere interdum

errores phantaſiæ, interdum nequaquam. Cognoſcere eos & corrigere poteſt beneficio memoriæ, ſi contrarium rei imaginatæ per alias ſpecies in memoriâ aſſervatas certò noverit. Sic vertiginoſus qui omnia putat in gyrum verti, ſi novit intellectus illa omnia fixa eſſe & immota, errorem illum facilè poterit emendare. Sed ſine memoriâ id facere nequit. Neque etiam tunc, ſi res ipſæ ſint mutabiles, ut quæ modò non erant, modò eſſe poſſint; ut in Theophilo qui tibicines adeſſe credebat, quia res hæc poſſibilis erat, non poterat ipſius ratio errorem illum emendare. Sic neceſſe erat rationem aſſentiri, cum non haberet alia phantaſmata quorum contemplatione errorem hunc corrigeret. Non negandum tamen rationem etiam quodammodo lædi poſſe; Qui ſe ἀκέφαλον, aut mortuum putabat, habuit ſolam imaginationem leſam, etſi huic falſæ opinioni aſſentiretur; hoc enim erat poſſibile, nec per vim ratiocinationis primùm, ſed per vim phantaſiæ contrarias ſpecies ſubminiſtrantis intellectui curati fuerunt, ille ex pondere pilei plumbei, hic exemplo ficto aliorum edentium. Quo modo leſa fuit ratio, ſimili modo fuit emendata, ſcilicet per phantaſmata; ſi res quæpiam animo objiciatur contraria communibus notionibus quas habemus in intellectu, & illis aſſentiatur, vitiata prorſus ratio

ratio eſt. Res verò alias quæ rationi n n repugnant, aut ſaltem non niſi à peritis dignoſci poſſunt, poteſt quiſpiam concipere, iiſque aſſentiri ſine rationis vitio. Ut Theophilus non habuit rationem depravatam, quia tibicines adeſſe, nec rationi repugnabat, nec erat impoſſibile, propterea falſæ illi imaginationi aſſenſum præbebat. Sic Galenus ubi audivit amicos ſuos dicentes, videte ut feſtucas colligat, & floccos evellat, quoniam rei Medicæ peritus noverat hæc eſſe ſigna phrenitidis, ſtatim correxit errorem illum phantaſiæ, rogavitque amicos ut caverent ne in phrenitidem incideret; in alio rei Medicæ imperito, ratio ſequuta fuiſſet imaginationem illam depravatam, quam Galenus peritiſſimus correxit. Sic apud Aëtium hiſtoria eſt cujuſdam Philoſophi hydrophobi, cui cum aqua offerretur bibenda, in eâ ſe canes videre putabat, quia peritiſſimus erat, vi rationis hauſit poculum, dicendo quid cani cum balneo? Imperitus imaginationi aſſenſum præbuiſſet, reſpuiſſet remedium. Qui vaſa noverat, & ea projecit, ſimulque puerum, nihil fecit quod multi temerarii & crudeles joco non fecerint, etiam ſine ratione leſâ, ſibi fatuus ille plaudebat, ſibi gratulabatur, pejora fecerunt quidam milites. Non ergo dicendum eſt rationem leſam eſſe, niſi quis res communibus notionibus contrarias,

trarias, quarum ſi cognitionem certam habuerit, eaſque ſibi perſuadeat, tunc ratio læſa cenſenda eſt; Idem cenſendum, ſi repugnent ſcientiæ quam vir quiſpiam doctus habet in animo. Si enim illæſa eſſet ratio, depravatam imaginationem emendaret. At ſi res objectas omninò ignoret quiſpiam, aut ſint indifferentes, nec communibus in animo notionibus repugnent, poteſt quiſpiam eas ſibi imaginari, & ratio ſequi imaginationem abſque ullâ ſui læſione; ut ſi icterico objecta quæ quilibet ſcit alba eſſe, qualis nix eſt, flava repreſententur, & ratio aſſentiatur, haud dubiè læſa erit, quia nivem ſcit eſſe albam. At ſi eidem icterico res nova, nunquam prius viſa offeratur, aut certum non habeat colorem, ſi eam judicet flavam, vitium proptereà non in ratione, aut phantaſiâ, ſed in oculo eſſe cenſendum eſt, quia non poteſt errorem illum propter ignorantiam, ſive contrariarum ſpecierum abſentiam, emendare. In delirio igitur depravatur ſemper imaginatio, interdum ratio, ſed id per accidens, ut in exemplis antea propoſitis. Nam etiam circa objecta malè apprehenſa ratiocinatur, ut qui ſe eſſe mortuum credebat, ſibi non edendum eſſe putabat, quia audiverat mortuos non edere. Pariter qui ſe vitrum eſſe fingebat, hominum, rerumque duriorum contactum pertimeſcebat, ne frangeretur.

Qui

Qui butyrum ſe eſſe credebat, calorem vitabat, ne liquaretur. Intellectus ſpeculativus qui proximè adhæret phantaſiæ, quo affirmamus, vel negamus, verum aut falſum cognoſcimus, in cognitione directâ decipi poteſt, nunquam in reflexâ, ſi ſint in memoriâ ſpecies quibus emendare errata ſua poſſit, Nec etiam intellectus practicus qui circa res agendas, ſequendas, fugiendas deliberando, vel conſultando verſatur, ut in exemplis propoſitis patet, nam in his intellectus ſpeculativus deceptus erat, qui res aliter quam eſſet concipiebat, ut in eo qui ſe vitrum, butyrumve eſſe credidit, qui non habebat phantaſmata contraria, niſi per multiplicem ratiocinationem inveſtigata, quod quilibet facere non poteſt; Intellectus practicus minimè, nam rectè colligebant, ille quidem vitandum ſibi rerum duriorum contactum ne frangeretur; Hic verò ſolis & ignis calorem ne liqueſceret. Decipi poteſt intellectus, ſed non lædi.

CAPUT XXVIII.

De mulieribus ſpleneticis.

TAm ſæpe occurrunt mulieres ex ſplene ſe laborare credentes, quæ tamen ſunt hyſtericæ. Cum enim viri non minùs quam mulieres viſcus hoc habeant, ſimili tamen

mudo non afficiuntur. Hujus viſceris com-te nes viris & mulieribus morbi ſunt, intemperies, obſtructiones, inflammationes, ſcirrhi, ulcera, putredines, & inde varia conſequuntur ſymptomata. Sed quæ de ſplene conqueruntur alium affectum prætexunt, cui viri non ſunt obnoxii, quem neſciunt eſſe hyſtericum, imò vidi Medicos id ipſum ignorantes; Per hyſtericos affectus intelligenda ſunt ea ſymptomata, quæ non in utero ipſo, ſed in aliis partibus contingunt, ob conſenſum quem habent cum utero. Habet enim uterus cum omnibus partibus conſenſum aliquem, præcipuè cum iis quæ in abdomine continentur, quibus per venas, arterias, nervos, membranas, ligamenta ſua connectitur, ob ſanguinis, ſeminis, aliorumque humorum vitium, unde tetri vapores in illas partes expirant. Inde fiunt in cerebro & capite dolores, epilepſiæ, deliria; In corde anxietates, ſyncopæ, mœrores, ſpirandi difficultates, & interdum deſperationes; in thorace dolores, ſic in aliis partibus varia ſymptomata; Lienis autem & uteri maxima eſt ſympathia, per arterias; Unde fiunt hypochondriaci affectus, murmura, dolores, cruciatus ventris. Eſtque hic conſenſus adeo frequens & familiaris, ut plurimæ tantummodo ſe affectibus ſplenis tentari dicant, cum tamen ab utero laborent: Nec facile

eſt

eſt hoſce affectus internoſcere, cum ſæpiſſimè conjungantur, unuſque alium accerſat; Nam ſi lien principium malo dederit, uterus ut plurimum labem ſuam admiſcet. Et contra, ſi cauſa mali in utero primùm ſeſe exerat, vix incolumis perſeverat lien, ſed inter cætera viſcera maximè afficitur. Unde mulieres quibùs in juventute ſuppreſſa fuerunt menſtrua; tandem ingraveſcente ætate fiunt hypochondriacæ, & plurimæ hyſtericæ tantùm creduntur eſſe hypochondriacæ; regurgitantibus pravis humoribus ad lienem; faciliuſque afficiuntur per paroxyſmos quæ ætate ſunt provectæ, temperamento calidiores quibus juvenibus menſes non benè fluxerunt; ſentiunt in latere ſiniſtro dolorem quendam, qui ad mammas & jugulum protenditur, cogitabundæ ſunt, & triſtes, & ex ſanguinis fervore in facie phlogoſis quædam apparet, ſed quæ ſtatim evaneſcit, crebris quoque ructibus infeſtantur, cum quâdam ſpirandi difficultate, alvi duritie, quæ malum exacerbat, fœditis juvantur, ſuaveolentibus læduntur. Eſtque affectus etſi non admodum lethalis, tamen curatu difficilis, ut ſunt omnes hypochondriaci affectus. Ideo plures mulieres iſtis hypochondriacis affectibus infeſtantur quam viri, maximè ſi prava victus ratio acceſſerit, quæ ſanguinem craſſum cumulet & adurat. Cæterum hic addendus eſt
error

error illarum quæ non credunt mulieres non eſſe hyſtericas, niſi ſuffocationem ab utero patiantur, hæc enim eſt unica tantùm ſpecies affectus hyſterici, poteſt ſuffocatio eſſe ſine reliquis, poſſunt reliqui eſſe ſine ſuffocatione, interdum conjunguntur, & per vices ſibi mutuò ſuccedunt: ſuffocatio quædam eſt levior in quâ quædam pectoris compreſſio ſentitur, cum quodam murmure, ventriſque rugitu, interdum citra hæc, ſimulque levem animi defectionem inducit, quâ tamen vix pulſus immutatur. Sed gravior cauſa ſpiritum quaſi intercipit, magno ſuffocationis metu; Cerebrum feriens vapor furorem facit uterinum, cum garrulitate, iracundia, inquietudine. Aliàs ſoporem quendam & veternum inducit, quo mulier corruens velut attonita jacet ſine motu, ſine ſenſu, & reſpiratione adeò paucâ & rarâ, ut tanquam mortua & extincta eſſe videatur, etſi ſæpe redeat ad ſeſe.

Caput. XXIX.

Febres non benè diſtingui per periodos.

Maximè familiaris eſt hic error, non ſolùm populi, ſed etiam quorundam medicorum, qui febrem bilioſam, non niſi ex tertianâ periodo dignoſcunt, melancholicam ex quartanâ, pituitoſam ex quotidiana, qui error

error nec experientiæ, nec veterum placitis, nec rationi congruus eſt; inde inutilis admodum quæſtio, quâ difficiliorem non habet ars medica, unde febrium iſtarum periodi ſiut, quidam enim lunam cauſam eſſe dixere, alii naturam caloris innati; Alii naturam ipſorum humorum, ut bilis tertio die, pituita quotidie, melancholia quarto quoque die moveatur, quod tam facilè eſt negare, quam aſſerere, ſicuti reverâ prorſus falſum eſt, cum à quolibet humore omnes periodi fieri poſſint. Sæpiſſimè ſiquidem bilis & pituitæ notas in quartanâ deprehendere licet. Ipſarum quoque cauſarum tam internarum quam externarum connexio & ſeries alium humorem quam qui typo reſpondet arguunt. Quoties enim in homine ſanguineo quartana viſa eſt, cujus nulla ſymptomata atram bilem arguebant, & in tertianis febribus melancholiæ indicia ſeſe produnt. Plurimi pituitæ vomitione à quartanâ ſunt liberati; unde eam a pituitâ fuiſſe veriſimile eſt, cujus vacuatione fuerit ſublata. Etſi enim non ſit neceſſe excrementa ex ingeſtis alimentis generata temperamentis partium reſpondere, & propterea poſſit adeſſe quartana in temperamento ſanguineo, illam tamen ab alio humore fieri poſſe, quam qui vulgo melancholicus eſſe perhibetur, oſtendit ſolutio, hæc eſt enim cauſæ continentis natura, ut eâ ſublatâ

latâ tollatur affectus; ſi igitur vacuato humore bilioſo, vel pituitoſo, ſolvitur quartana, ab his humoribus factam fuiſſe quis non crediderit? Pueri ſæpe hac febre corripiuntur, à quorum temperamento, ſecundum vulgarem de melancholiâ opinionem, eſt admodum aliena, eſt enim melancholia humor frigidus ſiccus, pueri verò calidi ſunt humidique. Cum humores ſæpe non reſpondeant temperamento partium, variis in locis prohibet Galenus, ne ex excrementis de partium temperie judicemus, ut ſenes pituitâ abundant, qui tamen ſicci ſunt, ſolentque humores non minùs materialis cauſæ, ſive alimentorum naturam redolere, quam temperamenti efficientis. Unde cum pueri ſæpiſſimè ſine ordine nutriantur, lacte, fructibus aliiſque cibis frigidioribus veſcantur, cruditates plurimas acervare ſolent, quæ putreſcentes, febres generare poſſunt tertianas nothas, quartanaſve. Obſervatum quoque eſt ſæpe quartanas in tertianas fuiſſe mutatas, quod fieri non poteſt per mutationem humoris, cum melancholia in bilem verti nequeat. Neque humor idem numero adeſt in corpore hoc menſe, qui fuit præcedenti, imò neque in hoc paroxyſmo qui erit in ſequenti, cum humores perpetuò reſolvantur, aut quia in corporis ſubſtantiam nutritione faceſſant, aut quia ſi excrementitii ſunt, à naturâ

turâ expelluntur, unde quidam putant totum humorem, qui in corpore eſt, quadraginta diebus abſumi & reparari. Idem quoque oſtendit anticipatio & poſtpoſitio paroxyſmorum. Nam prævertunt paroxyſmi, ſi humores ſint tenuiores & copioſiores; poſtponunt verò, ſi ſint craſſiores, aut pauciores, cur auctis his cauſis, tanta non fiet acceleratio aut retardatio, ut periodus omnino immutetur? Si enim melancholia creditur facere typos ſextanos, ſeptanos, quintanos, ac etiam longiores ob paucitatem & craſſitiem humoris, cur eadem de causâ pituitæ tertianus aut quartanus circuitus non adſcribetur, & bili copioſæ & tenuiori quotidianus, craſſiori ut vitellinæ & parciori quartanus? Sic volunt Medici febrem epialon facere quartanos circuitus, quæ tamen eſt à pituitâ. Rectius igitur volunt alii periodos fieri ab humorum congeſtione, ita ut quotidiana illa ſit, quoties humor fuerit adeo copioſus, ut ſingulis diebus naturam ſollicitet ad excretionem, hinc etiam ob copiam humoris ſolent paroxyſmi eſſe longiores, Tertiana erit, ſi humor non ſit tam copioſus, quartana demum ubi minor adhuc eſt ipſius quantitas. Si bilis quæ tertianum circuitum facere creditur, copioſior facta, eundem aliquot horis antevertit, cur ſi eandem plurimum augeri contingat, ad quotidianum non accedet, aut

contra-

contrariis ex cauſis ad quartanum. Id videmus in alvi egeſtione, in hominibus ſanis eandem vitæ legem ſervantibus, quæ definitis horis ſingulis diebus accidere ſolet, at ſi in victu mutatio contingat, excernendi hic circuitus mutatur. Idem de mulierum fluoribus dicendum, qui ſæpius interdum in menſe redeunt, ſæpe etiam remorantur. Falſum ſiquidem eſt ſtatas eſſe periodorum vices, cum nihil ſit tam incertum & variabile, ſitque morbi difficilis ſignum, ubi eadem ſemper horâ febris redire ſolet. Tempore Hippocratis, Galeni, Avicennæ, error erat credere ex febrium periodis humoris naturam poſſe cognoſci. De quotidianâ fermè omnes ſcriptores fatentur ſe errare, nam Fernelius aliique eam quæ fit à pituita *volunt* eſſe rariſſimam, etſi humor ille ſit admodum familiaris, eam vero quæ quotidie revertitur, eſſe duplicem tertianam, & ſic fieri à bile. Avicenna capite de tertianâ ridet eos, qui eam per paroxyſmum conſiderant. Refert quoque capite de febre quartanâ, quoſdam credidiſſe eam non fieri à melancholiâ; quod non eſt alienum à veritate. Averrhoes 4. Colliget, cap. 28. ſcribit non eſſe neceſſarium omnes febres quæ tertio quoque die repetunt eſſe a bile; Et Galenus ridet Theſſalum, qui tertiam diem ad cognitionem tertianæ expectabat. Addam Autoritatem

Hollerii

Hollerii, qui docet quartanam etiam fieri à pituitâ, quæ tam craſſa eſt & contumax, quam ipſa eſt melancholia, quas febres rectè ait fieri vel vitio hepatis ſanguinem adurentis, vel vitio lienis melancholiam non expurgantis, vel vitio ventriculi crudum humorem generantis, à quo quartanam fieri poſſe ipſe Ariſtoteles concessit, ubi ait pueros eſſe quartanæ obnoxios ex crudo humore. Neque id ait Hollerius repugnat Græcis aut Arabibus, nam pituita conſiſtentiâ craſſa, quantitate pauca quartanos, aut etiam rariores circuitus facere poteſt.

CAPUT XXX.

Febrem omnem non eſſe ſemper calidum affectum.

ETſi Febris à fervore nomen acceperit; atque etiam ignis, quando validiſſima eſt vocetur, atque etiam concedendum ſit abſque calore nullam conſiſtere; Experientia tamen oſtendit in plurimis febribus calorem illum, qui corpus fatigare creditur, eſſe naturali calore ſæpe debiliorem. Recenſebo quaſdam febres in quibus id contingit. Primò igitur occurrunt malignæ, & peſtilentes, in quibus calor nec acris, nec vehemens, ſed mitis blanduſque ſentitur, pulſûs quoque ſanis ſimiles, minimum alterati,

rati, quod fieri non poſſet, ſi ſupra naturalis caloris modum hic extraneus exceſſum haberet: Symptomata quidem gravia, præter febris naturam & ſpeciem intenduntur, ut ſunt inquietudines, palpitationes, lipothymiæ, deliria, quia ſcilicet venenoſa qualitas, non autem putrefactio aut calor magnus fatigat; Urina quoque parum alterata eſt, & ſæpe qualis in ſanitate excerni conſuevit; II. Occurrunt febres hecticæ, in quibus calor minor eſſe ſolet quam tempore ſanitatis erat, unde ejuſmodi ægrotantes ſe calere & febricitare non ſentiunt. Calor hic admodum parvus eſt, tactuique primùm talis occurrit. Quod ſi æger ſe febricitare ſentiat, jam febris humoralis, aut viſceris alicujus inflammatio ſuſpecta eſt. III. Sunt febres lentæ quæ non ſunt hecticæ, in quibus vix ullam febrem ægri percipiunt, quæ fiunt vel ab obſtructionibus viſcerum quas craſſi lentique humores in aliquo viſcere aut meſenterio latitantes procreant. Humores hi cùm putredinem ſortiuntur, febres has ingenerant placidas miteſque nullo gravi ſymptomate infeſtas, ſed diuturnas; putredinis tamen quædam veſtigia urinæ proferunt, pulſus nec magnus eſt, nec vehemens, ſed inæqualis, vireſque ſenſim & ſine ſenſu labefactantur. IV, Sunt febres quas Avicennæ interpres vocat *Laticas*, in quibus ut in he-

ćticis

ℓticis æger ſe febricitare non percipit, tamen debilitatur & contabeſcit. v. Sunt febres lethargicorum, quæ ſunt lentæ, continuæ, cum pulſu raro, molli, languido. vi. Sunt febres earum quæ febre amatoriâ, chloroſi, ſive pallidis ut vulgo vocantur coloribus infeſtantur. vii. Sunt febres pituitoſæ ſive quotidianæ, in quibus calor debilis eſt vaporoſus, quaſi in humore ſuffocatus, urinæ crudæ, albæ, tenues, aqueæ, ſaltem in principio, pulſus parvi; debiles, rari, quia calor humorum copiâ ſuffocatus, non poteſt habere ἔκλαμψιν, ideo arteria humoris copiâ impedita dilari & conſtringi facilè nequit, facultas etiam eâdem ratione veluti conſopita eſt, nec uſus & neceſſitas refrigerationis admodum urgent. Ad has referuntur febres nocturnæ, diurnæ Epialæ, in quibus refrigeratio potius ſentitur quam incaleſcentia, & febres ſenum, ſed non omnium, quas Avicenna dicit eſſe ſepultas. viii. Sunt febres ſyncopales, quas arabes vocant humoroſas, quibus ſyncope facilè ſuccedit ob maximam crudorum humorum copiam in ventriculo putreſcentium, in quibus pulſus ſunt exigui, rari, tardi, obſcuri, inæquales. Omnes iſtæ febres curantur remediis calefacientibus quæ calorem excitant, ipſiuſque eclampſin promovent, quâ ſemel reſtitutâ, febres illæ ceſſant; ſuntque

ideo

ideo periculoſæ, quia id commodè ſæpe fieri non poteſt. Ita ut fiant potius ex calore ſuffocato, aut admodum debilitato, quam ex eodem ſupra naturalem menſuram accenſo. ix. Sunt febres lentæ quæ ex viſcerum putredine oriuntur, ex quibus tetræ expirationes in cor emittuntur, ſuntque continuæ & inſtar hecticæ mites, lentæ, ita ut hecticas illas eſſe plurimi credant. Singularum naturam fuſius explicare non eſt hujus loci, ideo hæc nunc ſufficiant.

Caput XXXI.

Febres quaſdam poſſe eſſe ſalutares, & de Anglorum Proverbio, An ague in the ſpring is phyſicke for a King.

POpulus ſententias quaſdam habet vulgares, quæ etſi ſæpe veræ non ſint, ſed erroneæ, ſunt tamen conſiderabiles, quale eſt hæc apud Anglos, febrem intermittentem verno tempore eſſe Medicinam Rege dignam, inſinuantes ſcilicet morbum ejuſmodi eſſe ſalutarem. Et quidem febris intermittens ſolet eſſe periculi expers, *Febris quacunque intermiſerit periculum abeſſe ſignificat. Aphoriſmo 43. libri 4.* Verno quoque tempore morbi omnes faciliùs curantur. Sed præterea cum humores multi pituitoſi hyeme congeſti & acervati fuerint, vere ex

aëris

aëris tepore moventur ac funduntur. Quæ corpora cacochyma ſunt, per accidens in morbos hoc tempore incidunt. Febris autem intermittens ſi admodum gravis tunc non contingat, ejuſmodi humores pituitoſos & craſſos calore ſuo & rigore concoquit, & excernit. Galenus id dicit de quartanâ, quam dicit Hippocrates magnos morbos curare, ut epilepſiam, convulſionem, lepram, vitiliginem, rationem reddit, quia horum morborum curatio, coctio eſt & excretio. Utrumque habet quartana, coctionem, caloris febrilis ratione, ex rigore verò excretionem, quo partes agitantur & humor expellitur. Multò verius id eſſe poteſt de febre tertianâ, quæ ſalubris eſt, nec ratione ſui Lethalis: *In ſeptem periodis longiſſima judicatur*, ſive ſolvitur, ſæpe ultra tertium circuitum non prorogatur, omniumque febrium ſimpliciſſima à Galeno vocatur. Experientia oſtendit quaſdam actiones à febre potius juvari quam lædi, ſcilicet eas quæ propter humores crudos flatuſve leſæ ſunt, qui à febrili calore attenuantur, inciduntur, & reſolvuntur. *Quibus jecur vehementer dolet, febris ſuperveniens dolorem ſolvit.* 7. Aphor. 12. *Si ebrius derepentè obmuteſcat, convulſus moritur, niſi febre corripiatur.* 5. Aphor. 5. *Qui à convulſione aut diſtenſione nervorum tenetur, febre ſuperveniente*

K libera-

liberatur. 57. libri 4. quia hæ febres ſuperfluam diſſolvunt humiditatem, partim concoquunt frigiditatem, quæ duæ ſunt Medicis remediorum intentiones, ait *Galenus in commentario.* Non tamen propterea ſequitur rejicienda eſſe verno tempore remedia, ſi ejuſmodi morbus accedat, tum quia ſæpè febris ſola hanc excretionem & coctionem non perficit, quæ remediis evacuantibus juvanda eſt; tum quia tanta poteſt eſſe humorum copia & putredo, quæ à febre potius accendi & increſcere poteſt, quam miteſcere. Quamvis igitur omnis morbus ſit præter naturam per accidens tamen quidam juvare poteſt, ſic ut ver ſaluberrimum per accidens in morbos præcipitat. Verùm dicet mihi quiſpiam, definitionem illam febris quam Scholæ ſequuntur dicere febrem eſſe calorem præter naturam actiones naturales lædentem. Cum igitur coctio & excretio ſint naturales actiones, atque etiam ſecundum hanc definitionem læſæ; febris nulla prodeſſe poterit, cum calor innatus, per quem unaquæque pars ſuas obit functiones, vitietur. Videmus tamen ex ſuperioribus, actiones quaſdam potius juvari quam lædi. Verum facilis eſt reſponſio non omnes omnino actiones in eadem febre lædi, ſed ſufficere ſi quædam ex omni genere lædantur. Læſio actionum convenit febribus collectivè, non ſingilla-

gillatim ſumptis, quoniam actiones quædam ſunt contrariæ, ut abolitæ & auctæ, quæ non poſſunt ſimul lædi in eâdem febre. Sed ſi conſideremus omnia genera febrium collectivè, inveniemus nullas eſſe actiones quæ à febre aliquâ non lædantur, modo unam, modo aliam ſecundum naturam febris, cauſæ febrilis, & partis affectæ. Si à quâdam febre quædam actiones juvantur, ab aliâ læduntur, ſic aliæ vigilias inducunt, aliæ ſomnum, & ſic de cæteris. Nec eſt neceſſe, ut quæ ponuntur in aliquâ definitione, conveniant omnibus contentis ſeorſim ſumptis, ut bonum eſt quod omnia appetunt, verum tantùm eſt de bono in communi, non ſpeciatim ſumpto. Principia ſunt quæ nec ex ſeſe invicem, nec ex aliis ſed ex iis fiunt omnia, quæ definitio nulli principiorum ſeorſim convenit, ſed omnibus ſimul ſumptis. Idem de febris prædictâ definitione ſentiendum, quod nullus interpretum unquam obſervavit.

Caput XXXII.

Error eorum qui credunt omnem febrem eſſe ex corde.

Febrem non ſemper eſſe immodicum calorem ſupra ſatis clarè explicavi, ſed eſſe in multis calorem naturalem vel malignâ

qualitate labefactatum, vel humorum copiâ & ætate quaſi ſepultum. Quàm igitur errant, qui omnem ejuſmodi calorem à corde proficiſci volunt, etſi enim cor non poſſit febre carere, ſi totum corpus eâ conflictetur, illius tamen origo nequaquam eſt. Communis tamen eſt opinio nullam febrem eſſe poſſe non affecto corde, quoniam eſt fons caloris naturalis qui in univerſum corpus diſtribuitur, cujus mutatio calor febrilis eſt. Verum qui id credunt obſervare deberent humores nativo blandoque calore præditos poſſe in aliis quam in corde locis calorem, putredinemve nanciſci. Calor qualitas eſt activa, quæ quamcunque partem primò attingit, illi vim infert, neque expectat ut per cor tranſeat. Sic quoque falſum eſt quod dicunt temperationem caloris eſſe in corde, & ideo inde eſſe intemperiem, id falſum eſſe oſtendit experientia, ſæpe caloris illius præternaturalis temperationem eſſe in ventriculo, forſitan etiam in ipſo ore. Id Galenus & Avicennas confiteri coguntur, dum in febribus ſynochis & ardentibus tantas cautiones præſcribunt circa aquæ frigidæ potum, quem vocant ἀγωνιστικὸν quaſi ſeriò pugnantem, & debellantem morbum prædictum, cujus effectus primùm ſeſe in ventriculo produnt, dein ad cor tranſeunt. Cor ſecundum naturales Philoſophos, ſicut primum vivit,

vit, ſic & ultimum moritur, & ſic reliquis partibus mortem non impertit, ſed reliquæ partes ut in gangrænâ primùm emortuæ, (niſi citò amputentur, ſi id fieri poſſit) ipſum cor in febrem primùm, & dein in gangrænam deducant. Cor quidem incaleſcere in ejuſmodi affectibus patet, ſed febris principium inde ſtatui non debet. In febre ſiquidem duo potiſſimum ſpectanda ſunt, calor ipſe extraneus intùo gravis & moleſtus, ipſiuſque in univerſum corporis habitum diffuſio. Si neutrius cor principium eſt, nullâ ratione origo febris ſtatuitur. Quomodo foret, ſi in ipſo calor febrilis non primum generatur, ſed illum aliundè recipit. In febribus ſiquidem putridis continuis quarum cauſa majoribus vaſis continetur, univerſum corpus ob putredinem vaſis conceptam incaleſcit, quæ putredo à corde originem non habet, ſed à cauſis putrefacientibus alibi quam in corde generata, in viſceribus ſcilicet aut venis, per eaſdem in minutiſſimas corporis partes quoquo verſum quà vaſa permeant, ſeſe expandit. Rectè Avicenna per venas cum ſanguine latè dimanare & diffundi calorem extraneum voluit. A calore ſanguinis incaleſcere facillimè cor poteſt. Viſcus enim naturâ ſuâ calidiſſimum perpetuo affluxu ferventis ſanguinis facillimè incandeſcit, & calorem extraneum quem

aliunde ſuſcipit, in arterias ſuas etiam cum fœnore refundit, non eſt tamen ipſius origo, aut principium, ſed communi cæterarum partium lege, à cauſis præternaturalibus afficitur, una cum reliquis indoleſcit. Sic labefacto jecore in hydrope anaſarcâ frigiditas tum univerſo corpori, tùm ipſi cordi communicatur, ut pulſus tardi & rari indicant, nec tamen hujus hydropis cauſa cordi unquam attributa fuit, ſed hepati. Vix præterea poſſibile videtur incolumi animali calorem ex putreſcente materiâ ſuſcitatum è corde effundi, cum non poſſit cor innoxiè putridi humoris præſentiam ſuſtinere, imò nec bilis, aut alterius humoris noxii. Cum igitur putredo aliunde quam à corde procedat, febrilis caloris cor principium cenſendum non eſt.

Caput XXXIII.

De peſtis cognitione quam difficilis & incerta ſit in principio.

Diſtinguenda primum eſt peſtis à febre peſtilenti, nam dari peſtilentes ſine peſte docent Medici, quæ malignæ ſolùm ſunt, & pernitioſæ, ſed differunt à peſte, quod hæc ſit epidemia & vulgaris, ortumque habeat ex aëre, aut causâ communi. Illæ verò ex interno humorum vitio, nec

graſ-

graſſentur in obvios, poſſunt enim humores noſtri corporis ita corrumpi, ut in venena degenerent, & more peſtis interimant, eadem enim mala contingunt, & à Lethali veneno, & ab humorum in corpore corruptione. Quibus miſſis ſolùm de ſignorum in ejuſmodi morbo difficultate agere hoc loco inſtitui. Pendet autem hæc difficultas ex morbi ipſius naturâ quæ admodum varia eſt, ex cauſſis complicatione & varietate ſymptomatum. Morbus hic interdum cum febre eſt, interdum ſine eâ, interdum cum putredine, interdum ſine eâ, interdum cum gravibus ſymptomatis, interdum cum levibus, ut vix ægrotare homines videantur, donec ſubitò pereant. Et quidem peſtis, ut docet Galenus noſter, non eſt certum morbi genus, ſed omnibus applicari poteſt, qui ſunt epidemii publicè graſſantes, & plurimos interimunt, ſuntque contagioſi. Eſt enim peſtilentia potius conditio morbi, quam morbus ipſe, cum pluribus convenire poſſit, modo ipſis malignitas & contagium lethale adjungatur. Unde non mirum eſt ſi ex variâ morbi natura varietas ſymptomatum conſequatur. Quæ in principio dignoſcere, num peſtis ſint, admodum difficile eſt, quia multis aliis morbis ſunt communia, ut vigiliæ, deliria, cataphoræ, læſiones, convulſiones, tremores, inquietudo, cordialgia, vo-

 mitus,

mitus, alvi fluxus, bubones, parotides, carbunculi, exanthemata varii generis, quæ nec omnia ſimul, nec ſingula ſeorum certò peſtem arguunt, poſſunt carbunculi & bubones eſſe ſine peſte. Poteſt peſtis eſſe ſine iis, ſic & alia ſymptomata, pro varia natura febris illius, quæ peſti conjuncta eſt. Memorabilis Hiſtoria eſt hac de re quæ olim contigit apud Venetos, de qua multi facti fuere libri, imprimis à doctiſſimo Hieronymo Mercuriali: fuit inſignis peſtis apud Venetos & Patavinos, anno 1575. de qua per annum ſemis dubitatum fuit an peſtis foret, aliis aſſerentibus, aliis negantibus, ſinguli rationes proferebant probabiles, experientia tandem oſtendit fuiſſe peſtem. Carbunculi & bubones non ſemper ſunt in peſte, ſic nec exanthemata & maculæ, nam ante illorum eruptionem ſæpe æger interit aut virtus debilis non expellit. Sæpe maculæ poſt mortem tantummodo erumpunt. Et quando etiam adhuc vivente animali apparent, non peſtem ſed malignam tantum ægritudinem oſtendunt, ita ut hac in re maximè conjecturalis ars Medica ſit.

Ca-

Caput XXXIV.

Cometas non eſſe ſignum Peſtilentiæ.

Cometam mirabile ſydus, neque ordinarium, mala perniciemque mortalibus portendere vulgaris eſt opinio. Politicis bella, ſeditiones; Theologis religionum mutationes, hæreſes; Nautis ventos & tempeſtates; Agricolis annonæ penuriam, ſterilitates, medicis peſtem ſignificare creditur. Prodigiale rubens, non illum navita tutò

Non impunè vident populi, ſed crine minaci,
Nuntiat aut ratibus ventos, aut urbibus hoſtes.

Quorum eventuum nullum certum ſignum cometæ naturaliter præbere queunt, quia eorum cauſæ non ſunt, aut ſi ſigna ſunt, ad id divinitus aſſumpta fuere, ut quia extraordinaria ſydera ſunt, aliquid extraordinarium expectari debere indicant, non aliquod certum; quod quid ſit ſolus eventus patefacit. At ſæpe bella, Principum mortes, hæreſes, tempeſtates, ſterilitates, peſtes accidunt nullo præſignificante cometâ. Imò ut rectè obſervat Scaliger multi viſi ſunt cometæ, quos nulla ſecuta eſt pernicies mortalium.

Non ſunt ſigna naturalia, quæ non magis peſtem quam bella demonſtrant. Nec ſupernaturalia, quoniam horum præterquam iridis nulla nobis cognitio revelata eſt. Non eſſe autem cometas cauſas & ſigna peſtilentiæ facilè probare eſt. Prima ratio petitur ex generatione cometarum. Miſta duobus intereunt modis, vel per putredinem, vel per combuſtionem. Putredo eſt humidorum, combuſtio ſiccorum, unde quæ putreſcunt, uri non poſſunt antequam exiccentur, tamdiuque combuſtioni reſiſtunt, quamdiu humida manent. Febris peſtilens generatur ſecundùm communem ſententiam, ex putredine vel ipſius aëris, vel eorum quæ aëri permiſcentur, At Cometa generatur per combuſtionem exhalationum. At putredo & combuſtio ſunt contraria, inde cometa & peſtis erunt contraria, unum igitur non erit cauſa alterius. Secundò effectus cometarum duo ſunt ex Ariſt. cap. 7. primi Meteor. ſiccitatem & ventorum productio, ſiccitates ſunt contrariæ putredini, & proinde febri peſtilenti, Hippocrates ſententia 15. libri tertii, ſiccæ tempeſtates humidis ſunt ſalubriores, minuſque mortiferæ. Sed per cometas generantur ſiccæ tempeſtates, ergo ſaluberrimæ; non igitur peſtilentes quæ ſunt maximè inſalubres. Ventorum quoque flatus peſtem prohibet, quia venti flatu ſuo aërem purio-

rem

rem reddunt, & ſeminaria contagionis diſſipant. Apud Hippocratem 3. Epid. ſtatus peſtilens deſcribitur, annus auſtrinus pluvioſus à ventis in totum ſilens. Eſt duplex conſtitutio auſtrina, una in quâ flant auſtri, alia eſt conſtitutio calida ſuffocans, ventique aut nulli, aut rariſſimè ſpirant. Tertiò notum eſt exemplum Hipp. à Galeno laudatum libro de Theriacâ ad Piſonem, qui peſtem ab Aethiopiâ ad Græcos venientem accenſis multis ignibus extinxit. Quod ſi potuit ignis ille ſeminaria peſtis aëri admiſta diſſipare, multò magis id præſtabit cometa flagrantiſſimus, utpote qui, ſicut prius dictum, potentiſſimè exiccet. Quidam tamen modum tradere conantur, quo portendere & efficere peſtem Cometa poteſt. Dicit Gentilis hos ignes intelligendos eſſe conjunctos cum multâ evaporatione præter ipſorum apparitionem. Poteſt præterea vaporum multitudo eſſe in aëre, qui ſi non poſſunt abſumi, calefiunt, inde generantur exhalationes autores cometarum, vapores reliqui remanent in aëre, à quibus peſtis. Sed nihil horum neceſſarium eſt, nam ſi poteſt adeſſe vaporum in aëre copia quando cometæ apparent, poteſt quoque non adeſſe. Tum cometæ faciunt ſiccitates, vaporeſque ſi qui ſunt in aëre diſſipant. Alii dicunt cometas inducere famem & ſterilitatem, ex quâ deinde fit peſtis.

At ſic cometa peſtem propriè non portendit, ſed famem. Deinde multi viſi ſunt cometæ, quos nulla fames ſequuta eſt, ſed omnium bonorum copia. Invenerunt alii aliud ſubterfugium. Dicunt deflagrante hoc ſydere tetrum vaporem ſpargi per aëra, ſicut experientiâ videmus extincti ellychnii carbonumque fumos noxios eſſe & peſtiferos. Deinde cum generatur cometa magna halituum venenatâ qualitate præditorum copia aëri permiſcetur, qui quoniam mineralem habent materiam & nitroſam, multùm poſſident acrimoniæ & malignitatis, & quoniam ex terræ cavernis expirant, putredinemque illic contraxerunt, aërem primùm dein cor inficiunt: Quæ omnia negare tam facilè eſt quam aſſerere. Unde enim conſtat hos halitus eſſe metallicos, acres nitroſos, malignos, venenatos, cum multi cometæ fuerint ſine peſte, multæ peſtes nullo præcedente cometâ. Cum igitur id experientia ſæpiſſimè fieri oſtendat, concludendum eſt nullam eſſe eorum in præſagiendo rationem habendam. Sed præterea certum eſt multos viſos fuiſſe in cœlo ſuper orbem lunæ, non ex ſublunari materiâ, quæ illorum generationi ſufficere non poſſet, quorum ſignificatio, ſi ulla eſt, non poteſt eſſe naturalis.

CA-

Caput XXXV.

De morbis à crapulâ & cruditate genitis, Angli vocant Surfett.

Nimium familiares ſunt ejuſmodi morbi, de quibus tamen nimium leviter quidam ſentiunt, cum tamen ſæpe graves fiant & periculoſi, & curatu difficiles. Medici quoque nimium leviter de iis locuti ſunt. Inde autem graves morbi pullulant, febres, capitis dolores, obſtructiones, intemperies, cerebri nervorumque imbecillitates, paralyſes, convulſiones, mortes ſubitæ, variaque pro naturâ ſumentium, & crapulæ majori minorive copiâ. Crapula ſive ſit vini, ſive cereviſiæ generoſioris, aut hydromelitis ſive Medonis ut in Ruſſiâ, ſive Moſcoviâ multos parit vapores calidos & acres, qui cerebrum ejuſque menynges feriunt, quandoque etiam humores calidos furſum compellit, potiſſimum ſi caput naturâ calidum fuerit. Cum enim hi potus temperaturâ calidi ſint, ſubſtantiâ tenues, facilè ſurſum repunt, tenuitate promptè omnia penetrant, nervorum ſubſtantiam ſubeunt, vaporibus & cruditatibus corpus replent, unde univerſum corpus variè afficitur. Maximè omnium partes nervoſæ debilitantur, affectionem hanc generali nomine vocari

crapulam dicit Galenus commentario ad Aphoriſmum quintum libri quinti. Omnem ſcilicet noxam quæ capiti à vino, cereviſiâ fortiori ut in Angliâ, & Septentrionalibus regionibus, Medone, ſeu hydromelite in Ruſſiâ; Moſcovia,& Sarmatiâ, Differentiam tamen quidam conſtituunt inter crapulam & ebrietatem, ſiquidem ebrietas eſt à calido & ſubtili vini, ſimiliſve potus vapore, ſuperſtite adhuc eo liquore in Stomacho & corpore. Crapula eſt pridianæ ebrietatis cruditas, quâ nauſeat ventriculus, & parvis exercetur Symptomatis, ſed etiam ab aliis infertur ebrietas, ut grano qui dicitur *Cocco di Levante,* ciclamamine ex Cardano, lolio, & narcoticis, ut Mandragorâ, opio, hyoſcyamo, & ſimilibus, quæ quoniam non ſunt in uſu ordinario, propriè illa ſola eſt, quæ à vino & aliis potibus ordinariis fit. Vinum autem tenue, oligophoron ut vocant Græci, vinum craſſum & adſtringens, vinum dulce & muſtum minùs inebriant, quia ut quidam volunt facilè replent, unde minori copiâ aſſumuntur, quia craſſa parum penetrant, quia dulcia à jecore avidè trahuntur, unde paucam in ventriculo faciunt moram, & ideo minùs inebriant. Sed verior ratio eſt, quia pauciores habent Spiritus, nam ſi quis ex illis diſtillando Spiritum vini elicere conetur, pauciſſimum habebit, præſertim ex

novo

novo & muſto. Quidam etiam facilè inebriantur, ſive caput habeant imbecillum, quod concoquere vini vapores narcoticos non poteſt; ſive calidum humidum, iis enim facilè repletur, pariter ii qui ſtomachum habent calidum, qui etiam citius curantur, quia facilius vapores illos reſolvunt. Varia autem inducit ebrietas ſymptomata, quæ ſex recenſentur ab Avicennâ, 1. Hepatis intemperies calorem ipſius reſolvendo. 2. Cerebri imbecillitas, ſicut & 3. Nervorum, 4. Spaſmus, 5. Paralyſis, 6. Mors ſubita ſed Ilias morborum inde ſuccedit. Replet caput vaporibus, ſic animum perturbat, propter cruditatem aceſcit, ſic nervos ferit & paralyſin inducit; Humores quoque crudos in membra deducit, ſicque Arthritin parit. Soporem quoque vi narcoticâ infert, ſicut & ſpiritus vini, qui ſopor interdum lethalis fuit. Varia ſcilicet fiunt ſecundum varietatem temperamentorum. Quidam Jocoſi ſunt & faceti, alii ſomnolenti, alii rixoſi ut clarè expreſſit Horatius, 3. Carminum, *O nata mecum conſule Manlio, ſeu tu querelas, ſive geris Iocos, ſeu rixas & inſanos amores, ſeu facilem pia teſta ſomnum.* Cauſa eſt temperierum & humorum in corpore dominantium varietas, nam ſanguinei fiunt Jocoſi, ridentes, hilares; Cholerici ſeu bilioſi, & in atram bilem vergentes fiunt furio-

furioſi, rixas amant, quaſi Leones, Phlegmatici in ſomnum fiunt propenſi, hebetes & pigri. Melancholici triſtes primùm fiunt, Hilariores humore illo calefacto, poſt redduntur triſtes, anxii, deſolati; Si vaſa ſpermatica fuerint ſemine turgentia perpetuò de amore loquuntur, ſed elumbes fiunt, Potentior mœchus eſt homo ſobrius, ſed opiparè vivens, quam temulentus. Excitat vinum, (ſub quo nomine reliqui potus intelliguntur) vigilias, in iis qui habent ventriculum frigidum, & cerebrum calidum, in quibus vinum aceſcit, unde vapores acidi ferientes membranas & cerebrum, vigilias inducunt. Pariter in iis qui habent ventriculum calidum & ſiccum, in iis enim acres vapores feriunt caput: Soporem verò in iis qui habent ventriculum calidum humidum, unde mites vapores ad cerebrum mittuntur, qui ſomnum acceſſunt, forſitan etiam aliæ cauſæ probabiles reddi poſſunt. Objecta quoque ipſis ſæpe duplicia videntur ob indefinitum & inordinatum vaporum motum, tum quia nimium humectati oculorum muſculi, non firmant oculos, ſed diſtrahunt, longinqua quoque minùs cernunt, quia tenebricoſi facti ſunt ſpiritus. Sic quoque ob nimiam muſculorum linguam ſuſtinentium humiditatem balbutiunt, quâ de cauſâ etiam balbutiunt pueri, qui linguam mollem habent,

bent. Minùs quoque timidi ſunt, audaces, imprudentes, quia temerè in objecta feruntur, nec ea conſiderant, ſicut debent, ſpiritusque fervidiores facti ſunt, ſed poſtea creſcente temulentiâ, omnium obliviſcuntur, cadunt quia muſculi ſuſtinere corpus non poſſunt, cerebrum humorum copiâ obrutum fatiſcit. Multa hac de re dicta ſunt ab Ariſtotele, Sect. 3. Problematum. Docet quoque Hipp. 5. Aphor. 5. Si ebrius quiſpiam repentè obmutuerit, convulſum mori, niſi febre corripiatur, aut quâ hora crapula ſolvi ſolet vocem recuperarit. Sic enim indicatur magna obſtructio, quæ ſi nec febre ſuperveniente, nec tribus aut quatuor ad ſummum diebus, quibus crapula omnis ſolvi ſolet, diſſolvatur, ſuccedunt convulſiones à nervorum repletione, morſque ſequi ſolet, interdum etiam ſine ſpaſmo repentina.

Sed non ſolùm ex vino, ſed etiam ex cibis periculoſa fit cruditas, qui vel copiâ, vel calore ſuo, aut corruptione corpus afficiunt. Calore quidem ſuo cæpe, aromata, vinum generoſum, &c. Fit quoque interdum ex ciborum corruptione ex qua vaporis fervidi ſpiritibus permiſti tum illos, tum reliquum corpus accendunt, cruditas nidoroſa à Medicis vocatur, Arabum interpretibus nauſeativa ſatietas. Eſt etiam alia cruditas acida, quæ fit à frigido, aut à cibis acidis & acerbis.

Fit

Fit igitur ex ciborum repletione, qui cum perdomari & coqui non poſſint, corrumpuntur, maximè ſi acres fuerint, aut facilè corruptibiles, aut etiam corrupti. Eſtque in ventriculo, inteſtinis, primiſque corporis viis, aut in toto corpore. Cùm in prima eſt regione, ventriculum & hypochondria diſtendit, hinc tumor, inflatio, frequens borborygmos; tormina ventris, vellicatio, ructus, nauſea, capitis dolor. Si diutius in ventriculo remanſerit, aut in jecur, venaſque penetrarit, humores contaminans putridam febrem accendit, cum laſſitudine ſpontaneâ, quæ ſequenti die magis ſeſe prodit, quam pridie, cum maximâ Urinarum cruditate, & conturbatione, levique tincturâ, horrore quodam, ſomno gravi & moleſto, colore faciei immutato in pallidum, plumbeum, lividumve, quibus ſignis ego ſæpè deprehendi errores ægrotantium meorum, quibus occaſionem dant adſtantes, qui importunis cibis & potibus ægros onerant, etiam puerulos recens natos; Nihil credunt eſſe roborans quod non ſit & forte, & ſæpius aſſumptum, cum Medicorum dedecore, ægrorum pernicie, quod fruſtra ſæpius etſi monuerim, non potui ab adſtantibus obtinere, ut à veteri ſuâ peſſimâ conſuetudine abſtineant. Ejuſmodi cruditas febrem putridam periculoſam tandem accerſit. Ventris ſegni-

ſegnities, vaſorum impuritas, omnium confuſio, ait Hippocrates, cujus notabilis eſt ſententia libro de flatibus. Fiunt, inquit, primùm cum quis copioſiores cibos ingerit quam ferre poſſit, nec exercitiis utitur, tum cum varios diſſimileſque immittit, nam diſſimilia ϛασιάζει, & hæc quidem celerius, illa tardius concoquuntur, tum cum ciborum copiâ plurimus ſpiritus intrò ſubit, ut patet ex ructibus in quibus flatus diſruptis bullis erumpit. Repleto itaque corpore tum cibis, tum flatulento vapore ex cibis generato obſtructâ alvo, ac retentis in ventre cibis, in univerſum corpus flatus ſubeunt, parteſque ſanguine refertas refrigerant, inde univerſum corpus horror occupat, & quò major fuerit horum flatuum copia & frigiditas, eò major eſt hic horror. Suadendum igitur omnibus cum tam periculoſa ſit ciborum & potuum ſatietas, & ſæpe curatu difficillima, ut ad temperantiam ſeſe convertant, non exquiſitam illam temperantiam ſuadeo, quæ nullum unquam patiatur exceſſum, nam ut dicemus ſuo loco, Homo ſanus nullis obligare ſe legibus debet.

Caput XXXVI.

Quam malè populus omnes præter naturam dormientes vocet Lethargicos.

NOn eſt admodum gravis hic error, verùm explicatu facilis, nam populus omnes ſoporoſos affectus lethargi nomine complectitur. Medici verò diſtingunt, multæ enim ſunt affectiones ſoporiferæ in quibus ſomnus arctius, quam pro naturæ lege hominem occupat. Non mirum ſi populus hic erret, cum Latini veteres veterni nomine omnes affectus ſoporoſos comprehenderint. Imo Horatius Lethargi nomine quamlibet ejuſmodi affectum promiſcuè intelligit. Differentias igitur ut populus intelligat, ſciendum ſumnum profundum duplicem eſſe, naturalem, vel præter naturam. Ille interdum poſt longas fatigationes arctior ſuccedit, aut in iis qui in febribus diu pervigiles fuerunt contingit, valde diuturnus, ipſiſque ſalutaris, ſicut & pueris. Sed præternaturalis à cauſis præter naturam proficiſcitur, difficulter ſolvitur, ſæpe remediis vix cedit, corpori potius nocet quam prodeſt, ut Lethargus, coma, cataphora, caros, apoplexia, aliique etiam in quibus ſomnus præter naturam gravior occupat. Lethargus autem eſt ſopor, ſed cum febre, deli-

rio,

rio, oblivione conjunctus. Reliqui ſoporoſi affectus, ut plurimum febre carent & delirio, ſic quoque cataphoræ nomen commune interdum eſt omnibus ſoporoſis affectibus, ita ut etiam complectatur Lethargum, ideo Paulus & Aëtius lethargum definiunt per cataphoram, Lethargicos inquit Paulus comitatur febris Lenta cum *Cataphorâ*; Alibi apud Hippocratem & alios ſumitur pro comate, quæ eſt delatio aut propenſio ad ſomnum, ſive ægri verè dormiant ſive non, nam hoc deſiderium dormiendi aliquando inane eſt, & dicitur coma vigil, aliquando profundè dormiunt, & ſæpe ſequitur alios morbos, ut phrenitidem, febres pituitoſas, ſanguineas. Interdum ſanis qui frigido & humido ſunt cerebro hoc vocabulum tribuitur, & ebriis quorum cerebrum multis vaporibus infeſtatur, & obruitur. Aut ex ſanguinis fervidi vaporibus contingit, quibus gravatur cerebri facultas. Caros etiam ſomnum profundiſſimum ſignificat, quomodocunque contingat, ſed propriè eſt ſomnus arctiſſimus, in quo ſine ſenſu & motu jacet animal, ſervatâ tamen reſpiratione, & febre carere ſolet. Imaginationem, rationem, memoriam proſternit. Tam profundus ſopor hic eſt, ut nec vinculis doloriſicis, vellicationibus pilorum, cutis, clamore, clangore tubarum, tympanorum, excitari poſſint, quo differt

differt à Lethargo, quo qui afficiuntur, ſtimulati excitentur, interrogati reſpondeant, quanquam mox præcipites ruant in ſomnum, idque cum febre, quæ non adeſt in caro, etſi caros per accidens poſſit eſſe cum febre, ſed non eſt de naturâ cari, ſed in Lethargo eſt aſſidua comes, & inter ſigna illius pathognomica recenſetur. Omnes iſti affectus mali ſunt & periculoſi, & optime diſtinguendi, nam cum variis ex cauſis fieri poſſint, varia habent prognoſtica, varios eventus, in convulſionem, forſan etiam & apoplexiam degenerare poteſt, hæc autem ſi valida ſit certò necat, imbecilliori paralyſis fere ſemper ſuccedit.

Caput XXXVII.

Cujus Epilepſiæ curationem populus expectare debeat.

Inter morbos quamplurimos, quos Agyrtæ & circumforanei curare aggrediuntur, Epilepſia eſt, qui multa pollicentur, pauca præſtant, ignorantes cujus Epilepſiæ ſperabilis curatio ſit, cujus verò non. Morbus autem hic ſacer dicitur, ob magnitudinem, ut ſacrum mare, os ſacrum, quia maximum, vel quia deteſtabilis ſit & execrandus, ut apud Poëtam dicitur, *Auri ſacra fames*, vel quod divinus ſit à Deo immiſſus, aut dæmone,

mone, ut in Euangelio Lunaticus à Dæmone agitatus erat. Quam tamen appellationem Hippocr. & Galenus improbant, cum nihil habeat hic morbus cæteris Sacratius, aut præſtantius, ſed eandem cum reliquis naturam obtineat. Verùm à Magis & circulatoribus ità vocatum fuiſſe, ut ignorantiam ſuam excuſarent, cum morbum curare non poſſent; Non eſt tamen negandum poſſe dici ſacrum & divinum, vel quia à dæmonibus, & flagitioſis hominibus à Lunâ immitti quidam putant, ut ſcribit *Aretæus*, tum quia occultum quid adeſt, quod totius ſubſtantiæ proprietate agit, ut aura illa venenata, qua ſympathicam epilepſiam excitat, quomodo tam horrenda ſymptomata inducere poteſt, niſi totius ſubſtantiæ qualitate agat? Quorum enim in minimo quanto maxima virtus eſt, ea non manifeſtâ ullâ vi, ſed occultâ agere dicuntur, ut venenum canis rabidi, Scorpionis & phalangiorum morſus. Talis eſt virtus illa exiguæ auræ, quæ interdum à ſummis artubus, interdum à viſceribus in cerebrum elata, epilepticas convulſiones excitat. Eſt convulſio, aut potius motus convulſivus, non quilibet, ſed cum mentis & ſenſuum oblæſione, habetque periodos, aliàs variæ membrorum in quibuſdam morbis agitationes non ſunt epilepſia. Ut autem populus ſuos errores intelligat,

Scien-

Sciendum eſt eam generari, vel per Idiopathiam, vel per ſympathiam, præcipuè ſtomachi aut uteri, aut à determinatâ, certaque corporis parte, ut cruribus, manuum pedumve digitis, unde tenuis aura in cerebrum effertur, quæ ipſum irritat. Varium & portentoſum morbi genus eſt, terribile in acceſſionibus, quandoquidem nonnunquam acceſſio una hominem rapuit; At ſi diligenti curâ vim morbi ſuſtinet laborans, ægrè tamen vitam ducit, inter fœditates, ignominias, & dolores. Non facilè recedit, vexat pueros & adoleſcentes, interdum per provectiorem ætatem ſuccedentem abigitur. Quod ſi malum hoc penitus inſederit, neque ipſum Medicus, neque ætatis mutatio ſubmovent, ſed cum ægrotante vivit & commoritur. Rationem eo uſque morbus conturbat, ut prorſus denique infatuentur, ut obſervat *Aretæus*. Morbus hic diuturnus, ſed cujus acceſſiones ſunt acutiſſimæ, maximè in pueris ob nervoſi generis imbecillitatem: ſicut & omne convulſionum genus. Omnis quidem curatu difficilis, quanquam junioribus ſi paroxyſmorum vim evaſerint, ſub venereorum tempus, & puellis fluentibus menſtruis ceſſare poſſit, niſi errata aliundè obſtent. Demum anno 25. finiri poteſt decreto Hippocratis, ætatis mutatione, loci, temporum & diætæ; Sæpe tamen ætatis muta-

mutatione non tollitur, ut experientia oſtendit. Si quidem ſit à pituitâ, ea tempore dum corpus ſicceſcit tolli poteſt. Debet quoque eſſe Idiopathica, nam ſympathica ætatis mutatione non ſanatur, nec eſt poſt annum 25. incurabilis. Contingit igitur pueris vel ab ortu, propter malam ipſorum temperiem, quæ tempore & ætatis mutatione ſanari poteſt; Unde non ſine ratione quidam crediderunt pueris epilepticis extra paroxyſmum, nulla adhiberi debere remedia, quia vel ſponte mutatione ætatis curatur, vel inſanabilis remanet 7. Aphoriſmo libri 5. *Quibuſcunque epilepſiæ fiunt ante pubertatem mutationem accipiunt, quibuſcunque autem 25. ferè commoriuntur.* Sic in pueris Paulus omnem prohibet curationem, ſolâ idoneâ victus ratione contentus dum ætatis mutatio contingat, ſed non eſt mutationi ætatis ſemper fidendum, ideo etiam remedia non ſolum in Paroxyſmo, ſed etiam in intervallo uſurpanda ad temperies emendandas. Quod ſi anno ad ſummum 25 non deſinat, nunquam ſaneſcit. At ſi contingat ob vitæ errata, poteſt mutatâ in melius victus ratione curari; Quod ſi Idiopathica contingat poſt annum 25. nunquam ſanatur; Ingenuè confitetur Gordonius, ſe multos habuiſſe Epilepticos, & ſe neminem vidiſſe ſanatum, præter pueros, & eos

L qui

qui ex malo victu id paſſi eſſent, quibuſque etiam diu non durarat. Temerè faciunt qui credunt iis qui ejuſmodi morbi facilem curationem pollicentur. Sed qui decipi vult decipiatur, Sympathica autem curari, ſed vix poteſt, maximè ſi altas radices egerit.

DE
VULGI ERRORIBUS
LIBER TERTIUS.

De erroribus circa victus rationem tam ſanorum, quàm ægrorum.

CAPUT I.
De bonitate Aquarum,

AQuæ potum in morbis adeò commendant *Hippocrates*, *Galenus*, *Avicennas*, aliique Medicorum principes, ut maximas poſt venæ ſectionem in febribus ardentibus curandis partes illi tribuant, eſtque etiam plurimarum gentium potus ordinarius. Verumtamen quidam hodie ab ejus uſu ita abhorrent, ut præſentanæum fermè venenum eſſe putent. Credunt autem illi ob regionis frigus, aquas in Anglia crudiores eſſe, minuſque tenues & ſalubres, quam in Gallia, Hiſpania, & regionibus fervidis. Et ſanè de bonitate aquarum maximè

ſollicitus debet eſſe quilibet. Dignoſcitur autem optima odore, calore, ſapore, hypochondriorum levitate, facili caloris & frigoris receptione; ita ut optima illa ſit, quæ viſui limpida, & pellucida, nullius rei ſaporem, vel odorem refert, tum quæ leviſſima eſt, tenuiſſima, hypochondria celeriter pertranſit. Talem aquam cum reperire ubique liceat, in regionibus etiam gelu adſtrictis, talemque ſæpe in hac regione invenerim, plurimùm errare illos conjicere licet, qui generaliter aquas patrias damnant. Error autem hic eſt, quod ex regionis frigore aquæ bonitatem, vel inſalubritatem æſtimant, nam immoderatè frigidam eam eſſe credunt, & propterea crudam, coctuque difficilem, quam ἀτέραμνον vocat *Hippocrates*. Quod tamen non eſt admittendum: nam bonitatem ſuam aut cruditatem, aqua à ſole non mutuatur, quia ejus calor aquam calefacere non poteſt in terræ viſceribus, etenim eo uſque non penetrat, qui vix ad nos per ædium tecta pervadit. Id docent cellæ ſubterraneæ, quæ ſumma æſtate frigidiores ſunt. Quod ſi Sol hujus rei cauſa non eſt, pariter nec Mundi partes cauſa eſſe poſſunt, quæ tantùm ob Solis propinquitatem, vel remotiorem ſitum calidæ fiunt. Rectiùs igitur alii ſubterraneum frigus, vel calorem accuſant, nam ſi mitis eſt terræ calor, cocta eſt

aqua,

aqua, ſi verò adſint incendia, aut calida, aut tepida erumpit, ita ut omnis generis aquæ in quaſlibet Mundi partes effluere poſſint: quod maximè verum eſt, ſi de ipſo fonte hauriantur, antequam ab aëre frigidiori fuerint alteratæ. Adde tranſcolationis modum: Ea ſiquidem purior eſt, non quæ ſolem aut averſum habet, aut ſpectat orientem, ſed quæ magis percolata eſt. Eſt enim corpus natura ſua ſimplex, quod niſi alienæ cujuſpiam rei permiſtione inquinetur, æqualis ſemper erit bonitatis, ubique terrarum. Propterea quæ magis percolata, ſicque defæcatior reddita eſt, melior erit, quantùm ad naturæ ſuæ integritatem magis accedit, & ab alienæ rei permiſtione libera eſt. Ideo cum percolatio rem hanc totam perficiat, dubium non eſt, ubique poſſe & bonas, & malas aquas ſcaturire, prout percolatio aut melius, aut pejus ſit. Hoc autem opus ex natura terræ dependet. Ex hoc errore dependet alter, quod ex aqua ſatis impura cerviſiam tenuem leviter tantùm decoquunt, nam levi coctione non poteſt emendari, nec cruditas tolli, hinc contingunt mala, quæ aquis crudioribus attribuunt authores, quod craſſæ ſint, ventri graves, diutiùs hæreant in præcordiis, fluctuationes efficiant, facilè corrumpantur, nec alimentum probè diſtribuant, oportet enim potum eſſe leviſſimum,

& facilè meabilem ; Pejus faciunt, qui eam bibunt recentiſſimam, ut multi ſolent, præſertim in Borealibus Angliæ regionibus, ſic enim nec palato ſapit, nec corpori ſalubris eſt, nam gravis hypochondriis eſt ob fæcum multitudinem, & obſtructiones parit. Optima igitur erit mediocris, bene decocta, probè defæcata.

Caput II.

Aquam per plumbeos canales deductam non eſſe ideo malam.

SPlendidæ multæ urbes optimâ aquâ carentes, eam ex longinquis locis per canales varios, lapideos, ligneos, plumbeos procurant, quæ putealibus quas rarò haurimus meliores ſunt, ſed iis inferiores quæ de ipſo fonte hauriuntur, quod Solis calor eas nunquam attingat. Tubi fictiles & lignei aquas præſervant puras. Sed metallicæ fiſtulæ non ſunt adeo bonæ, eaſque vituperarunt antiqui, ut apud Vitruvium videre licet libro octavo cap. 7. Plumbeæ ideo vitioſæ putantur, quoniam ex eo ceruſſa naſcitur, hæc autem dicitur nocere corporibus humanis, exemplo artificum plumbariorum, qui morbos inde incurrere ſolent, & eſſe pallidi fiunt. Ipſe Galenus 7. de Medicamentis ſecundum locas, ſive partes,

àquam per plumbeos canales deductam improbat, quod recrementa quædam plumbi huic admiſceantur, quæ poſtea dyſenterias pariant. Sic quoque pro medicamentorum conſervatione vaſa ſtannea fugiebat, quoniam ſtannum plumbo adulterari ſolet, unde majores noſtri fiſtulas plumbeas fugiebant. Verumtamen noſtrorum ſeculorum experientia contrarium docuit. Germani, Galli, Hollandi, aliæque nationes iis ſine nocumento utuntur. Ceruſſa ſiquidem non facilè vi aquæ puræ educitur è plumbo, ſed ſolum virtute ſpirituum acidorum, & acrium, ut ſucco limonum, berberis, aceto, unde niſi aquæ vitriolicis, aut aliis acribus ſpiritibus ſint infectæ, nunquam ceruſſam educent: Magna autem differentia eſt, inter artifices plumbarios qui plumbum liquant, atque ejus vaporibus inficiuntur, & aquam frigidam, quæ potius plumbum congelat, quam quicquam ex eo educat. Unde Galenus nimis fuit hâc in re ſuperſtitioſus, qui has aquas putavit dyſenteriam parere; Quod ſi unquam id factum fuit, id aquarum, non fiſtularum plumbearum vitio contigit. Medicamenta autem in vaſis ſtanneis conſervari non debent, quia ſæpiſſimè acria ſunt, aut acida, aliaſve qualitates vel naturâ ſuâ, vel fermentatione obtinent, quibus ſtannum interdum afficitur. Ideo etiam vaſa plum-

bea diſtillationibus minùs commoda cenſentur, quòd vi ignis & Herbarum liquoribus multum de plumbo decedat, diſtillationique immiſceatur. Sed aqua pura, & ſimplex qualem ſupponimus per ejuſmodi fiſtulas deduci, vires has non habet, Sic videmus plumbeos globulos ſæpe diutiſſimè in corpore geſtari. Itaque etſi præferri debeant tubuli fictiles, in horum tamen defectu plumbeæ fiſtulæ uſurpari poſſunt. Sed æneæ malæ ſunt, in iis enim ſponte effloreſcit ærugo, quam quæ aqua lambit, inteſtina corrodit.

Caput III.

Ægrorum lintea ſæpius eſſe permutanda.

Lintea ſæpius ægris permutare piaculum plebi eſſe videtur. Inde ſiquidem credunt ægros reddi imbecilliores, hunc errorem apud ſuos indicârunt, & reprobarunt. *Holler. cap. de Febre ardente. Rondelet. cap. de Febre Synocho*, ſed rationem non reddiderunt. Jubent autem ut ſæpiùs ægrotantibus lintea permutentur. Nam ex diutina illorum retentione tria incommoda ægris contingunt: corporis tranſpiratio impeditur, ſudores & ſordes in induſiis retinentur, putreſcunt, fœtorem contrahunt, ſordes & ſudo-

ſudores corpus obſtruunt, ſicque calorem ingeminant, quæ tria quantùm ægris ſaniſque incommoda ſint, Medici omnes norunt. Jubet *Hippocrates* circa ægros omnia munda eſſe debere, & Galenus omnibus modis tranſpirationem liberam ſervare ſtudet, ut aër frigidus attrahatur, & fuligines excludantur, maximè in febribus continuis, in quibus ut plurimum ex pororum cutis obſtructione febris contingit. Itaque iis obſtructis, tum à ſordibus, tum à ſudoribus, vaporum & fuliginum retentio conſequitur, inde febris, quæ prius erat, augetur, aut nova accenditur. Contra vix fieri poteſt, ut ille cui corpus optimè tranſpirat, liberum ac patens eſt, in morbos incurrat graves & periculoſos. Veteres qui linteis non utebantur, frequentem habebant, tum balneorum, tum frictionum uſum, quibus corpus aperiebatur & mundabatur. Adde quod retenta putreſcunt excrementa, ſudores malè olent, unde loris ſuccedit incrementum, nec febrilis evacuatio iſta per poros cutis commodè ſequitur. Optimum eſt igitur frequentiſſimè lintea ægrotantibus permutare, &, cum ſudarint, corpus diligenter abſtergere.

Caput IV.

De libro diætetico Leſſii.

Leſſius Societatis Jeſu Theologus, vir doctiſſimus, eleganti ſanè libro diætetico, ita ſingulorum hominum victus rationem conatus eſt metiri, ut voluerit ſufficientem cibi quantitatem eſſe unciarum duodecim; potûs verò quatuordecim, quam qui obſervabit, nullum cibi genus recuſare debet quo populus utitur, nec facilè in morbos ex plethorâ, vel cacochymia incidet, ſemperque corpore vegeto & animo alacri præditus erit. Quæ ſanè omnia de ſobrietate in genere vera ſunt. *Sanitatis enim ſtudium eſt, non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores. 6. Epidem. Sect.* 4. *aph.* 20. Sed quantitas illa cibi potuſque non mihi videtur admodum Medicorum placitis conſentanea; Quantitas enim alimentorum omnibus hominibus eadem eſſe nequit, ſed diverſa pro temporum & locorum ratione, ciborum genere, exercitationibus, laboribus, & natura ſumentis. Videtur autem præcipuè religioſis viris accommodaſſe illud vitæ inſtitutum; Æſtate minor, hyeme major cibi quantitas convenit, quoniam *ventres hyeme ſunt calidiores, ſomnique longiores, ex Hippocrat.* 1. *Aphoriſm.* 15. Quoniam igitur differt corpus

pus à corpore, natura à natura, & differunt regiones, anni tempora, ætates, variæque ſunt alimentorum naturæ, certa menſura præſcribi nequit. Quædam alimenta ſunt polytropha, quorum exigua ſufficit quantitas, quædam oligotropha, quæ majore copia debent exhiberi. Unde *libro de veteri Medicina, rectè ſcripſit Hippocrates*, nec modum, nec pondus, nec numerum cognoſci poſſe, nec aliam certitudinem reperiri quam corporis ſenſum, ſic docet *Galenus 2. aphor. 27.* Eam quantitatem eſſe exhibendam, quæ ventriculum non gravet; Ea maniſeſtè ſcribit *Hippoc. 1. aphor. 5. Sanis periculoſiorem eſſe tenuem victus rationem, quam pleniorem.* Cui aſſentitur *Celſus cap. 1. libri primi*, qui ſuadet bis die, potius quàm ſemel, & ſemper quàm plurimum aſſumere, dummodo hunc concoquat. *Idem* ſcribit hominem ſanum, & qui ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debere, modo etiam largiùs ſeſe invitare. Victus indicatur à viribus, vires autem indicant ſui conſervationem; At victus ejuſmodi vires non conſervat, ſed imminuit, calorem nativum exhaurit. Victus rationem triplicem faciunt Medici, tenuem quæ vires imminuit, mediocrem quæ conſervat, plenam quæ eaſdem auget. Tenuis autem nunquam ſanis, ſed ægris tantùm competit, nam ſicut *cibus ſano robur eſt, ita agro-*

Caput IV.

De libro diætetico Leſſii.

LEſſius Societatis Jeſu Theologus, vir doctiſſimus, eleganti ſanè libro diætetico, ita ſingulorum hominum victus rationem conatus eſt metiri, ut voluerit ſufficientem cibi quantitatem eſſe unciarum duodecim; potûs verò quatuordecim, quam qui obſervabit, nullum cibi genus recuſare debet quo populus utitur, nec facilè in morbos ex plethorâ, vel cacochymia incidet, ſemperque corpore vegeto & animo alacri præditus erit. Quæ ſanè omnia de ſobrietate in genere vera ſunt. *Sanitatis enim ſtudium eſt, non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores. 6. Epidem. Sect.* 4. *aph.* 20. Sed quantitas illa cibi potuſque non mihi videtur admodum Medicorum placitis conſentanea; Quantitas enim alimentorum omnibus hominibus eadem eſſe nequit, ſed diverſa pro temporum & locorum ratione, ciborum genere, exercitationibus, laboribus, & natura ſumentis. Videtur autem præcipuè religioſis viris accommodaſſe illud vitæ inſtitutum; Æſtate minor, hyeme major cibi quantitas convenit, quoniam *ventres hyeme ſunt calidiores, ſomnique longiores, ex Hippocrat.* 1. *Aphoriſm.* 15. Quoniam igitur differt corpus

pus à corpore, natura à natura, & differunt regiones, anni tempora, ætates, variæque ſunt alimentorum naturæ, certa menſura præſcribi nequit. Quædam alimenta ſunt polytropha, quorum exigua ſufficit quantitas, quædam oligotropha, quæ majore copia debent exhiberi. Unde *libro de veteri Medicina, rectè ſcripſit Hippocrates*, nec modum, nec pondus, nec numerum cognoſci poſſe, nec aliam certitudinem reperiri quam corporis ſenſum, ſic docet *Galenus 2. aphor.* 27. Eam quantitatem eſſe exhibendam, quæ ventriculum non gravet; Ea maniſeſtè ſcribit *Hippoc. 1. aphor. 5. Sanis periculoſiorem eſſe tenuem victus rationem, quam pleniorem.* Cui aſſentitur *Celſus cap. 1. libri primi*, qui ſuadet bís die, potius quàm ſemel, & ſemper quàm plurimum aſſumere, dummodo hunc concoquat. *Idem* ſcribit hominem ſanum, & qui ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debere, modo etiam largiùs ſeſe invitare. Victus indicatur à viribus, vires autem indicant ſui conſervationem; At victus ejuſmodi vires non conſervat, ſed imminuit, calorem nativum exhaurit. Victus rationem triplicem faciunt Medici, tenuem quæ vires imminuit, mediocrem quæ conſervat, plenam quæ eaſdem auget. Tenuis autem nunquam ſanis, ſed ægris tantùm competit, nam ſicut *cibus ſano robur eſt, ita ægro-*

tanti morbus: aphor. 65. libri 7. & impura corpora quo plus nutries eo magis lædes, aphor. 10. lib. 2. In ſanis verò ſervandum ſemper eſt naturæ robur, aut augendum alimentis, non frangendum; At vires quidem auget cibus plenior, tuetur & conſervat moderatus, imminuit tenuis, hunc igitur in ſecunda valetudine ſemper fugere oportet. At reliquorum alterutro, ſive ſit plenior ſive reficiendis, tuendiſque viribus reſpondeat, uti conveniet, prout præſens ſtatus poſtulare videbitur, ut docet Galenus comment. Ad aphor. 4. libri primi. Quod reperti ſint inter ſanctos Patres qui ad centeſimum ætatis annum continuis jejuniis & extrema cibi potuſque abſtinentia pervenerint, id potius tribuendum eſt miraculo, quàm ulli cauſæ naturali, inquit *Mercurialis, ad aph. 4. lib 2.* Ipſe tamen Leſſius rectè docet, non fuiſſe rem hanc miraculoſam, ſed naturæ poſſibilem. In genere victus ejuſmodi ſpiritus paucos, minuſque vivaces & agiles reddit; corpuſque ad externas aëris injurias ferendas, & labores, minus aptum facit, *nam ubi fames, laborandum non eſt* aphor. 16. lib. 2. Poteſt forſan corporibus humidis, aſſuetis, ſenioribus, vitam contemplativam agentibus convenire, nam *fames corpora ſiccat. 7. Aphor. 59. & ſenes facilè jejunium ferunt, aphor. 13. libri primi.* Quamvis igitur librum hunc doctiſſimi Leſ-

ſi maximè probem, & religioſis contemplativam vitam degentibus commodiſſimum cenſeam, minùs tamen aliis convenit, aliud vitæ genus ſectantibus; in genere tantùm ex eo quilibet diſcere poteſt, ſobrietatem virtutem eſſe maximè laudandam & corpori admodum proficuam ad ſanitatem corporis & animi tuendam, morboſque præcavendos.

Quidam nimium rigidè obſervant præceptum Hippocratis, ſcilicet non ſatiari cibis, ſed hic conſiderandum 1. quænam ſit alimenti, 2. quænam ſumentis natura; 3. quod vitæ genus ſequatur; 4. quænam ſit anni cœlique conſtitutio. Si igitur cibi ſint coctu difficiles, aut malam habeant aliquam qualitatem, iis non ſatiari eſt utiliſſimum, quamvis aliquid conſuetudini, & gratiæ alimenti ſit concedendum. Ventriculus quoque ſi ſit frigidior, quia plus ſolet appetere quam concoquere queat, non eſt omnino ſaturandus, contrarium obſervare debet in calidiore, qui melius concoquit, quam appetit. Temperati autem tantùm aſſumant, quantum ſufficit fami ſedandæ, nec niſi famelici ad paſtum accedant; Cavendum tamen ne ventrem cibo onerent & gravent. Demum non eadem cibi quantitas convenit iis, qui in otio vivunt, & iis qui exercentur: His enim quia potentius digerunt, ſaturari

non eſt noxium. Sed etiam temporum anni ratio habenda, nam hyeme plus dare & aſſumere præcipit Hippocrates aph. 15. libri primi; Quod ſi cibus vires gravet, corrigatur inediâ, ſomno, quiete, & ſi hæc non ſufficiant vomitu.

Caput V.

Ægris non pleniorem, ſed tenuem victum convenire.

Rectè ſcripſit Hippocrates, *Primo Aphoriſmo*, non ſolùm Medicum, ſed & adſtantes, & ægrum officio ſuo fungi debere, aliàs remedia commodè nequeunt adminiſtrari, ſi quæ rectè Medicus præſcripſit, adſtantes aut omittunt, aut intempeſtivè adhibent, aut inconſulto Medico aliquid circa ægrum moliuntur, quod poſtea ipſi futurum eſt nocivum. Ideo capite hoc loquemur de adſtantibus. Solent enim mulieres illæ quæ ægrotantibus inſerviunt, tum etiam affines, & amici ægrum inviſentes, cibos obtrudere quam plurimos, & ſæpiùs, ad vires ut ajunt ſuſtinendas, veriti ſemper ne ægri fame pereant. Optima ſane illis mens eſt, virium ſiquidem integritas totius animantis conſervatio eſt. Victus autem ratio omnium maximè virium incolumitatem ſpectat, per accidens verò curationem, quatenùs morbo illiuſque-

huſque cauſæ reſiſtere debet. Solent autem potiſſimum peccare in quantitate, qualitate, & tempore, quibus non ſolùm ciborum, ſed & omnium remediorum circumſtantiæ concludi ſolent. Quantitatem quod ſpectat, nam ab ea faciemus exordium, notandum eſt, ægrotantes habere latitantes intus cauſas morbificas, quæ viribus vim inferunt, cibus autem etſi vires natura ſua conſervare ſoleat, cauſas tamen morbificas non debellat, unde fit ut cibum morbus ſæpe reſpuat, quem vires poſtulant. *Corpora impura quò plus nutries, eò magis lædes*, ſcribit *Hipp. aphor. X. lib. 2.* Quod obſervare deberent omnes qui dum ægris opem ferre geſtiunt, in certam perniciem illos detrudunt, & ſive medicus quippiam aut imperârit, aut prohibuerit, ex arbitrio tamen faciunt quicquid lubet; Familiare autem eſt ægris, præſertim febricitantibus, quibus potiſſimùm cuſtodes adhibentur, cibos averſari ob humores pravos ventriculum obſidentes, à quibus, ut docet Galenus in comment. corrumpitur cibus, ſicque augentur humores pravi, nec eorum qualitas emendatur, hinc tantùm abeſt ut augeantur vires, quin potius magis labefactentur, nam ut rectè idem Galenus alibi ſcripſit, non nutritur corpus ab iis quæ ingeruntur, ſed ab iis quæ ingeſta probè coquuntur, & digeruntur, quod in ægrotanti-

bus

bus fieri non ſolet. Ventriculus enim languidior cibum probè non concoquit, ſed potius ab humorum vitioſorum copia & contagione corrumpitur, ſicque morbificæ cauſæ fomentum præbet; Unde rectè ſcripſit idem *Hippocrates 7. aphor. 65. Si quis cibum febricitanti dederit, ut ſano robur, ſic laboranti morbus.* Hippocratis temporibus ſicut & noſtro ſeculo in victus ratione peccabatur, ut libro de victu Acutorum conqueritur. Ex ipſius igitur conſilio tenui victu uti ſatius eſt, qui ſi ſanis ſufficere poteſt, ut ſuperiori capite diximus, multò magis ægris; His igitur non plus dandum eſt, quàm vires ſuſtinere poſſunt. Obſervanda quoque hic eſt morborum natura: quidam enim ſunt diuturni, in quibus pleniùs nutrire licet, alii acuti, quibus tenuior victus ratio prodeſt, *ut 1. aphor. 7. Vbi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos labores habet, & extremè tenuiſſimo victu utendum eſt, ubi vero non, ſed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum eſt, quantum morbus extremis eſt mollior.* & ſequente aphoriſmo, *quando morbus in ſuo vigore conſtiterit, tunc victu tenuiſſimo eſt utendum*, quia ut dicit Galenus in comment. Non eſt natura ab humorum coctione ad cibi coctionem diſtrahenda. Cum igitur ex virium robore & natura morbi, victus quantitas æſtimanda ſit,

ſitque

ſitque in alimento tempeſtivè exhibito magnum remedium, non debent adſtantes importunè illud adminiſtrare, præſertim mulieres, quæ verentur ſemper ne ægri fame pereant. Cibum tamen omninò non improbo, eo ſiquidem ſolo vires conſervantur, ſed quantitatem, qualitatem, utendi tempus, non niſi ex Medicorum conſilio & arbitrio præſcribi debere hoc capite inſinuavi.

CAPUT VI.

De qualitate ciborum in ægris.

FAmiliare eſt pariter non ſolùm in quantitate, ſed etiam in qualitate peccare. Offerre enim ſæpe ſolent ægris etiam febricitantibus cibos varios, quos roborantes vocant, ut alam, quæ eſt cereviſia ſine lupulo, cum ovis, macere, nuce moſcata, cinnamomo decoctam, alioſque quos variis nominibus appellant. Imò & urgent interdum ad ſolidos cibos ſumendos: Sed hæc omnia ſatis imprudenter. Et quidem primò certum eſt, ſolidos cibos ægris eſſe valde importunos, cum à Ventriculo probè concoqui nequeant. At quæ ſorbentur à ventriculo faciliùs vincuntur, & citiùs alunt, unde ſorbitionibus potiùs quam cibis ſolidis alendos ægrotantes ſuadet *Hippocrates* variis in locis. Ejuſmodi enim diæta natura citiùs roboratur.

tur, nec revocatur à pugna quam inivit cum morbo. *Facilius eſt repleri potu quam cibo.* Aphoriſmo 11. *lib.* 2. ubi per potum quicquid ſorbendo ſumitur intelligit, ut advertunt interpretes. *Secundò* obſervandum eſt in ſanis quidem ſimiles debere eſſe cibos, quia ſervari naturalis ſtatus poſtulat. Unumquodque autem ſervatur ſimilibus: In ægris verò ciborum qualitas morbo debet adverſari, ut ſit in cibo medicamentum, unicuique enim morbo ſuum contrarium adhibeatur. *Calida natura refrigeratio, aqua potus, quies*, 6. *Epid. ſect.* 6. Unde contingit, ut qui ægrum roborare ejuſmodi victus ratione cupiunt, ſæpe magis lædant, cauſamque morbificam magis augeant, & ſic vires magis affligantur. Igitur ſemper Medici prudentia adhibenda eſt, nec debent temerè adſtantes quælibet exhibere quæ aliàs ſanis proficua ſunt, eadem enim ægris maximè nocere ſolent; Et hæc hoc loco monuiſſe ſatis eſt. Nam doctrinam hanc fuſiùs explicare pertinet ad Scriptores rei Medicæ. Hic autem non Medicinam docere, ſed errores ſuos populo indicare conſtitui, ut alibi dixi.

CAPUT VII.
De tempore utendi cibis.

ETiam quo tempore commodè cibi poſſint exhiberi, conſuli debet Medicus, aliàs error ægro pernitioſus contingere poteſt, eſtque hodie nimiùm familiaris: Solent enim adſtantes, & præſertim mulierculæ, cibos ægris offerre quando minimè oportet. Ubi ſciendum in morborum acceſſionibus à cibo eſſe prorſus abſtinendum, ut docet *Hippoc. aphoriſ.* 11. *lib.* 1. *In acceſſionibus abſtinere oportet, nam cibum dare nocuum eſt. Et quibus per circuitum fiunt acceſſiones, in ipſa acceſſione abſtinere oportet.* Et 19. ejuſdem libri. *His qui per circuitus acceſſionem habent, nihil dare oportet, neque cogere, ſed ſubtrahere adjectioni ante judicationes.* Qua in re forſan tempore Hippocratis non parum peccabatur, ſicut & hoc noſtro, in quo pauci ſunt qui indiſcriminatim non alant ægrotantes, nulla obſervata temporum ratione. Hic autem non ſolùm prohibet cibum dare in acceſſione, ſed & ægrum cogere, ut ſumat, ſolent enim multi urgere ægrotantes ad cibum capiendum: Natura autem dum in acceſſione adverſus morbum decertat, conficiendo alimento minùs intenta eſt, quo fit ut ille incoctus morbum

bum ejuſque ſymptomata augeat: Quæ autem damna ex importuna cibi oblatione ſuccedant, docet idem *Hippoc.* 4. *de acut.* Primum eſt caloris ſuffocatio; redit enim in paroxyſmo morbificus humor in præcordia, calorem gravat multò magis ſi cibus acceſſerit: ſecundum eſt, paroxyſmorum morbique incrementum & productio, non poſſunt enim ſimul materiâ morbifica & cibus probè concoqui, & evinci, proinde excrementa neceſſariò cumulantur, quæ inflammationes, æſtus aliaque ſymptomata, morbumque poſtmodum augent. At quoniam caſus quidam eſt in quo ægros alere in paroxyſmo non ſolum licet, ſed neceſſarium eſt, quando ſcilicet æger calidæ admodum eſt & ſiccæ naturæ, os ventriculi habet imbecillum, & ſenſus exquiſitiſſimi, ita ut à quolibet humore facilè offendatur, & ſyncopes periculum afferat, tunc nutrire iis rebus, quæ ventriculum roborant, utiliſſimum eſſe judicat *Galenus*, 10. *methodi. cap.* 3. ubi hiſtoriam narrat juvenis cujuſdam, qui æſtate tertiana laborans, niſi in acceſſione cibum capiebat, incidebat in ſyncopen. Verùm caſus ejuſmodi rarus eſt, & non exiguam in Medico ſolertiam judiciumque expoſtulat & vulgi captum ſuperat, ideo non ſine conſilio prudentis Medici factum hoc licet imitari. Quæ à me dicta ſunt ut ſeriò cogitent om-

nes, non eſſe temerè utendum iis remediis quæ aliàs naturæ maximè familiaria eſſe videntur, nam in ſingulorum exhibitione plurima conſideranda ſunt, quæ ſolus peritus Medicus novit; Ea autem plurimi qui temere Medicinam faciunt, ignorant, qui tantùm id curant ut popularem captent auram, & populo placeant, & videantur eſſe de viribus ægrotantis ſolliciti, quarum tamen conſervatio non ex verbis, ſed commoda remediorum adminiſtratione dependet. Meminerint ergo omnes, non ſemper ægris eſſe obtemperandum, ut ſi noceat id quod æger expetit. *In his autem ægris obtemperandum eſt*, inquit, *Hippoc. 6. Epid. ſect. 4. textu 7. Vt ſcilicet cibus & potus purè conficiantur, grata etiam ſint quæ viderint, & mollia quæ attingunt, ſed non admodum lædant & facilè reparabilia ſint, veluti frigida exhibitio ubi ea opus fuerit, & alia.* Sic rectè vult Avicennas ſen. tertia, primi, quæ expetuntur ab ægris concedi poſſe, modo detrimentum corpori non accedat; & Hipp. aphor. 38. lib. 2. *Parùm deterior cibus & potus, ſuavior autem, melioribus quidem, ſed minùs ſuavibus eſt præferendus.* Ubi non pravos cibos, ſed tantum paulò deteriores concedit, modò æger admodum iis delectetur, & præfert illis quos æger omnino abhorret, quales nunquam ægris ſunt concedendi, ſic

Galenus

Galenus 1. *ad Glaucon.* concedebat febricitantibus ut fructus guſtarent. Sicut igitur nimis auſteros Medicos non probo, pejores tamen ſunt nimium indulgentes, qualis olim erat Romæ Aſclepiades, qui ægris concedebat balnea, vinum, carnes, & quicquid ægris gratum erat, & optatum, ſicque mentes hominum mirabili artificio ad ſeſe trahebat, haud dubiè non ſine inſigni multorum pernicie.

Ex prædictis error alter obſervari poteſt. In febribus enim intermittentibus, quando toto corpore frigeſcunt ægrotantes, potus & actu calidos & multum calefacientes propinant, ut moleſtum illud frigus abigant, quod repugnat Hippocratis, veterum & recentiorum Medicorum authoritati, qui in acceſſionibus nihil præbere jubent, ſuadent potius demere de cibo & potu. Hinc jubet *Hippocrates* 1. *acut.* cum frigidi pedes fuerint, tum à ſorbitione tum à potu abſtinendum eſſe, potus enim præſertim calidus faciliùs corrumpitur, & febrilem æſtum exaſperat, in principio igitur nihil omnino dare ſatius eſt, ſed cum calor ad pedes deſcenderit, ut idem ait *Hippocrates*, aliquid dare licet, ſed tale quod morbo non ſit noxium, quales calidi iſti potus eſſe ſolent.

Caput VIII.

De potu quem Angli poſſetum vocant.

FAmiliare eſt ægris in potu *poſſetum* dictum præſcribere, eſt autem ex lacte concreto factum, quod non improbo, habet enim vim ſeri quæ aperiens eſt. Sed tantùm abuſus hic aliquos notare volo; Primò malè interdum coagulari lac admiſtione cereviſiæ fortioris, aut vini ſive Gallici, ſive Hiſpanici, tunc ſanè ſicut commodè, utiliter, & cum voluptate ſanis præberi poteſt, ita ægris febricitantibus, & in quolibet morbo biliosè nocet, nam corpus calefacit, cauſas febriles auget, jecur inflammat, ob dulcedinem, & magnam penetrandi vim, caput tentat, & eadem mala infert, quæ vini potus febricitantibus inferre dicitur. Secundo potus hic ægris ſemper calidus præbetur, attamen febricitantibus frigidi potus magis placere ſolent, & prodeſſe, ſitientibus enim calidos & calefacientes potus addere non eſt adeo conſentaneum, unde etiam Galenus aquam frigidiſſimam præſcribit ad ardorem temperandum. Sicut igitur in quibuſdam hunc potum non improbo; ita in febribus acutis & bilioſis minùs idoneum ſentio. Si quando igitur ejuſmodi ægris præbere illum volunt adſtantes, aut ſi ægri ipſi illud poſtulent,

lent, coaguletur lac fervens, vel cum ſucco limonum, aut pauco aceto, addendo aliquid ſacchari; Quod concretum eſt rejiciatur, ſic ſolum remanet ſerum ſuccis acidis admiſtum, ad refrigerandas febres, & obſtructiones ſolvendas optimum remedium. Sani autem poſſunt quolibet modo præparato uti ad lubitum. Quod ſi ex tenuiori cerevitia lac coaguletur, etiam proderit ægrotantibus, nam refrigerat, aperit, & plurima corpori bona afferre poteſt, ejuſmodi enim cerevitia vires habet aquæ hordei affines, quam tantopere laudant Avicennas & alii. Invenio apud Dioſcoridem adumbratam poſſeti conficiendi rationem, ſub nomine lactis ſciſſilis. *Lac fictili novo*, inquit, *fervet, ramoque ficulneo recenti movetur, inſperſis, poſtquam bis aut ter efferbuerit, totidem aceti mulſi cyathis, quot ſunt heminæ lactis, ita enim ſereſcens liquidum ab eo dividitur, quod in caſeum concrevit.* Quamvis enim nunc tantum non adhibeatur artificium, tamen eadem eſt parandi ratio, lac enim primùm, ſemel aut bis efferveſcit, dein vel vini vel cerevitiæ affuſione fit ſeparatio ſeri à craſſiori ſubſtantia, & hunc potum probat *Dioſcorides*, cui aſſentitur *Paulus Ægineta, libro primo, cap.* 88. & Aëtius cap. 96. lib. 2. tetrabib. primæ. Sed clariùs, *Galenus comment.* 4. *de rat. victus in acutis*, meminit

ſeri

ſeri per oxymel præparati, quod febricitantibus ad ejiciendam bilem, & alvum ſolvendam præfert, illiuſque conficiendi rationem docet; Meliùs igitur foret ſi Dioſcoridis, Galeni, & veterum imitatione, potus hic hodie in Anglia omnibus familiaris, ope ſuccorum acidorum, aut etiam oxymelitis præpararetur, ſic enim febricitantibus & bilioſis magis conveniret. De ægris hic loquor, nequaquam de ſanis.

Caput IX.

Decoctum & juſculum Galli veteris ad nutritionem malè præſcribi.

Ægrotantibus alimenta & concoctu facilia, & boni ſucci, facileque nutrientia præſcribi debere omnibus eſt in confeſſo, unde rectè gelatinæ, juſcula conſummata, & reſtaurantia dicta illis præparantur. Sed ſæpe carnes minùs aptæ & convenientes eliguntur. Inter alias familiare eſt uſurpare gallum pinguem & annoſum, ex cujus decocto ejuſmodi juſcula parare ſolent. Id ex malè intellectis Medicorum placitis primùm profectum eſt, apud quos celebratum eſt decoctum galli veteris. Ejus enim antiquiſſimus ſcriptor Dioſcorides meminit, & in ordinario apud recentiores Medicinæ ſcriptores uſu eſt. Verùm non ad nutrien-

dum, Carnes enim omnes vetuſtiores concoctu difficiles ſunt, craſſum ſuccum gignunt, probi ſucci & alimentalis minimum poſſident, ideo ægrotantibus nequaquam conveniunt; quibus nil niſi eupepton, & euchymon offerri debet. Id docet Dioſcorides lib. 2. Cap. 43. *Ius*, inquit, *è vetere gallo alvum dejicit, crudos humores, craſſoſque, atram bilem, & ſtrigmenta elicit, prodeſt longis febribus, ſuſpiriis, articularibus morbis, & inflationibus ſtomachi*, modumque præparandi docet, & Galenus XI. ſimpl. ſcribit jus gallinarum habere vim alvum retinendi, velut gallorum veterum ſubducendi; ubi pariter obiter monendum eſt ne juſcula gallinæ iis, qui purgationem ſumpſerunt, ante completam vacuationem præbeantur, quam vis enim nutriant, alvum tamen remorantur, Junioris autem galli juſculum nutrit optimè, humores contemperat, & propterea ægrotantibus optimè convenit. Legitur in antiquis Dioſcoridis exemplaribus, & aliis præter Ruellii verſionem, referente Matthiolo, *jus galli junioris maximè datur ad contemperandos humores vitioſos, & in ardoribus ſtomachi ſimpliciter paratum*. Sed Meſues rem iſtam optimè declarat, *cap. 23. de ſimplic. purgant.* ubi poſtquam gallorum & gallinarum juvenum carnem inter optima ali-

alimenta numeraſſet, addit, interprete Sylvio, *Decrepitorum autem præcipuè gallorum caro nitroſa, & ſalſa, cibo inepta, medicamentoſa eſt, jure ſuo maximè, potiſſimùm verò gallorum ruforum qui ad motum ſunt alacres, ad coitum ardentes, ad dimicandum fortes, obeſorum & macrorum medii, quoque vetuſtiores, eò magis ſunt medicamentoſi Galeno. Id jus ob nitroſam, & ſalſam ſubſtantiam calidum eſt, lavat, terget, tenuat, flatus diſſipat, cum ſemine anethi, vel dauci, & polypodio, & ſale gemma coctum, & dolorem ventriculi, coli, ilium, renum, à flatibus ortum ſedat, obſtructa aperit, purgat pituitam cum turbith & Cnico, ob id confert arthriticis doloribus ex hac natis, &c.* Ex quibus patet non ad nutriendum, ſed ad medicamentoſas vires veterem gallum uſurpari; Quare in poſterum meliùs facient, qui ægris ad alendum juniorum juſcula præbebunt. Conſtans enim eſt Hippocratis, Galeni omniumque medicorum ſententia, carnes omnes vetuſtiores minùs eſſe ad alendum idoneas, propterea ægrotantibus minùs convenire concludendum eſt.

Caput X.

Aurum fruſtra incoqui juſculis tabidorum.

FAmiliare etiam eſt quibuſdam, juſculis ægrotantium maximè tabidorum & conſumptorum aurum addere, quod etſi noxium & pernitioſum eſſe non credo, puto tamen eſſe inutile. De virtutibus quidem auri inter Medicos non parva eſt altercatio. Multi ſiquidem præſtantiſſimi Medici cordis affectibus inſervire ſtatuunt, viſum recreare, palpitationem, ſyncopen, lepram, epilepſiam curare, vino extinctum ſplenis doloribus mederi, melancholicis conferre, putredinem cohibere, *Avicen. fen.* 5. *cap.* 7. In auro inquit naturæ ſunt abſconditæ quæ proſunt veneno, ſi puer naſcens teneat in ore, non timebit Dæmonem, ſi prægnans biberit, abortum non faciet. At *libro de Medic. cordialibus* aurem ponit inter argentum & hyacinthum, vultque eſſe argento præſtantius, ſed inferius hyacintho. Limatura ejus ingreditur medicinas melancholicas. Addit autem, argentum aliquantulum eſt frigidum & ſiccum, & ejus affectus eſt ſimilis hyacintho, niſi quod debilius eſt. Hyacintho autem tribuit vim cor lætificandi & roborandi ac veneno reſiſtendi, quas vires ait ab hyacintho

cintho manare, ut à magnete virtutem trahendi ferrum, nec diſſolvi & ſuperari à calore noſtro, ſicut vegetabilia ſolent. Id enim, inquit, ſubſtantia ejus non patitur, ſed tantùm calor naturalis ipſius penetrationem juvat. *Fernelius* ipſe maximè commendat quod non ſit malignitatis metallicæ particeps; *Paracelſus* quoque omnes morbos, lepram etiam, & podagram illius uſu ſanari poſſe contendit. Eoſque plurimi recentiores ſequuntur, aurumque variis medicamentis admiſcent; Verùm hæc omnia alii negant, *Antonius Muſa Braſſavolus, Andreas Baccius de thermis, Fallop, Eraſtus, Rondeletius. Duretus,* aliique graviſſimi viri. Præfert Savanarola aquam vitæ omni auro, quod ex vegetabili, cardiaco humanæ naturæ familiari eliciatur. Hanc ego litem hoc loco meam non faciam, quamvis enim cardiacum excellens, roboranſque medicamentum aurum eſſe videatur, illud juſculis incoquere etſi innoxium, inutile tamen eſt, ab eo enim nihil diſſolvitur, nec tranſit in liquorem, præter ſordes quaſdam ob ſubſtantiam plurimum compactum, quæ nullis ignibus, nulla coctione diſſolvi poteſt; Deinde non eſt nobis ἀπρόσφυλον, à calore noſtro ſuperari nequit, nec faceſſit in ſanguinem, nec ſpirituum jacturam reparare poteſt, cum ſit à natura noſtra alienum. neque in eam converti poſ-

ſit: eſt enim metallorum ſubſtantia adeo aliena ab humana natura, ut quovis modo præparata nunquam poſſint fieri alimenta, propterea aurum nec lepram, nec hecticam, nec tabem, aut morbos ab inanitione curare unquam poterit, qui non mera alteratione, ſed ſubſtantiæ alicujus repoſitione indigent, qualem ſuppeditare nullum metallum poteſt. Cum igitur hectici non roborari qualitate ſola, ſed reparari humido ſubſtantifico poſtulent, fruſtra aurum illorum juſculis incoquetur, ſiquidem humidi radicalis jacturam reſarcire nequit, cum non vertatur in alimentum, & quale aſſumptum, aut decoctum fuit, nulla ponderis imminutione excernatur. Hæc tamen non adimunt ipſi vim cardiacam, quæ forſan ipſi adeſt, ad venena morboſque melancholicos edomandos, ſed nulla ad nutritionem. Non ita pridem vir bonus *Daniel Sennertus præfatione libri de conſenſu Chymicorum*, deceptus à ſycophanta Germano ſcripſerat gallinam per menſem auri foliis ſaginatam ita perfecte aurum in ſuam ſubſtantiam convertere, ut in pectore tres lineæ purè aureæ quaſi ab artifice inductæ cerni poſſint, quæ ſanè extraordinaria eſt nutriendi ratio, ſcilicet aſſumptum alimentum, etiam ad tertiam uſque coctionem ita naturam ſuam retinere, ut prorſus immutatum, hoc eſt omnino à natura nutriti alienum,

num, in ipſius tamen ſubſtantiam convertatur. Sed hoc experimentum etiam falſum fuiſſe qui periculum fecere teſtari poſſunt, ut de ſeipſo profitetur vir doctiſſimus, & olim mihi notiſſimus Montalbani Petrus Laurenbergius (ſub quo Philoſophiæ tunc operam dabam) in examine aphoriſmorum Angeli Salæ. Sed hæc non eſt unica fraus Chymicorum Impoſtorum, qui uni vero experimento falſiſſima multa addere ſolent, & vires extollere rerum quæ nuſpiam comparent.

CAPUT XI.

Lac cum aqua per miſtum tabidis convenire.

QUoniam inter tabidorum, de quibus ſuperiori capite diximus, remedia non poſtremum, ſed præcipuum locum lac obtinet, de eo pauca dicemus, eſt enim ad hoc opus auro multò præſtantius: nutrit enim, refrigerat, ulcera conſolidat; & ad alia plurima utile eſt. In illius tamen exhibitione variæ cautiones ſunt obſervandæ, quas Medicus conſiderare debet, ne potiùs noceat, quàm proſit, nam facilè in ſtomacho corrumpitur. Quibuſdam enim vertitur in nidorem, interdum aceſcit, vel concreſcit in ſtomacho. Quum aceſcit, incoqui poteſt aliquid mellis, vel ſacchari: Aciditatis enim

ventriculi frigiditas cauſa eſt, ſed ſi vertatur in nidorem à calore corrumpitur, tum aquam etiam ſatis multum admiſcere utile eſt. At populus hanc miſtionem aquæ non probat. Præſtantiſſimi tamen Medici eam comprobârunt, nam fervorem temperat, lacti ipſi non nocet, hecticis & tabidis refrigerando & humectando prodeſt, maximè ſi bubulum lac ſit, quod hodie eſt omnium maximè familiare. *Hippocrates 7. Epid. lac.* exhibet bubulum cum aquæ ſexta parte, tum quia ejuſmodi lac natura ſua craſſus eſt, tum quia facilè vertitur in nidorem. Et 5. *Epid. textis 56.* recenſet hiſtoriam Pythoclis qui lac multa aqua permiſtum ægrotantibus exhibebat. Πυθοκλῆς τοῖς κάμνουσι γάλα πολλῷ ὕδατι μιγνὺς ἐδίδου. Et ſanè eadem ratio eſt cur *Avicennas*, aliique lac detracto butyro exhibent, quia tunc magis aquoſum redditur, ideoque magis refrigerat. Sic pariter *Galenus* Aſininum lac commendat, quia tenuiſſimum eſt, ſerò abundat, coaguli minimum habet, unde ad ſiccitatem emendandam, caloremque temperandum maximè eſt idoneum. Verum ſi ejuſmodi lac deſit, commodum erit bubulum ad Aſinini temperiem & conſiſtentiam deducere, quod commodiſſimè aquæ permiſtio præſtat. Id non tantùm veteres, ſed etiam recentiores advertunt, *Gordonius*, *Ioubertus*, *Hollerius* aliique.

Scribit

Scribit *Hollerius cap. de Phthiſi & febre hectica: Si ructus ſit nidoroſus, parum aquæ incoqui debet cum lacte.* Quod conſilium ſi plurimi ſequerentur, majus ex lactis uſu emolumentum perſentirent, quam ſolent.

CAPUT XII.

Falſum eſſe illud vulgare proverbium, Lac à jecore eſſe abluendum.

PRoverbium hoc multis valde familiare & ordinarium, quia non eſt magni momenti, de eo pauca tantum dicemus. Plurimi cum lacte veſcuntur cereviſiam ſtatim, vel vinum potant, dicuntque, lac à jecore eſſe abluendum, cujus dicti nulla eſt ratio: nam tunc nondum ad jecur lac pervenit, ſed adhuc in ſtomacho continetur, quare non eſt cur à jecore abluatur. Potius ergo expectandæ forent horæ tres quatuorve à lactis ſumptione, tunc enim prima ventriculi coctione peracta, lac in jecore continetur ut vertatur in ſanguinem. *Secundò* lac potius quam alios cibos à jecore abluere nulla ratio cogit. Eadem enim eſt omnium ciborum ratio, quos aliquamdiu in jecore contineri ut in ſanguinem mutentur, neceſſe eſt. *Tertiò* certum eſt, hoc modo lac in ſtomacho coagulari, & ſic faciliùs poſtea corrumpi, tardius concoqui, ſtomachum gravare. Lac

enim in ſtomacho concretum inter venena recenſetur & hominem novi qui hoc modo ſubitò interiit. Obſervent igitur qui lacte utuntur, ne temerè vinum aut potus alios lac diſſolventes aſſumant; facilè ſiquidem illorum uſu lac in ventriculo corrumpitur, acceſcit, & noxium evadit.

Caput XIII.

Cerevisiam fortiorem non eſſe manè à jejunis bibendam.

HÆc eſt uſitatiſſima omnium fermè conſuetudo, ut manè, poſtquam ſurrexerint, hauſtus habeant ſuos, ut vocant, matutinos ex cerevisia fortiori, interdum quoque etiam ex vino. Scio à quamplurimis Medicis nullo modo probari morem illum mane bibendi quemlibet potum, quia humectatio illa ventriculi robur diſſolvit, laxum facit, & enervat, unde cruditatibus poſtea corpus repletur. Sed hæc abſolute à me non probantur, nam potus ille matutinus, modo cerevisia fortior non bibatur, cibi diſtributionem promovet, ventriculum expurgat, &, ut rectè dicunt, abluit, calorem nativum temperat, corpus humectat, &, quod credo veriſſimum, calculi generationem impedit, renes ſiquidem temperat & humectat, ſicut veteres receptioreſque plurima juſcula ex butyro,

butyro, malva aliiſque ejuſmodi, præſcribunt ad renum temperationem, quidni pari ratione imbecilliorem cereviſiam, quæ refrigerat, humectat, & diuretica eſt. Sed tamen unicè cavendum eſt, ne manè ventriculo jejuno & vacuo cereviſia generoſior, aut alii ejuſmodi potus ingerantur, nam nervoſis partibus nocent, unde podagra, arthritides, viſcerum inflammationes aliique maximi morbi oriri poſſunt, nam propter ſubtilitatem, & vim magnam ſpirituum, ejuſmodi potus ſeſe inſinuant in nervoſas partes, unde arthritici fieri ſolent, qui ejuſmodi potibus impensè delectantur, & vino podagricis ſeriò interdicitur. Sed tamen etiam hic conſideranda eſt naturarum diverſitas, nam qui temperamento ſunt humidiori, quoniam exiguo potu egent, ne manè quidem jejuni bibere debent; Qui autem ſunt ſicciores jejuni quidem poſſunt & debent, ſed non generoſos potus, citius enim illis nervoſæ partes offenduntur, & exſiccantur. Id confirmat *Gab. com. ad aphor.* 21. *lib.* 2. ubi docet, ſi ante ciborum uſum liberaliore vini potu quiſpiam uſus fuerit, illum maximè offendi, convulſionibus ac deliriis corripi, & *com. ad aphor.* 28. *lib.* 6. Inter cauſas quare plurimi podagra & arthritide laborant, eam refert, quòd nullo præſumpto cibo vina fortia potent, *hæc enim nervorum ſubſtan-*

etiam promptiſſimè offendunt, ſicut & ocitus. Plutarchus quoque in ſimpoſiacis diſputans, an novi morbi oriri queant; hanc novorum cauſam affert, quòd vina generoſa nullo præmiſſo cibo potare ſoleant. Eadem de cereviſia fortiori ratio eſt, quæ eadem & majora mala inferre poteſt. Itaque ſicut tenuioris cereviſiæ potum non improbo, quamvis etiam omnibus non conveniat, ità à fortiori cenſeo abſtinendum, metu quamplurimorum morborum. Galenus Diodoro Grammatico ſuadet, ut manè uteretur pane in vino macerato. Plutarchus vocat eos prudentes qui panem manè comedebant, 8. ſympoſiac.

CAPUT XIV.

Malè ad coctionem promovendam poſt craſſiores cibos aquas vitæ ſtillatitias aſſumi.

HIc pariter mos eſt quamplurimorum, ut ſi quando cibis utuntur difficilis coctionis, quales ſunt carnes ferinæ, bubulæ, piſces ſalſi, aut facilè corruptibiles, ut ſunt fructus æſtivi, horæi dicti, ſtatim ſuperbibant aquas generoſiores ſtillatitias, ut aquam vitæ, cinnam. roſam ſolis dictam, aliaſque ejuſmodi ad coctionem ſcilicet juvandam. Sed id non ſine periculo ſanitatis fieri ſolet. Cum

Cum enim prædicti cibi non niſi longiori in ſtomacho mora concoqui ſoleant, aquæ ejuſmodi penetrante & permeabili virtute præditæ, cibos hos nondum probè concoctos in venas deducunt, unde cruditatum & obſtructionum proventus. Sic rectè vetant Medici ne diureticis ſimul cum cibis, aut ſtatim poſt cibos utamur, ne ad vias urinæ ſtomachi cruditatem vehant, malumque pejus reddant; Sic quoque iiſdem uti vetant, quando humor vitioſus aut copioſus eſt, aut in primis viis ſtabulatur, antequam purgatio præmittatur, alioqui metus eſt ne obſtructiones in urinæ meatibus, aut in viſceribus, vel fiant, vel augeantur. Eademque eſt ratio aquarum, quæ ad concoctionem promovendam aſſumuntur, ob magnam qua pollent aperiendi vim. Idque plurimi authores Medici obſervarunt. Rondelet. c. de Paralyſi deſcribit aquam ad Paralyſin quam vult ſumi vacuo ventriculo. *Quæ multum calida*, inquit, *& tenuantia ſunt, debent ſumi vacuo & primo purgato ventriculo, nec commiſcenda ſunt cibis, nam cogerent cibos nondum concoctos ſecum deſcendere, & ſic parerent obſtructiones.* Et cap. 31. recenſet hiſtorias duorum Medicorum, quorum primus cum *vellet provocare menſes uſu aperientium & attenuantium ſyruporum, deduxit mulierem ad paralyſin, quia crudi*

humores & glutinoſi, qui erant in viis ductuum, vi ejuſmodi medicamentorum deducti ſunt ad partes, & nervis impacti paralyſin concitarunt. Alter cum vellet curare pallidos colores, eadem ratione deduxit puellam ad paralyſin crurum. Sed clariſſimè capite de palpitat. *Ad intra*, inquit, *dentur illa quæ calefaciunt ventriculum, & flatus diſcutiunt. Cui rei eſt animadvertendum. Nam tribus aut quatuor horis ante paſtum dare poſſumus quæ fortiter calefaciunt, & flatus diſcutiunt, modo jecur non ſit præcalidum, qualia ſunt diatrion pip. diacym. diatriſ. aromat. r. ſ. diagalanga & ſimilia. Hæc non debent dari immediatè poſt nec ante paſtum, quia ſua caliditate & tenuitate ſecum ſtatim ad primas vias alimentum ſemicrudum raperent. Hinc patet illos errare, qui pulveres maximè calidos à paſtu exhibent, qui debent eſſe mediocriter calidi.* Quod conſilium etiam ab aliis probatur, ut, quæ digeſtionem promovent, cibos præcedant, non ſequantur, ut docet *Riolanus*, *Gordonius in praxi*, Fuchſius capite de cruditate. Videntur aquæ prædictæ primum valde calefacere, ſed tamen poſtea, præſertim ſi familiaris illarum uſus eſt, multùm nocent. Savanarola Medicus ſuo tempore inſignis refert hiſtoriam Franciſci Gonzagæ Marchionis Mantuæ, qui cum ad ſtomachi

mbe-

imbecillitatem curandam, aqua vitæ ex conſilio Medicorum uteretur, in tantam venit debilitatem, ut omne alimentum in ventum verteret, & niſi optima victus ratione in ſex rebus non naturalibus uſus fuiſſet, citius periiſſet, & rectè advertit *Rubeus capite* 2. *ſect.* 2. pejus facere illos qui cum ſibi ab heſterna crapula ſtomachum gravari ſentiunt, aquas ejuſmodi potant: hinc enim paralyſes, tremores aliaque mala pullulant, cum enim tenuis ſint ſubſtantiæ, & facilè penetrent, leviores humorum partes ſtatim in caput rapiunt, & in principium nervorum inſinuant, unde paralyſes, tremores interdumque apoplexiæ: unde rectè conſulit idem, ut quum aſſumuntur, nequaquam multa cruditate ſtomachus refertus ſit, tribuſque ſaltem horis earum potus cibum præcedat, quod aliis etiam ad coctionem juvandam remediis convenire poteſt. Ejuſdem opinionis eſt quoque Aëtius, libr. 3. Serm. 1. cap. 24. in quo deſcribit remedia ad cruditatem. *A cibo*, inquit, *nunquam, neque hæc neque aliud quoddam pharmacum, quod vehementem penetrationem facit, accipiatur. Diſtribuitur enim ac digeritur cum ipſo aliquid crudorum ciborum, & obturationem facit; Vſus ejus convenit poſt matutinam fricationem, duabus ante exercitium balneumque horis.* Hæc Aëtius. Quod de dyſpeptis

ſpeptis diximus, convenit etiam iis quæ facilè corrumpuntur, ut ſunt fructus horæi dicti, malè enim ejuſmodi calida & aperientia poſt aſſumuntur, ut rectè explicat vir Doctiſſimus Valleriola locorum communium libr. 2. cap. 7. *Nec poſt fructuum eſum, malorumque ciborum ingerendus potus, præſertim multus, & generoſi vini. Efficit enim ut præcipiti lapſu vitioſus ſuccus in vaſa permeet, & incoctus putredinem & malum morem recipiat; Dein addit, ſi à cibo malo, fructibus præſertim bibendum ſit, aquæ quam vino uti ſalubrius duxerim, ne vini potu fervor & exbullitio accedat, præcoxque bibi in viſcera tranſitus, & putredo, obſtructio, cruditas & corruptela ſequantur, quod facere vinum hauſtum ſolet.* Pariter errant illi qui cum in ventriculo flatus cruditateſque perſentiunt, ejuſmodi aquas bibere ſolent ad ventrem calefaciendum, & roborandum. Hic ſanè videntur inde aliquid percipere emolumenti, quamdiu ejuſmodi aquæ orificium ventriculi calefaciunt; Verum tenuitate ſuæ ſubſtantiæ facilè penetrant in viſcera, eorum intemperiem augent, unde poſtea affectus increſcit, & quo ſæpius ac copioſius ejuſmodi aquas bibunt, videtur magis magiſque venter refrigerari, & debilitari. *Nam quæ nimium calefaciunt tantum abeſt ut ventriculum calefaciant.*

lefaciant & roborent, ut potius refrigerent rarefaciendo, vel ex alto trahendo calorem internum ad circumferentiam, ut vult Rondelet. cap. de palpitatione. Propterea rectè monet *Mercatus*, maxima cum cautione utendum eſſe præſidiis quæ coctionem augent, aut flatus diſcutiunt. Fallimur enim, inquit, non rarò ob flatus nimis turgentes, & cogimur ipſos diſcutere non ſine magno laborantium malo. Et hæc præcipuè obſervanda ſunt iis qui hypochondriacis flatibus abundant, quorum viſcera æſtuant, ventriculus autem videtur frigidior. Forſan dicet quiſpiam Medicos præſcribere piper craſſo modo contuſum, *Aëtium* commendare uſum abſynthii ad ejuſmodi flatus hypochondriacos. Verum ut obſervat *Amatus Luſitanus Medic. peritiſſimus*, piper craſſo modo contuſum prodeſt, quia ad viſcera non pervadit, ſed ſolum ventrem roborat, jecur ideo non calefacit. Deinde ipſius calor in primis viis extinguitur & citò diſſipatur. Demum humores acres deterget & educit. Abſynthium quoque prodeſt, quia docente Galeno ventriculum adſtringit, non pituitoſis, ſed bilioſis humoribus qui huic morbo fomentum præbent, deterſione ſua opitulatur, eoſque per alvum & urinam educit.

CA-

Caput XV.

Obſtetrices malè puerperis nil niſi calidos potus dare.

AUdivi ſæpe puerperas conquerentes de inſigni ſiti & ardore, quoniam ex mala obſervatione receptum eſt, ut nihil refrigerans aſſumant, ſed tantùm calidos potus & calefacientes, ut vinum cum aromatibus coctum actu calens (qui potus in Anglia eſt nimium familiaris) aquam cinnamomi, & ſimiles, ſcilicet ut roborentur, nam ſemper adſtantes de ejuſmodi roborantibus ſolliciti ſunt, tum ne frigus ipſas lædat, vi enim frigoris ſæpiſſimè tormina in alvo contingunt, præcipuè à partu. At ſanè gravis hic error eſt, & puerperis ſæpe pernitioſus, ſemper autem valde tædioſus. Puerperarum autem variæ ſunt ſortes, quædam enim morboſum in ſeipſis habent apparatum, & partus laboribus agitati humores morbifici varios in illis morbos procreant, aliæ autem inculpata ſanitate fruentes ſtatim ad ſeſe redeunt, & ſenſim abſque ullo gravi ſymptomate convaleſcunt. Prioribus ejuſmodi generoſi potus & calidi valdè noxii ſunt, nam viſcera calefaciunt, humores morbificos non emendant, ſed augent, magis accendunt ac corrumpunt; Poſterioribus autem quæ alias benè valerent, febres

ſebres ejuſmodique morbos alios accerſere poſſunt. Quamvis autem valde frigidos potus non probem, ſed potius quodammodo tepidos, calidos tamen probare non poſſum, ob rationes dictas. Et quidem ſi febris adfuerit, Medici alterantes & refrigerantes ſyrupos præſcribunt, quidni etiam potus? Sæpe ideo puerperis hac de cauſa æſtuantibus & ſupra modum ſitientibus conceſſi potus non adeo generoſos, & ſubfrigidos, à quibus multùm recreatas ſe ſenſerunt, multò magis potus illi convenient ſi febricitare illas contingat. Pariter malè faciunt, quæ pluribus cibis & polytrophis illas nutriunt: nam in principio tenuis victus eſſe debet & parcus, ut in illis qui magna vulnera paſſi ſunt, natura enim infirmior magnam cibi quantitatem conficere nequit, & ut docet *Hip. 2 acut.* à conferta vacuatione ad pleniorem victum non eſt ſtatim properandum; hinc metus eſt ne humores excrementitii multiplicentur, febris accedat, aliaque ſymptomata contingant. Parcè ergo nutriantur ut juſculis, donec metus febris, aliorumque ſymptomatum abierit & probè fuerint à lochiis repurgatæ, tunc ſenſim ad pleniorem victum tranſeundum eſt, & ſic abſque ullo periculo vires in ipſis redintegrantur. Hunc errorem animadvertunt fermè omnes qui muliebres morbos deſcripſerunt, Rodericus à Caſtro

cap. 4.

cap. 1. lib. 4. *Moleſtum*, inquit *ſemper fuit tolerare fæminas, quibus enixam moderari cura eſt, niſi enim epulis & vino liberalius indulgeant, nihil boni præſtare exiſtimant, habent enim neſcio quas leges, & ſtatuta miſerculis vehementer noxia, ipſis verò ſacra, quibus neglectis prudens Medicus ea providere jubeat, quæ neceſſaria fore judicabit.* Petrus Salius diverſus eundem errorem apud Italos maximè reprehendit. *Quod ad victus rationem*, inquit, *ſciendum eſt communem eſſe ferè omnium mulierum errorem, exiſtimantium à partu ſtatim optimis alimentis reficiendas, & nutriendas eſſe puerperas, unde ad jura caponum, ad eorundem carnes, ad aromata, ad vina vinoſa ſtatim deveniendum eſſe opinantur, niſi prudens aſſiſtat mulier, vel diligens advocetur Medicus, qui talia errata animadvertat.* Jubet igitur, ut abſtineant à carnibus, vino, aromatibus, & cæteris, quæ febrem vel inducere vel augere apta ſunt.

Caput XVI.

Errores duo circa Nutricum electionem.

Nobiles mulieres quæ tædia nutritionis ferre nolunt, ex conſilio interdum Medicorum niſi maxima neceſſitas urgeat, eas nutrices rejiciunt quæ lac vetuſtum habent,

id eſt, quæ per longum tempus, annum ſcilicet, unum vel alterum lactaverunt. Lac enim vetuſtum non adeo ſalutare infanti recens nato ſibi perſuadent. Unde nutricem interdum præferunt, quæ non diu lactavit quamvis ſeniorem, illi quæ diutius lac præbuit, etiamſi junior ſit. Verum credo ego hallucinari eos omnes qui lac vetuſtum ullum eſſe credunt, cum ſingulis diebus novum & recens nutricum mammæ ſuppeditent. Supponendo igitur nutricem juvenem eſſe, benè moratam, bene temperatam, probis & euchymis alimentis utentem, viri conſuetudine abſtinentem, nihil referre credo quamdiu ipſa lactaverit. Cum enim lac referat cauſæ materialis & efficientis naturam, & ab his tantummodo cauſis generetur, ſi nutrix prædicta benè temperata ſit, & benè morata, nullis ſcilicet animi pathematis, ut mœrore & iracundia agitata, & probis ac euchymis alimentis nutriatur, dubium non eſt quin ſemper & quolibet tempore probum lac ſuppeditet. Lactis enim natura ſequitur naturam ſanguinis ex quo fit; Sanguis autem in corpore probè conſtituto ex probis alimentis, ſemper bonus generatur. Ex bono ſanguine malum & improbum lac generari non ſolet, ſi omnia probè in corpore ſeſe habeant. Nec ipſa lactationis actio lac alterare poteſt, & vitiare, quia Natura nihil malum

lum inſtituit, & cum puero malè ageretur, ſi indies pejus nutricis lac ex ſolo lactandi actu redderetur. Experientia oſtendit in tenuioris fortunæ mulieribus, quæ tantas circa lactis electionem cautiones non adhibent, pueros probè nutritos, & boni habitus inveniri. Quando igitur nutricem eligendi occaſio datur, tantummodo illius temperies, incolumitas ac ætas conſiderentur. Hæc enim ſi probè ſe habeant, ex laudabili diæta bonum ſemper lac ſuppeditabit, & ſemper recens, quia ſingulis diebus ſemper novum generatur, eaſdemque habet generationis ſuæ cauſas poſt annos quinque, quas primo menſe habuerat.

Alter error eſt quorundam non minùs ſuperſtitioſus, non ſolum populi, ſed etiam Medicorum quorundam, qui ſcilicet nimis cautè obſervant, an nutrix marem vel fœminam pepererit, lacque illius quæ marem peperit, magis idoneum eſſe nutritioni puellæ, & contra lac illius quæ fœminam peperit, magis puero convenire volunt, quia lac illius quæ maſculum fœtum enixa eſt calidius creditur, atque ideo puellæ quæ temperatura frigidior cenſetur, magis eſſe idoneum, quia frigiditatem ejus acuit; & contra, quia mas calidior perhibetur, lac nutricis quæ femellam peperit, ipſius calorem temperat. Verum hæc omnia falſa ſunt. Nam *primò*

malè

malè ſupponunt fœminam mare ſemper eſſe frigidiorem, cum tamen oſtendat experientia, quaſdam fœminas quibuſdam maribus eſſe frigidiores, nec mulier biliofa viro pituitoſo frigidior abſque errore cenſeri poteſt, quod alibi variis rationibus demonſtrabo; quamvis tamen id concedamus, nullum ſententiæ noſtræ accedet detrimentum. *Secundo* malè ſupponunt, puerum lactantem lactis temperiem immutare. Cum enim, ut diximus, lac efficientis, & alimentorum ex quibus generatur naturam ſequatur, quid adverſum hæc puer poteſt? Nam dum lac ſugit, non poteſt contactu ſolo matris conſtitutionem immutare, nec alimentorum quibus ipſa utitur temperiem. Forſan credet quiſpiam, fœtum quamdiu utero continetur ſuam temperiem matri communicare, eam calefaciendo, ſi mas eſt, aut refrigerando, ſi fœmina. Verum id valdè dubium eſt. Nam fœtus fœmineus potius matrem calefaceret, quia ſemper infantes adultis ſunt calidiores. Sed præterea ſcimus, quàm difficile ſit nativam conſtitutionem immutare, ita ut vix alimentorum, aut medicamentorum longo uſu ita labefactari poſſit, quin ad priſtinam facilè naturam revertatur. Et videmus matrem edito fœtu antiquam temperiem retinere, nec ulla ſupereſſe veſtigia ullius temperiei quam à fœtu acquiſierit. Quod
ſi

ſi ulla adeſſet, facilè tamen temporis decurſu, & vario alimentorum uſu perire poſſet, & aboleri. Certius igitur eſt, non ipſius fœtus, ſed nutricis tantum conſtitutionem & alimentorum quibus ipſa uti ſolet, naturam conſiderare,

Caput XVII.
Pueris fortes & generoſos potus malè concedi.

MUlta circa puerorum educationem peccati certum eſt, unde tam multis gravibuſque malis afficiuntur, & tam multi moriuntur, quorum non minima cauſa eſt prava victus ratio. Vidi autem ſæpè & vinum & cereviſiam fortiorem quoſdam pueris indulgere, quod tamen valde noxium eſt, & repugnat placitis veterum Medicorum. Galenus 1. & 5. *de ſanit. tuenda* vinum ante annum 14. pueris non concedit, quia nimium calefacit, & humectat, caput vaporibus replet, unde non corpori modo, ſed etiam animo damnum accedit. *Paulus* quoque ante 21. ætatis annum denegat, quia calefacit, exſiccat, ad iram & libidinem citiùs excitat, caput vaporibus replet, nervoſum genus debilitat, unde facilius poſtea tentantur convulſionibus, podagra, aliiſque ejuſmodi nervorum affectionibus, interna viſcera

viſcera, præcipuè jecur labefactat, cerebri bonam conſtitutionem evertit, nervorum imbecillitatem inducit, frigida vitia accerſit, & hæc omnia faciliùs in pueris, quibus nervi ſunt naturâ imbecilliores. Platonis porro decreto 2. de legibus, vinum illis non competit, quia furioſos eos reddit, mentem hebetem turbidamque facit. Cum enim pueri temperamento calidiori ſint, humida victus ratio & temperatior illis convenit, ne exſiccante ejuſmodi potu præmatura ſenectus accerſatur, & plurimis acribus in cerebrum ſublatis vaporibus, convulſiones, & pravi cerebri, nervorumque affectus, conſequantur. Quod ſi neceſſitas quædam illud præbendi ſeſe offerat, non niſi paucum & dilutum præbeatur, conſilio Hippocratis *lib. de victu idiotar. textu.* 23. Idem quoque dicendum eſt de cerevifia fortiori, eadem enim & graviora ex illius uſu quam ex vino mala proveniunt, ob liquoris craſſitiem, ſpiritusque impuriores. Sed tenuior & imbecillior cerevifia probè cocta & defæcata illis convenit. Poteſt tamen concedi tanquam medicamentum, ad intemperiem alterandam, humores digerendos, poros aperiendos, urinam provocandam.

Caput XVIII.

Cibos ſolidos infantibus ante dentium eruptionem non eſſe dandos.

Obſervavi etiam ſæpe, infantibus ante dentitionem, offerri carnes comedendas, alioſque ejuſmodi cibos ſolidiores, quod tamen pariter noxium eſt; rectè ſiquidem docet *Galenus cap.* 7. *lib.* 15. *de uſu part.* naturam tunc primores dentes pueris dare, cum ipſis cibo ſolidiori opus eſt, quod pariter eleganter explicat 1. *de ſanit. tuenda*, *cap.* 10. pueros non eſſe niſi lacte alendos, antequam primores dentes emittant, & revera cibi ſolidiores in ipſorum ventriculis pravè concoquuntur, ſtomachum gravant, lac nutricis immiſtione ſuâ corrumpunt, gingivis tenellulis nocent, unde clamant pueri, & inquieti redduntur. Et ratio favet, natura enim nunquam deficit in neceſſariis. Quare ſi ejuſmodi cibi pueris eſſent utiles, non denegaſſet ipſis dentes ad maſticandum. Quia autem per aliquot menſes dentes denegavit, indicio eſt ipſis non niſi ſorbiles cibos convenire, & præcipuè lac, quod omnibus animalibus tanquam familiariſſimum alimentum natura ſuppeditavit. Primis igitur menſibus ſolo lacte utatur infans, poſt paulo grandior factus etiam pulticula, cujus tamen in Anglia non

non eſt familiaris uſus, quæ tamen ab aliis nationibus, tanquam ſolum & utiliſſimum puerorum alimentum uſurpatur. Emiſſis autem primoribus dentibus ſenſim maſticationi aſſueſcat, & carnibus minutiſſimè conciſis, & pane utatur, quæ ſenſim maſticando leviter deglutiat. Obſervandum hic eſt, quando infantes cibis aſſueſcere incipiunt, optimum eſſe ut per horam unam à ſuctione lactis abſtineant, ne lac in ventriculo aliis cibis permiſtum, diutiuſque retentum corrumpatur. Advertunt plurimi authores pueruIos vix unquam lumbricis tentari, quamdiu ſolo lacte utuntur, quod tamen non credo eſſe perpetuò verum.

Caput XIX.

Licere largius ſeſe invitare ſanitatis cauſa.

NOn cupio hic cenſeri patronus ebrietatis quam odi maximè, ſobrietatem dignam homine virtutem laudo & probo. Scio enim quot mala ebrietas corpori & animo afferre ſoleat. Nec veterum quorundam probo conſuetudinem, qui ſemel in menſe inebriari, utile corpori eſſe cenſuerunt. Sed tantùm id monebo, dari quoſdam caſus in quibus largiùs ſeſe invitare, & copioſiùs merum bibere, ex Medicorum ſententia, ſummè

prodeſt. Ebrietas quidem ordinaria, quæ multis nimium eſt familiaris, etſi ab antiquis laudetur, Græcis ſcilicet, qui amabant compotationes, periculoſa tamen eſt, & inter morbificas cauſas non immeritò recenſetur. De ea hic non loquimur, ſed de vini uſu extraordinario ad morborum curationem utili. Quærit *Ariſtoteles* 1. *Problem* 2. cur morbi curentur ubi quis abundè exceſſit, & rationem loco citato reddit, unde putant ſcribuntque plurimi meracioris vini potu ſanari poſſe quartanam, quod verum eſſe interdum confirmat experientia, quia cauſæ morborum & remedia inter ſe contraria ſunt; hinc fit ut, per unius exceſſum, alterum reduci poſſit ad temperiem. Cauſam prætere reddit *Amatus Luſitanus*, quia natura excitatur, & materiam jam coctam, per vomitum, ſudorem, alvum ejicit. Sed præterea ſcribit *Hipp. aph.* 21. *lib.* 2. *famem caninam meri potione ſolvi*, θώρηξιν vocat, quo nomine ſignificatur interdum ſola vini generoſi potio, tum etiam copioſior ad ebrietatem uſque, & *Galenus in comment.* ejuſmodi morbum ſe curaſſe ſcribit, propinato liberaliùs vino, voluntque hinc deduci vocem hanc, quod vino liberalius ſumpto incaleſcit pectus, ſicut dicitur & magni Catonis ſæpe mero caluiſſe virtus. Ἀκροθώρακες illi ſunt qui largius ſeſe invitarunt, nondum tamen

tamen ſunt ebrii, ſed memoriam, rationem, vimque diſcernendi adhuc liberam habent. *Clemens Alexandrinus 2. Pædag.* Senibus Chriſtianis vinum indulget, modo non excedant terminos ἀκροθωράκων. Prædicto igitur aphoriſmo præſcribit *Hippocrates* generoſi & meraci vini paulò copioſiorem potum, quia calefaciendo famem à frigida cauſa profectam curat, ſpiritus vireſque reficit. Et *aphor.* 48. *lib.* 7. idem de ſtranguria ſcribit, *ſtranguriam & dyſouriam thorexis & venæ ſectio ſolvit*, quando ſcilicet à flatu, aut intemperie frigida, aut obſtructione aliqua generatur. Et pluribus in locis copioſam vini potionem ad varios morbos commendat. *Paulus Æginetа* eam probat, quoniam urinam & ſudores promovet, *lib.* 1. *cap.* 95. Sed dicet Moralis Philoſophus id bonis moribus adverſari, & eſſe contra leges Chriſtianas. Verùm hic temulentiam non commendo, quæ ſi ſequatur, id erit per accidens ob variam naturam ſumentis. Si enim duobus ægris eodem morbo laborantibus amphoram vini Medicus præſcribit, unus forſan ebrius fiet, alter minimè: nam ebrietas ſequitur per accidens ratione Medici, cum inter homines quidam uno aut altero hauſtu inebrientur, alii verò non niſi pluribus repetitis. Ebrietatem igitur Medicus non imperat, quamvis vini liberaliorem potum internum

terdum ſuadeat. Sed præterea ejuſdem artificis eſt præſcribere remedium illiuſque quantitatem, quod ſi remedium legitimè & ſine peccato poteſt uſurpari, pariter illius quantitas erit ſine peccato, alias remedium irritum foret, nec proficuum. Demum qui non animo peccandi, nec voluptatis, ſed ſanitatis tantùm cauſa, ejuſmodi remedio utitur, vix peccatum admiſiſſe videtur. Ita ſentiunt Cajetanus, Gregor. de Valentia, ad quæſt. 150. in ſecundam ſecundæ.

Caput XX.

Pannos rubicundi coloris ad excretionem variolarum aliis non eſſe præferendos.

In variolis & morbillis naturæ conatum humores in habitum corporis excernentis, adjuvandum eſſe, conſtans eſt Medicorum ſententia, & docente natura etiam quilibet ex plebe indoctiſſimus novit. Propterea diligenter ambientis frigus evitandum eſt, ne à corporis habitu ad interiora humor noxius retrocedat. Ideo plurimi ægros pannis rubicundi coloris operiunt, affinitate ſiquidem coloris ſanguinem allicere creduntur, aut ſaltem vi phantaſiæ id fieri quidam exiſtimant. Nec tantùm populus, ſed etiam plurimi Medicorum illis utuntur. Verùm ſuperſtitioſus mihi videtur eſſe color

lor ille pannorum. Color etenim non operatur niſi per accidens, quatenus viſum & phantaſiam movet, quæ poſtea ſimilitudine coloris concitata, ſanguinem ad exteriora impellit. At ſic ſufficeret colorem ejuſmodi oculis objicere, nam cum corpori adhærent, & noctu, & ſub lecti linteaminibus non videntur. *Secundò* panni non educunt humores, niſi quatenus corpus calefaciunt, poros aperiunt, ab externo aëre tuentur, quod non ſolùm rubri, ſed & omnes panni cujuſlibet coloris præſtare poſſunt, omnium optimè albi. *Tertio Amatus Luſitanus*, *Valetius*, aliique qui ejuſmodi pannos ex vulgari conſuetudine probant, id ſedulo monent, ne corpus ipſum contingant, quia ex tinctura & aluminis admiſtione aliquam habent adſtringendi vim. Ideo quamvis eos non improbem, fruſtra tamen puto fieri colorum diſcrimen. Imò potius candidiſſimos probarem, quia color ille viſum diſgregat, ſpiritus evocat ad exteriora, & conſequentia quadam humorum in cute efflorescentiam promovet.

Caput XXI.

Quod malè plurimi laboribus incipientem morbum abigere ſtudent.

PLurimis eſt in more poſitum, quando ſe minùs bene valere ſentiunt, ut ambulationibus, exercitiis, laboribuſque morbum excutere conentur. *Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.* Idque interdum ipſis bene ſuccedit, ſed non ſemper, niſi leviſſima ſit cauſa morbi. Nam ægris moleſtia eſt noxia exercitatio ob humorum morbificorum agitationem. *Prodicus 6. Epid. ſect. 3. textu 23. febricitantes multis obambulationibus,* περιόδοισι, lucta, & ſiccis fomentis conficiebat: Sed reprehenditur ab Hippocrate. *Nam febris fami, lucta, obambulationibus, curſibus, frictionibus eſt inimica. Inde venarum rubor, pallor, laterum dolores molles contingebant.* Hunc ambulandi morem per periodos tribuit Plato Herodico in principio Phædri. ſic Aſclepiades in recenti & ardenti febri geſtatione utendum eſſe voluit, qui reprehenditur à *Celſo lib. 2. cap. 4. & 15.* Convellendas, inquit, ægri vires putavit labore, luce, vigilia, ſiti ingenti, ſic ut ne os quidem primis diebus elui ſineret. Non eſt igitur ſemper tutum ejuſmodi exercitiis adverſus morbum decertare, ſæpe enim poſtea deteriùs ſolent ægrotare.

CAPUT XXII.

Quomodo ſit verum, defectum prioris coctionis non emendari in ſequenti.

VEntris ſegnities, vaſorum impuritas, omnium confuſio, inquit, Hippocrates 6. Epidem Sect. 3. ſententiâ 1. Segnities ſive νάρκωσις imbecillitas eſt concoctionis naturalis. Segnis enim dicitur ventriculus, quando illius operatio non fit ſecundum naturam; Operatio autem naturalis cujuſcunque partis, tum demum eſt perfecta, quando illiùs temperamentum & compoſitio berè ſe habent, ideo prout varia eſt intemperies, ità diverſa eſt ſegnities, ſiquidem frigida cruditatem chyli parit, calida verò corruptionem. Hanc debilitatem ſequitur vaſorum impuritas, ex ſanguinis coctione læsâ, propter depravatam alimenti diſpoſitionem in ventriculo contractam, ſiquidem, ut vulgari proverbio fertur, vitia primæ coctionis non emendantur in ſecundâ; Hinc vaſa ſanguine impuro replentur, inde vaſorum impuritas; ab eâ omnium confuſio, depravata ſcilicet omnium partium nutritio, ex quâ cachexia, ſive malus habitus, & ex pravo & impuro ſanguine omnes morbi. Videmus tamen plurimos cum variis circa victus rationem erratis, & diutiſſimè vivere,

& probum ſæpe ſanguinem generare, ut ex venæ ſectione apparet. Ideo diſcutiendus mihi videtur hic error qui perſuadet, errata primæ coctionis nunquam emendari in ſecunda. In his quæ ſubordinata ſunt, corrupto primo, videtur id quod ſequitur corrumpi; Corrupto quoque fortiori probabile eſt, corrumpi debilius; Ventriculus autem hepate fortior videtur, quoniam agit circa objectum ſolidum incoctum, hepar verò circa chylum, & coctum, & attenuatum, quem à craſſiori parte, ſuâ attractione ſeparat. Verumtamen hæc opinio non eſt ſemper veritati conſentanea. Quin potius nobilius corrigit ignobilius, Hepatis autem actio, ventriculi actione nobilior eſt. Docet quoque Galenus actionem ventriculi non eſſe abſolutè neceſſariam, ſed tantùm cum ſumuntur alimenta ſolidiora, nam juſcula, lac & ſimilia non videntur abſolutè requirere primam coctionem, unde ſi prima ejuſmodi alimentorum coctio poteſt à ſecundâ ſuppleri, multò magis cum debilis eſt, poterità ſecundâ emendari. Multi (hypochondriaci præſertim) ventriculum frigidum, hepar calidum accuſant, in quibus hepar ventriculo robuſtior eſt, quare non perficiet alimentum, quod imperfectè in ventriculo ſubactum fuerat, & tantùm concoctionis habuerat rudimentum? In ore mutari ali-

mentum experientia oſtendit, tum ſalivæ miſtione, tum oris calore, tum tunicæ quæ ventriculo & ori communis eſt contactu, inchoatam in ore coctionem in ventriculo perfici certum quoque eſt. Quidni jecur etiam perficiet ventriculi coctionem? Quorundam hominum ventriculi melius craſſiora edulia concoquunt, quam tenuiora, ut carnem bubulam, quam phaſianos, pullos gallinaceos, lac, mel, juſcula; Quidni idem poterit in hepate contingere, ut ex benè confecto chylo quiſpiam acrem generet ſanguinem, ex crudiori autem & craſſiori, probum temperatumque ſicque non modò emendetur, ſed etiam perfectior fiat coctio. Cum enim eadem ſit proportio hepatis ad ventriculum, quæ eſt ventriculi ad externum alimentum, ſi quidam Stomachi melius coquunt craſſiores carnes quam tenues, cur non dabitur hepar, quod melius crudiorem chylum, quam exactius elaboratum conficiat. Diſtinguendum igitur. Errorem coctionis vel eſſe magnum, vel parvum, coctionem completam vel incompletam, imminutam vel depravatam, alimenta dyſpepta vel eupepta, ſi alimenta ſint eupepta, ut lac, vinum juſcula, mel, etſi à ventriculo non conquerentur, poſſent à jecore perfectè cocoqui, inde fit ut quidam ſtatim aſſumpto cibo refici & recreari ſeſe ſen-

N 6 tiant.

tiant, quia jecur exhauſtum ſtatim tenues alimentorum partes ad ſe allicet, quas protinus conficit, nec ſinit in ventriculo diutiùs morari. In aliis craſſioribus ſi error ſit parvus, & in primâ qualitate, coctioque ſit tantùm imminuta, poteſt emendari in ſequenti, ſuppoſitâ ſanitate earum partium, quarum officium eſt hanc coctionem perficere, modò res externæ non refragentur. Si verò coctio ſit depravata, alimentum corruptum, non poterit à ſequenti emendari, niſi vitium admodum exiguum fuerit, tunc poterit aliquantum corrigi ſecundum corruptionis majorem, vel minorem gradum. Ratio eſt quia quod inde generatur materialis cauſæ retinet naturam, unumquodque agit in proportionatum, nec forma introducitur niſi in materiam diſpoſitam. Ventriculus & hepar ſunt diverſæ partes, quæ in diverſa agunt objecta, diverſas formas inducunt. Sed ſi in qualitate ſolâ foret vitium, poſſet una coctio alterius defectum ſupplere, ut mel in junioribus bileſcit, in ſenioribus in probum ſanguinem faceſcit. Utcunque ſemper plura colliguntur excrementa, ſi non benè cocta alimenta ſecundæ coctioni offerantur conficienda.

Ca-

CAPUT XXIII.

Errores circa ciborum varietatem & ordinem.

PRæceptum Celſi ſemper ſani obſervare debent, Sanus homo, inquit, & qui ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, neque Medico, neque Jatralipta egere. Hunc oportet, 1. habere varium vitæ genus, 2. modo largius ſeſe invitare, 3. nullum cibi genus recuſare quo populus utatur, 4. ſemper quamplurimum ſumere, modo hunc concoquat, quæ maximè conſideranda ſunt. Nam qui ſani ſcrupuloſè nimis ex Medicorum præceptis vivunt, miſere vivunt, & Medici qui tam exactè regulas diætæ quibuſdam ſanis præſcibunt, contra ipſam artem peccant, quæ nullas determinat, præter hanc: non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores. Meræ ſunt phantaſiæ quæ de varietate & ordine ciborum quidam præcipiunt; Varietatem quidam abſolutè damnant, ſic tollunt omnem conviviorum leporem, nam natura unum cibi genus tandem averſabitur, & faſtidium incurret; Varietas appetitum excitat & allicit. Quæ melius appetuntur melius concoquuntur. Variæ quoque ſunt corporis partes, quæ variæ conſiſtentiæ nutrimentum poſtulant, ita ut quod

unum non potuit, aliud ſuppeditet. In eodem paſtu abſque incommodo utimur lacte, butyro, caſeo, pane, carnibus, vino, cerevifia, oleribus, atque inde pinguiores ſolent illi evadere, quam qui ſimplici victu utuntur. Galenus ipſe libro de alimentis acuratam ciborum electionem neceſſariam ſolùm illis cenſet, qui otio è vivunt, non autem ii, qui ut par eſt exercentur. Quando autem Ariſtoteles, Plutarchus, Macrobius varietatem damnant, intelligendi ſunt de eâ varietate, in quâ cacochyma facilè putreſcentia, cum euchymis & diſpeptis magna etiam quantitate miſcentur, ut ea concoquere quiſpiam vix poſſit, & ſi etiam ſæpius quiſpiam id faciat, alias innoxiè variis carnium generibus in eodem paſtu utimur, pane quoque & lacte, quorum hoc facilius, illud difficilius coquitur. Ordinem quod ſpectat, communis fermè conſenſus eſt eupepta dyſpeptis, lubrica adſtringentibus eſſe præponenda, quoniam illa citius coquuntur, in ventriculo manent, donec reliqui cibi cocti fuerint, ſic longiori mora corrumpuntur. Clauditur enim ſtomachus donec cibi omnes cocti fuerint. Alii tamen minùs ſuperſtitiosè ordinem non admodum curant, cibi ſiquidem omnes craſſi liquidi in ſtomacho confunduntur, nec quæ prius ingeſta fuerunt, ſubjacent iis quæ poſterius aſſumuntur.

Neque

Neque eſt neceſſe, ut ſtomachi orificium inferiùs exactè claudatur donec omnes qui in eo continentur cibi cocti fuerint, nam qui prius cocti ſunt, prius elabi poſſunt, ita ut tranſitus ille chyli per aliquot horas durare poſſit, juſcula & lac ſimul, cum pane uno eodemque cochleari innoxiè comedimus. Sanè modo quiſpiam ſobrietatem obſervet, parum refert quo ordine quid aſſumat. De ſanis hæc ſunt intelligenda, nam ægrotantibus, aut in neutro ſtatu conſtitutis, alia præcepta obſervanda ſunt.

CAPUT XXIV.

An panis repletio ſit omnium peſſima.

OMnis repletio mala, inquit vulgare proverbium, panis verò peſſima, quod ego falſiſſimum eſſe credo; Panis autem intelligendus eſt bonus, benè fermentatus, & triticeus, nam qui ex aliorum frumentorum, aut leguminum farinis fit non ſimpliciter, ſed cum adjectione panis vocatur, ut fabaceus, miliaceus, hordeaceus. Nimia autem panis repletio eſt omnium rariſſima, ſi tamen foret frequentior non eſſet omnium peſſima. Petentes quæ neceſſaria ſunt, ſolum panem petere jubemur. Heliæ fameſcenti ſolum panem mittebat Deus per Corvum. Ita ut nomine panis omnis eſca intelligatur, quia

præ-

præcipua eſt, & ſolus ſufficere poteſt. Fatuus eſſe videtur qui de pane benè non ſentit. Annonæ penuria, quæ tam gravis populis eſſe ſolet, & quam omnes jure merito reformidant, eſt frumenti ex quo panes fiunt defectus, & inopia, etiamſi carnium & piſcium adſit copia. Sed ut rem acuratius explicemus, Triticum ex quo fit panis, calidum primo ordine, nec reſiccare, nec humectare manifeſtò poteſt, habet aliquid lentoris, obſtruentiſque naturæ, multùm nutrit, alimentum præbet firmum, ſolidum & conſtans, viſciditatem quandam in ſe habet, & glutinoſitatem, quæ in bellariis, placentis, amylo, pultibus, panibus azymis remanet, & propterea minùs commodum creduntur præbere alimentum, ſed aliquantulum glutinoſum & obſtruens. Quod etiam non credo eſſe admodum verum. Nam ſicut dicebat Ethnicus quidam, Deus Hebræorum bonus erat Medicus, qui inter cibos conceſſos & prohibitos, nullum malum conceſſit, nullum bonum prohibuit. Conceſſit autem & imperavit ſæpe azymos panes, cum carnibus & juſculis viſcidis edendos, ut agno, cujus caro viſcoſa eſt, & azymo pani addita glutinoſiorem ſuccum corpori præbet. Ipſius Sacerdotes fere ſemper azymis utebantur. Panes propoſitionis quibus ſingulis ſeptimanis poſt novorum repoſitionem veſcebantur,

bantur, erant azymi. Bellaria, marcipanes, Artocreatum cruſtæ quibus pueri & mulieres tantopere delectantur, innoxiè ſolent edi. Sed ad panem benè fermentatum & ſalitum, de quo hic potiſſimum agitur, ut redeamus, incommoda prædicta, ſi quæ ulla gravia ſunt, tolluntur idoneâ præparatione, ſcilicet viſciditas, quæ tamen magna non eſt, tollitur frumento, Humiditas verò ſale & coctura. Multi tamen optimis & gratiſſimis innoxiè utuntur panibus ſine ſale confectis, & qui his aſſueti ſunt pane ſalito non tam delectantur antequam aſſueſcant. Judæis verò ſalis admiſtio abſque fermento videtur abundè incommoda farinæ emendaſſe. Cum igitur cibi ſint euchymi, vel cacochymi, eupepti vel dyſpepti, certum eſt majorem labem à cacochymis, quam ab euchymis inferri; Cacochymi ſunt qui pravum ſanguinem generant facilè corruptibilem, nam ad morbos procreandos maximam vim habet cacochymia, quæ non aliunde magis quam ex cibo ſuccreſcit. Tales ſunt plurimi piſces, fructus horæi, multi cibi acres, & alii hoc loco non recenſendi, quorum etiam incommoda panis miſtio, aut emendat, aut etiam præcavet. Si ſolo pane multi veſcerentur, pauciores morbi forent, & curationes faciliores, Convivia opulenta, ſplendida, frequentia, comeſſationes, crapula, & ſimilia,

lia, ea ſunt quæ morbos malignos, curatu difficiles, maximam putredinem inferunt, non panis comeſtio etiam fortaſſis largior. Plurimi veterum ſolo pane victitabant ſine obſonio in deſerto, abſque ullâ valetudinis jacturâ. Medicus ſuo tempore doctiſſimus & diligentiſſimus *Savanarola*, dicit ſe nullibi hanc ſententiam de quâ hoc capite agimus, inveniſſe, & à multis doctoribus petiiſſe, qui etiam ſe non vidiſſe dixerunt, & tamen alii dicunt eſſe apud Avicennam, qui etiam deceptus eſt, non apparet ante diluvium veteres uſos eſſe carnibus, qui vivebant diutius, morbiſque minùs obnoxii, quam nunc faciamus, & forſan Medicis carebant. Frugalitatem vocabant veteres virtutem ſobrietatis, quia ipſi ſolis frugibus veſcebantur.

Caput XXV.
Piſcium uſum in morbis non eſſe ſemper rejiciendum.

QUi piſces in morbis generaliter prohibent, & veteribus, & experientiæ, & rationi adverſantur. *Galenus* 1. *ad Glauconem*, in exquiſitæ tertianæ curâ concedit piſces ſaxatiles. In curâ quartanæ piſces ait ſunt exhibendi qui facilè concoquantur, molles carnibus, nihilque tenax habentes. & 8. *methodi*

methodi medendi, utiles febricitantibus eſſe omnes piſces ſaxatiles, nec minùs ipſis aſellos, poſt aſellos ſunt ſolea, lupus, torpedo, mugil ex pelago. Omnis autem piſcis deterior eſt qui prope lacum qui mari jungitur, aut magni fluminis oſtium paſcit. Idem piſces ſaxatiles ità commendat, ut certum ſit non poſſe ægris nocere, guſtui gratos eſſe vult, humores bonos gignere, eorumque frequentem uſum eſſe tutiſſimum, *libro de cibis boni & mali ſucci*. Et libro 3. de alimentis, alimentum quod ex iis ſumitur, non modo concoctu eſt facile, inquit, ſed etiam hominum corporibus ſaluberrimum, ut quod ſanguinem medium conſiſtentia generet. Athenæus etiam 8. Deipnoſophiſt. Ex marinis piſcibus ſaxatiles ait eſſe faciles coctu, boni ſucci, detergentes, ventriculo leves, parum nutrientes, nec multa excrementa relinquentes, quos febricitantibus magis quam carnes convenire quis non videt; Ideo Galenus hos in jure albo elixatos ſicut illo tempore conſuetum erat, maraſmo aut ſyncope ex inopiâ ſpirituum languentibus, febribus aut pleuritide laborantibus non denegavit. Galeno antiquior Hipp. libro de affectionibus piſces etiam admodum commendat, elixos aſſatos, per ſe, & cum cæteris cibis ſumptos, leve eſſe edulium ait, ſed elixos aſſatis leviores; *Alexander Trallianus* phreniticis piſces con-

concedit. Epilepticis quoque exhibet preſſitam, ſturnum, merulam, ſcorpium, ſcarum; carnes verò prohibet. Et iis qui ex acri fluxione tuſſiunt, piſces durâ carne præditos concedit, & quæ ex iis fiunt *Iſicia.* Sed in pleuritide morbo periculoſiſſimo & acutiſſimo, quique ſemper eſt cum febre, aſſumat, inquit piſcem, præſertim turdum, qui tener eſt, humidus, concoctu facilis, recrementi expers. Ad hæmoptoen quoque piſces ſaxatiles cum aceto, etiam piſces durâ carne præditos, & Iſicia ex iis confecta. Ad purulentos ſive empyematicos, piſces etiam ſaxatiles, cum jure & anetho. Ad eos qui ex acidâ cruditate febricitant, piſces duræ carnis. In febribus diariis, piſces quia facilè concoquuntur, & nequaquam meatibus inhærent. Ad febres pituitoſas, piſces ſalſos *encateras* Gallis & Anglis *anchoyes,* & ad febres etiam quartanas: Immenſi foret laboris deſcribere principum Medicorum Aëtii, Pauli, & aliorum teſtimonia. Ratio etiam ſuffragatur. Nam piſces qui ſunt concoctu faciles, friabiles, facilè non putreſcunt, nec ſtomachum gravant, febri autem qualitate ſuâ reſiſtunt. Quidam Arabum interpretes ut *Gentilis & Arculanus*, ita diſtingunt, ſcilicet piſces ratione temperamenti frigidi & humidi, competere febribus, maximè bilioſis, ſed quia facilè corrumpuntur & putreſcunt, minimè conve-

convenire, quæ diſtinctio vana prorſus eſt & inanis, modo boni & ſaxatiles piſces eligantur, non enim tam facilè corrumpuntur, ſed laudabilem ſuccum præbent, ut ſuperius vidimus, nec admodum alunt, ſed tenue alimentum corpori ſuppeditant, quale multis morbis competit, ſcilicet in iis morbis in quibus cibus concedi poteſt, præferendi ſæpe ſunt piſces carnibus, quæ magis alunt, difficilius concoquuntur, & acriorem ſuccum corpori ſuppeditant. Piſces intelligo non quoſlibet, ſed optimos, benè præparatos, ſicut noſtra ætas melius præparare novit, quam veteres cum ſuo jure albo ſolebant. Elixatos autem, addito aceto, ſucco arantiorum &c. Præferrem iis qui aſſati aut frixi fuerunt, ſicut Hippocrates noſter præcipit.

CAPUT XXVI.

Frigere à paſtu non eſſe ſignum ſanitatis.

FRigent plurimi à paſtu & inhorreſcunt, atque id eſſe ſignum inculpatæ valetudinis populus credit, alii in paſtu etiam ſudant, quod etiam probæ ſanitatis indicium in Equis putant Equiſones. Priores autem inſigniter hallucinantur, quamvis enim id multis ſanis contingat, non tamen eas melius inde valere conjicere debemus. Primò enim nec omnibus ſanis nec ſemper id contingit. Unde re-

de refelluntur qui calorem in benè valentibus ad interiora redire ut concoctionem adjuvet ſibi imaginantur, nam probè valentes ſatis habent caloris ut coctionem perficiant, aliàs infirmi ſunt, & minùs ſani quam qui aut quando ejuſmodi reditu opus non habent. Quod ſi naturale eſſet calori poſt paſtum extrema deſerere & in viſcera ſeſe recondere, id ſemper & omnibus contingere deberet, ſi incolumes illi ſunt, atque illic tamdiu commorari donec impleta coctio foret, quod tamen non contingit, ſed ſæpe ſtatim redit ad exteriora, ſtomacho tantùm quaſi ſalutato. Cum igitur homo benè ſanus ſatis habeat caloris, nec ſemper hanc refrigerationem patiatur, alia ratio nobis quærenda eſt. Alexander Aphrodiſæus problemate 134. libri primi, id ſolùm accidere ſcribit iis, qui poſtquam diu jejunarunt, cibum ingerunt. Rationem reddit, quoniam ſolito cibi uſu prætermiſſo bileſcunt, & materiam aggregant acriorem, poſt enim cibo ingeſto, membris jam confirmatis, bilis cutem verſus expellitur, ita ut rigor oriatur, cum bilis membra remordeat, excitetque ad repellendum. Potius tamen id dicerem fieri, quia in iis qui aliquamdiu jejunarunt, minor eſt caloris copia, quæ ingeſto cibo, præſertim ſi frigidior ille ſit, aliquamdiu opprimitur, donec tandem habeat eclampſin, & poſſit ad

exteriora

exteriora ſeſe diffundere, ſic jejunantibus & labore valido exercitatis periculoſa eſt ciborum & potuum ſaltem actu frigidorum aſſumtio, ne calorem qui ſupereſt extinguant, aut ſaltem labefactent, ut obſervat Dioſcorides cap. 34. lib. 6. Ubi idem dicit de vino liberalius poto, poſt balneum, curſum, vehementem exercitationem, oppreſſiones generare ait, eademque ratio eſt de jejunantibus, ſcilicet qui ſupereſt calor aliquamdui obruitur, & refrigeratur, ut ignis novis injectis carbonibus ligniſve. Atque ejuſmodi internam refrigerationem, ſive caloris oppreſſionem, eſſe cauſam externi frigoris, horroriſve, oſtendit *Avicenna*, qui in febribus ardentibus, & ſanguineis aquam frigidam exhibet, donec æger rigore corripiatur, & ægri color mutetur. Sic apud Ariſtotelem ſect. 8. problematum, qui rigent lividi efficiuntur, quia ſanguis appulſu frigoris refrigeratur. Idem ſect. 3. problem. quærit quare vinum cum calidum ſit, tamen vinolenti tremant, ſolis & ignis calorem quærant, ſcilicet quia ipſorum calor refrigeratur & obruitur etiam ab alio calore. Imò quædam ſunt vina tenuia, oligophora vocantur, quæ manifeſtè corpus aſſumpta in principio refrigerant, etiam extremos artus, nam omnis ejuſmodi refrigeratio in his ſeſe ſtatim exerit. Excellentiſſima eſt Hipp. ſententia,

tentia, lib. 2. de morbis, ubi docet rigorem non ſolùm fieri ab externis ventis, aquâ, aëre ſereno & aliis id genus, ſed etiam ab ingeſtis cibis & potibus, atque etiam in morbis à bile & pituitâ ſanguini permiſta. Modum tradit qui etiam ſanis adaptari debet, ſiquidem ſanguinem denſant, & refrigerant, unde totum corpus contremiſcit. At in ægris cum ſanguis iterum incaleſcit, calor febrilis ſuccedit, in ſanis ſolùm nativa temperies redit, modus tamen externæ refrigerationis idem eſt. Elegantiſſimè quoque *libro de flatibus*, totam hanc rem reducit ad copioſiores cibos liquidos ſiccoſve, varios & diſſimiles, qui ſeditionem intus excitant, cum quibus multus flatus ſubit, qui obſtructo inferiore ventre in totum corpus percurrunt, & ſanguinem refrigerant, unde totum corpus horror occupat, à pluribus & frigidioribus vehementior, à paucioribus, minuſque frigidis minus vehemens. Et ratio his adſtipulatur. omne enim alimentum eſt in principio admodum diſſimile, maximè ſi multum copioſum, frigidum varium fuerit, unde calori nativo negotium ſæpe faceſcit, & ſic corpus in principio refrigerat, magis minuſve pro caloris robore, alimenti naturâ. Ut plurimum carnes omnes ſunt homine frigidiores, inde ſenſim calor vel quantitate, ut in jejunantibus obruitur, quando cibum ſumunt,

vel illum refrigerant. Omnia animalia quibus veſcimur ſunt homine frigidiora, multò magis quando mortua ſunt, & calorem noſtrum labefactant, illique vim faciunt, unde in principio corpus refrigerant, ſed demum concocta, illud roborant. *Vides ut pallidus omnis, Cenâ deſurgat dubiâ*. Qui pallor ab illâ refrigeratione, ſi gravis ſit proficiſcitur. Omnis cibus crudus & non concoctus frigidior eſt, ſopitis & nondum eductis ipſius ſpiritibus. Coctione incaleſcit, poſtea totum corpus ſanguinis & ſpirituum multiplicatione roboratur, vaſa replentur. Inde fit ut moderati labores cibos præcedere debeant, ſcilicet ut calor nativus robuſtior factus potentius in alimentum agat, ab eo minùs patiatur, & ſic minor eſt refrigeratio illa externa, in iis qui potentiori ſunt calore, & magis alimento reſiſtunt. Quando verò ea contingit, eo tempore imbecillior calor eſt, aut plura dyſpepta, varia, vel frigidiora alimenta ingeſta fuere, quàm calor domare poſſit. Mirum eſt veteres talem horrorem, rigoremve ſanorum ſine febre ſuccedente ignoraſſe, quia in ſalubri victus ratione minùs quam nunc aberrabant. Noſtro verò tempore ejuſmodi rigorem, horrorem, frigusve inter ſigna ſanitatis recenſeri. Hæc igitur refrigeratio niſi fiat à causâ externâ, ut timore, aëre frigido, & ſimilibus, fit ab ignaviâ, ocio, re-

O pletione

pletione nimiâ cibi, aut potus præſertim frigidioris, & pituitam gignentis. Laurentius Joubertus Paradoxo tertio, plurima eleganter contra hanc vulgi opinionem philoſophatur, quæ hic addere, ne longior quam par eſt evadam, inutile judicavi.

Caput XXVII.

Aquas è carnibus diſtillatas eſſe prorſus inanes.

Ægrotantibus omnibus cibos probi ſucci, concoctu faciles competere certò certius eſt. Talem eſſe aquam è carnibus diſtillatam, multi credunt, tanquam citò & multùm nutrientem. Unde in Antidotariis multis deſcribuntur ejuſmodi aquæ, diſtillata reſtaurantia vocant alii. Fuit hoc inventum quorundam Medicorum novitate aliquâ ſeſe commendantium. Falſum tamen eſt ullam eſſe in ejuſmodi aquis nutriendi vim, ſed ſola pars aquea alimentorum ſublimatur, non magis nutriens quam quæ de fonte hauſta eſt; Pars autem illa carnium quæ nutrimentum ſuppeditat, viſcoſa eſt, glutinoſa, fixa admodum, ex quâ diſtillatione nihil elicitur. In expreſſis decoctione extrahitur, in diſtillatis remanet in fundo, unde carnium expreſſa, aut juſcula conſummata diſtillatis ſunt multò præſtantiora; alimen-

ta non poſtulant præparationem chymicam; ſi panem, vinum, carnes, cæteraque eſculenta redigeremus in eſſentias, & à terreſtri parte,ut vocant,ſepararemus quam ineptum, fatuum, & inſalubre ferculum ægris noſtris præberemus. Quercetanus qui ejuſmodi aquas in ſuâ Pharmacopæâ tantopere laudabat,in ſuo diætetico confeſſus eſt nullius eſſe virtutis. Magis ridendi ſunt qui corallum, margaritas, aurum, & ſimilia addunt, à quibus nihil ſublimari poteſt. Similiter populo imponunt qui lac diſtillant; Cum enim ad analepſin lac integrum recenter mulctum cum Galeno Medici præſcribant, iſti tantùm meram aquam, etiam ab ipſius ſero valde diverſam imperant, nullius prorſus energiæ & ad nutriendum efficaciæ, quæ tamen ad corpus refrigerandum, reneſque temperandos aliarum aquarum more prodeſſe poterit.

Caput XXVIII.

De importunis quorundam quæſtionibus circa alimenta.

SI Medicus quiſpiam in convivio, aut aliâ ſocietate fuerit, fermè ſemper urgetur quæſtionibus ſæpe tam futilibus & importunis circa alimenta, quæ reſponſione indignæ ſunt: ut eſtne hic vel ille cibus bonus malusve. Eſtne callus aprugnus bonus in principio

menſæ, poſt callum quid melius vel vinum muſcatelinum, vel vinum calens? Suntne ova bona? Similiaque infinita; Qui hæc duo obſervare debent. Primum eſt præceptum Celſi ſæpius antea laudatum Homo ſanus, & qui ſuæ ſpontus eſt, nullis obligare ſe legibus debet, nullum cibi genus recuſare quo populus utatur, ſemper quam plurimum aſſumere, modo hunc concoquat, modo ruri, modò in urbe eſſe, modò etiam largiùs ſeſe invitare. Quid ſanus eſt, & ſeſe frequenter non ingurgitat, nec impiger eſt ad labores delectum ciborum ſuorum ſanitatis ergo non faciat, ſed quolibet cibo quo populus uticur, ſi ipſi etiam placeat, veſcatur, unde etiam vulgare proverbium, omnia ſana eſſe ſanis. Secundò obſervandum in alimentis quæ verè alimenta ſunt, non conſiderari qualitates primas, ſed ſolum hæc tria, utrium alimenta ſint eupepta, vel dyſpepta, euchyma, vel cacochyma, polytropha, vel oligotropha; Quæ autem qualitatibus primis nos afficiunt, alimenta medicamentoſa vocantur, rariùs & in paucâ quantitate uſurpantur, ut ſunt ſal, ſinapi, allia, cœpa, vinum, acetum, piper, zinziber, aromata, & cætera quæ condimenta ſunt, potiùs quam alimenta. Fructus quoque & herbæ, quæ copioſè & pro nutrimento non ſolent aſſumi, ſed potius propter alias rationes, ad appetitum excitandum,

citandum, ad palati laſciviam, aliaſve cauſas. Quod autem propriè eſt alimentum, nullâ inſigni qualitate eſt præditum, ventrem nec ſolvit, nec cohibet, ſtomachum nec roborat, nec debilitat, ſudores, urinam nec provocat, nec ſiſtit, nec aliam diſpoſitionem calidam, frigidam, humidam aut ſiccam generat, ſed quale corpus invenit, tale conſervat. Tales ut plurimum ſunt animálium carnes, & ſaporem habent pinguem, inſipidum, ſecundum eos qui hunc etiam inter ſapores numerant, & inter genera dulcium reponunt, unde ejuſmodi cibis condimenta addere ſolemus, alias ſolent eſſe frigidiores calore noſtro, àquo concoquuntur & incaleſcunt. Si elixentur frigidiores fiunt ab aquâ, niſi herbarum calidarum, piperis, croci, ſalis additione alterentur, & calidi aſſumantur. Si autem fructibus ſolis crudis ut mulieres ſæpe ſolent, quiſpiam aſſiduè uteretur, noxam ſentiret, qui medicamenta non minùs ſunt quam alimenta. Poſſet tamen quiſpiam iis uti probis & coctis, & benè conditis, uti ſolent Brachmanes & Gymnoſophiſtæ apud Indos, qui ab eſu carnium prorſus abſtinent, ſicut & ante diluvium fiebat. Loquor hic ego tantùm de exactè ſanis, nam qui ſunt aut temperamento frigidiores, calidiores, aut ventriculum aliamve partem habent debilem, etſi actu non ægrotent,

tent, tamen inter ægrotantes ratione diætæ cenſeri debent, & meris alimentis medicamentoſa addere debent, pro ratione intemperiei & imbecillitatis, & horũ quæſtionibus ſi opportuno tempore, non occaſione ſolùm in conviviis & compotationibus fortè oblatâ, fiant, reſpondere æquum eſt, eâque etiam adhibitâ cautione, ut qui ægrotaturum ſic docet, ſit verus ipſius Medicus, ego ſanè ab alterius Medici ægris nolo quæſtionibus vexari, nec ab iis qui benè ſani ſunt, neque in conviviis, aut aliis congreſſibus hilaritatis causâ factis. Non quod improbem ſermones conviviales inter homines doctos, quales ſunt apud Athenæum, Macrobium & alios, ſed tantùm iſtam abſonam & futilem conſuetudinem, quâ animi tantùm gratiâ ut ſibi plaudant quidam, Medicos in menſa turbare ſolent.

Caput XXIX.

Malè tabidos reformidare Lactis uſum, quia pituitam generat.

Inter omnia alimenta quæ tabidis conveniunt, nullum Lacte præſtantius eſſe omnium Medicorum conſenſus eſt. Tabes autem morbus eſt Anglis maximè familiaris, in quâ importunè tuſſiunt, pituitam multam purulentam vacuant, vidi tamen plurimos

lac

lac reformidantes, quia pituitam illam generare, & in eam faceſſere ſibi perſuaſerunt, qui omnia tuta timere mihi videntur. Lac autem integrum & recens ex iis animantibus emulctum, quæ boni habitus ſunt, optimi eſt ſucci, fitque ex ſanguine exactè concocto, tantùm abeſt ut inter ea numerari debeat quæ pravi ſunt ſucci & pituitoſi, idque ob butyri permiſtionem. Unde Avicennas lac dempto butyro præſcribit, quia butyrum facilè inflammatur. Imò ignem admittit, tantùm abeſt ut putarit in pituitam verti, cum potius in bilem faceſſat, ideo Alex. Trallianus recentem caſeum commendat, quia refrigerat, nec etiam tunc in pituitam illam craſſam purulentamve vertitur, quam excreant interdum tabidi. Galenus & unà cum eo reliqui Medici Aſininum lac præferunt, quia magis refrigerat, tenuiſſimum eſt, ſero abundat, coaguli minimum habet, & minimum butyri: unde ad corporis ſiccitatem emendandam, caloremque temperandum maximè eſt idoneum, ideo & crudum & magnâ copiâ exhiberi debet, quod peſſimè factum foret, ſi phlegma generaret. Quibus Aſinini Lactis copia non eſt, butyrum detrahere jubent, aut aquam addere, ut Hippocrates. Alii verò refrigerantibus herbis animal nutriunt, ut frigidius Lac evadat. Ratio quoque ſuffragatur. Conſtat

Lac ſero, butyro, & caſeo. Serum autem nitroſæ eſt facultatis, deterget, obſtructiones ſolvit, humores acres & exuſtos per alvum deducit, quæ caloris ſunt effectus. Ideo quoque oxygala apud Galenum frigidum eſt, quia acrem ſeri qualitatem amiſit. Uteunque etſi admodum refrigeraret, in pituitam tamen craſſam propter tenuitatem ſubſtantiæ nunquam vereretur. Butyrum ipſum cum ſit inflammabile, nunquam pituiteſcit, Caſeoſa pars ſeri & butyri permiſtione viſcoſa non eſt, ita ut ex horum trium permiſtione Lac maximè temperatum evadat, humectat, nutrit, temperat, nec phlegma illud generat, quo tantoperè moleſtantur quidam phtiſici. Concedatur tamen etiam eſſe pituitoſum, cum ſola illa pituita in ventriculo ſtabuletur, pulmones affectos non infarciat, plura ex ejus uſu commoda, quam ex pituitæ generatione incommoda ob magnam nutriendi,& temperandi facultatem emergent. Aliquæ autem ſunt Lactis differentiæ ſecundum naturam animalium, paſcuorum, ætatis, & aliorum, de quibus hoc loco non eſt agendum. Solùm addam in eodem genere animalis, ſi paſcua ſint bona non magnam eſſe habendam colorum rationem, ut in humano genere videmus cujuſcunque coloris ſint mulieres, ſi ſanæ ſint, (ſanitas autem cum quolibet naturali colore eſſe poteſt) & probis

probis utantur alimentis, probum Lac ſuppeditare. Ideo ſuperſtitioſum eſſe credo vaccam rufam, nigræ, albæ aut variegatæ præferre, quamvis Hipp. aliquod colorum fecerit diſcrimen. Guſtavi interdum Lac vaccæ albæ, ſapore & etiam colore præſtantius lacte alterius quæ rufa erat.

DE VULGI ERRORIBUS LIBER QUARTUS.

De erroribus Populi circa remediorum uſum.

Caput I.
De iis qui remedia Chymicè præparata contemnunt.

PRæcipua Medicinæ pars uſum remediorum ſpectat, eſt enim ars ad morbos profligandos comparata. Pelluntur autem morbi, commoda remediorum adminiſtratione. Ideo hoc libro quoſdam populi errores notabimus circa remediorum quorundam adminiſtrationem & uſum. Et primò duplex eſt hominum opinio circa remedia. Quidam remedia omnĩa chymicè præparata negligunt, & reformidant. Alii contra, ea ſupra modum extollunt, Galenica autem quæ vocant, id eſt vulgari, & jampridem

dem recepto modo præparata vilipendunt, & contemnunt. De utriſque autem agemus, medium ſiquidem tenuere beati. Et ſicut ferme quicunque inter populum graſſantur errores, à Medicis olim primùm profecti ſunt, quorum placita populus non probè intellexit, ita & de hoc ſentiendum. Itaque de prædictis pauca dicenda ſunt. Oſtendam igitur hoc capite non eſſe negligenda remedia chymica, à prudenti Medico, & viro bono adminiſtrata. Hæc enim medicamenta præparandi ratio, non à Paracelſo inventa eſt, ut alibi diximus, ſed multis ante Paracelſum natum ſeculis exculta fuit, ab iis etiam Medicis qui Galeni doctrinam ſectabantur, ut Raimundo Lullio, Villanovano, aliiſque quamplurimis, qui remedia quædam laudatiſſima nobis reliquerunt chymicè præparata. Et poſt Paracelſum natum plurimi inter Medicos doctiſſimi chymicam Medicamentorum præparationem à Paracelſi doctrina judiciosè diſtinguentes, illam ſecuti ſunt, hanc autem improbarunt. *Fernelius* recentiorum Medicorum princeps artem iſtam excoluit maximè. Spiritu vitrioli & antimonio chymicè præparato *Matthiolus* utebatur, & Epiſtola ad *Andream Blaw quæ ultima eſt lib.* 4. *Epiſtolarum*, non ſolum hanc artem probat, & opera ipſius mirifica celebrat, ſed cenſet neminem abſolutum

Medicum eſſe poſſe, & ne mediocrem quidem, qui in hac nobiliſſima ſcientia non ſit exercitatus. *Crato trium Imperatorum Medicus* in conſiliis à *Scholtzio* editis, chymica admodum commendat, uſque ſe uti profitetur. Ipſe *Eraſtus Paracelſicæ hæreſeos debellator*, *in præfatione operum Antiparacelſicorum*, fatetur ſe non improbare chymicam hanc præparationem, quam laudat & probat maximè. *Iohannes Riolanus* Medicinæ elegantiſſimus interpres, dum Paracelſiſtarum machinas omnes juſſu ſcholæ Pariſienſis deleviſſet, rectè ſcribit, ſcholam hanc quæ præſtantiſſimos Europæ Medicos habet, liberum relinquere uſum chymicorum, modo vetus medendi ratio ſecundum Galeni & Hippocratis præcepta, maneat. Erat quidem ars iſta temporibus Galeni ignota & inculta, non reſpuenda tamen. Licuit enim poſteris & licebit, arti jam probe conſtitutæ, addere quædam ad uſum & ornatum. Sic remediis multis utimur, quæ ignorabat majorum ætas, ut ſenna, rhabarbaro, caſſia, tamarindis, aliiſque, peplio, colocyntidi ſimilibuſque præferendis. Sed præterea in vulgari medicamentorum præparatione apparent chymicæ artis rudimenta. Præparantur autem ſecundum illos omnia medicamenta, vel additione, vel detractione, vel immutatione. Deſiderantur enim medi-

medicamentorum vel materiès, vel facultas & virtus a materia ſecreta. Materies quidem in medicamentis incraſſantibus, adſtringentibus ſiccantibus. Virtus ſola in attenuantibus, diaphoreticis, purgantibus, quoniam illorum efficaciæ materiæ craſſities obſtat. Ad id *Meſues* quatuor facit operationum genera, coctionem, lotionem, infuſionem, triturationem. Quid eſt infuſio, quam extractum inchoatum? quid coctio, præcipuè aſſatio quam principium calcinationis? Verum in hac ſeparandi ratione quam exoptabant, neceſſariamque veteres exiſtimârunt, ars chymica excellit. Nam variis modis pura ab impuris ſeparat, ſicque medicamentorum varias vires elicit, & aperit, quæ aliàs ſopitæ fuiſſent, nec à calore naturali unquam educi potuiſſent, ut præcipuè apparet in mineralibus. Præterea ſubſtantias terreſtres coquit, attenuat, malignas & venenatas alienaſque qualitates alterat, aut prorſus tollit, virtutes auget, plus enim virium eſt & efficaciæ in aqua cinnamomi adverſus ſyncopen, alioſque affectus, quàm in integro cinnamomo. Idem de oleis diſtillatis, & extractis cenſendum eſt, efficacius eſt oleum thymi, aut ſulphuris, aut caryophillorum, ſimplicibus iis ex quibus extractum fuit. Demum plurima naturæ magis familiaria, & amica efficit, variaſque vi-

res in exiguam molem contrahit; ut in extractis, aquis, oleis diſtillatis, ſalis variis generibus & aliis. Cum igitur Medici officium ſit, ut citò, tutò & jucundè curet, haud dubiè id melius faciet instructus chymicis medicamentis, quorum efficacia major citius operatur, quantitas minor, & præparationis elegantia ad jucunditatem faciunt. Sed dicet forſan quiſpiam. Caruit Majorum ætas chymicis medicamentis, qui meliùs quàm nos medebantur, & contingit adhuc quotidie, ut abſque illorum uſu mira plurima Medici perficiant. Id quidem non eſt negandum, ſic veſcebantur olim homines glandibus, & diu vivebant, inventis tamen frugibus, glandes contemnimus, & porcis relinquimus. Quod ſi veteres ipſi (quorum antiquiſſimus ſuo tempore novus fuit) nihil majorum ſuorum inventis addidiſſent, inchoatas tantùm haberemus artes ſingulas, Deinde ſi eas perfecerunt curas, tardiùs tamen & minùs jucundè. Additæ igitur fuerunt operationes chymicæ, ad ægrorum ſolatium, artis decus & ornatum, non quidem ut abſolutè, ſed ut meliùs & commodiùs Medici mederentur. Quædam tamen deterent plurimos ægrotantes ab horum remediorum uſu. Primùm eſt, quod putent omnia Chymicorum remedia eſſe valentiſſima, curare ſtatim, vel occidere, & eſſe remedia,

media, ut vocant, deſperata, citò quidem & jucundè opus ſuum perficere, ſed minùs tutò, & quandam poſt ſeſe labem in viſceribus relinquere, quæ nunquam, aut vix poſtea eluatur. Satius autem eſſe putant, tardiùs curari, modo tuta, & ſecura ſanitas ſuccedat, *ſat citò*, inquit vulgare proverbium, *ſi ſat benè*. Verùm hæc ex ignorantia iſtius artis originem habent, & quorundam nebulonum audacia, qui ſolum vehementiſſimis utuntur, & præpoſtera operatione præparatis: non enim quælibet chymica præparatio cuilibet medicamento convenit. Mercurio dulci utimur innoxiè, eodem ſublimato, aut præcipitato, non niſi cum vitæ diſcrimine. Plurima enim habent chymici medicamenta valde benigna, minimumque violenta. Eadem ſiquidem eſt materia medica pharmacopœi chymici & vulgaris, ex vegetabilibus, animalibus, mineralibus, & ómnibus tam benignis quam violentis, quæ in uſum medicum venire ſolent. Præparatio autem chymica in violentis quæ noxia ſunt, emendat, aut tollit, ſecuriora ea gratioraque efficit. Quin etiam Cardaica & roborantia habent chymici quamplurima, vulgaribus ſæpe elegantiora. Sed ſæpiſſimè plurimi morbi vehementiora poſtulant, qui imbecilliorum vim contemnunt, & eludunt, validioribuſque utebantur *Hipp. Galenus, Aëtius*, aliique

aliique veteres, quam plurimi Chymici ſolent. *Extremis enim morbis extrema exquiſitè remedia conveniunt*, ex Decreto *Hippocratis*, *aphoriſm. 6. lib. primi.* Et Galenus ipſe 5. *Meth. cap. 15. reprehendit Eraſiſtratum*, qui levioribus ſolum utebatur, quod noxium eſſe in gravibus & periculoſis morbis contendit, in quibus ſi occaſio quæ præceps eſt elabatur, vel pereunt ægri, vel inemendabiles ægritudines fiunt. Magis igitur familiare eſt medicis, qui Galenici dicuntur, id eſt veterem ſequuntur diſciplinam, validiſſimis uti medicamentis, quæ Chymici aut raro in uſum adhibent, aut ſaltem meliùs præparata. Nec verum eſt à Chymicis omnia valentiſſimo ignis calore præparari, ſæpiſſimè mitiſſimus calor adhibetur; Sed prætereà ipſe *Galenus* docet igne valido Pharmaca plurima acrimoniam, & mordacitatem omnem deponere. Et certum eſt arte hâc *ſpagirica* dictâ, & ferociſſima medicamenta edomari, & plurima aliàs venenata, ademptis deleteriis partibus, evadere cardiaca.

CA-

CAPUT II.

Metallicorum uſum non eſſe reprobandum.

CAuſa etiam altera eſt, cur plurimi Chymica hæc reformident, quia creduntur ſcilicet uti Metallicis. Et ſanè certum eſt plurimos nebulones, qui hoc pallio technas ſuas tegunt, metallicis ſæpè, & malè præparatis, & malè adhibitis uti. Verùm, ut jam ſupra diximus, eadem eſt materia & ſubjectum operationis, Pharmacopœi utriuſque tam chymici, quàm vulgaris, nec minùs vegetabilibus utitur Chymicus, quàm qui dicitur Galenicus, facileque erit illi ægris ſuis, ſi mineralia nimium adverſantur, ſola vegetabilia adhibere. Sed tamen magis erat familiaris uſus metallicorum veteribus Medicis, ante Chymiæ inventionem, quàm nunc eſt. Plurimos enim chymicos novi qui raro iis utuntur, ſola vegetabilia fermè in uſum revocant. Fidem ſiquidem faciunt veterum libri, illos uti ſolitos *chalybe, ære uſto, æris ſquamma*, aliiſque modis aut nullo modo, aut leviter ſaltem præparatis. Squamma æris integra purgat vehementiſſimè. *Farina ſubactam*, inquit Dioſcorides, *quidam dant in catapotio. Æs uſtum*, inquit, *vomitum ciet cum hydromelite potum, flos æris quatuor obolorum*

lorum pondere datus craſſum humorem extrahit. libr. 5. Armeno lapidi utuntur quamplurimi minimè præparato. Nonne maximè probanda eſt ars illa quæ ſi quando iis utitur, variè & eleganter præparata, non integra exhibet. Dioſcorides argentum adverſus venenum aconiti conferre ſcribit. Avicennas verò vult cordis tremori adverſari. Si igitur veterum authoritas apud nos alicujus eſt pretii, non eſt Chymicis vitio dandum, quod interdum metallicis utantur, cum idem vitium, ſi ullum eſt, Galenici dicti admittant: in eo autem ſuperentur à Chymicis, quod eadem elegantius ita præparent, ut minori cum noxa poſſint exhiberi. *Matthiolus Epiſtola citata*, rectè ſcribit, graves chronicosque morbos, vix abſque metallicis ſuperari poſſe & evinci, eadem autem abſque Chymiæ cognitione non eſſe adminiſtranda. Et familiaris eſt uſus aquarum thermalium, quæ omnes vim metallicam in ſeſe poſſident. Sed objiciet forſan quiſpiam, metallica eſſe omnino venenata, & inimica naturæ, & in actum non poſſe deduci; Etſi autem hæc quodammodo de pluribus mineralibus vera ſint, non obſtat tamen quin eadem bona fieri poſſint remedia in contumacibus morbis, qui valentiora præſidia poſtulant, eſtque hæc omnium medicamentorum natura, ut noſtrum corpus alterent, nam ut diximus, *extremis*

morbis

morbis extrema remedia competunt. Hinc contingit interdum, ut Empirici quidam temeritate ſua morbos ab aliis relictos, cum Medicorum dedecore curent. Si igitur minùs ſcrupuloſè veteres iis integris utebantur, quam fœlicia ſunt noſtra tempora quibus eadem tam eleganter præparare, ſolvere ſolemus, unde faciliùs à calore noſtro in actum deduci poſſunt: quamvis, ut verum fatear, plurima ſunt, quæ non magnam poſtulant deductionem ad actum, ut ſquama æris integra, ſicut eam veteres præſcribebant, â calore noſtro indomita, purgat tamen vehementer. *Avicennas* ubi aërem ſtatuit medium inter argentum, & hyacinthum illis tribuit virtutem corroborandi, lætificandi, & veneno reſiſtendi, quas vires ait ab hyacintho promanare, ſicut à magnete vim trahendi ferrum, nec diſſolvi ac ſuperari à calore noſtro, ſicut ſolent vegetabilia: id enim, inquit, ſubſtantia ejus non patitur, ſed tantum calor naturalis illius penetrationem juvat. Non videntur igitur ex ſententia *Avicennæ* in actum reduci hyacinthus, aut aurum, aut Argentum, & à calore noſtro tranſmutari, aut diſſolvi. Multa quoque ſunt ſimilia quæ etiam ſolo contactu juvant, ut pœoniam *Gallenus* commendat collo appenſam: lapidem nephriticum *Monardus* etiam brachio alligatum, ſola ſcilicet qualitatis diffu-

diffuſione luminis inſtar; plurimaque ejuſmodi à variis obſervata fuerunt, quæ recenſere foret tædioſum. Præterea non ſola metallica, ſed etiam vegetabilia quædam venenata exiſtunt, quæ ſalutariter tamen exhibentur, eâ ſaltem doſi cui natura reſiſtere poteſt. Cum igitur certum ſit à Chymicis præparari mineralia, eorumque olea, eſſentias, tincturaſque extrahi, certum quoque eſſe debet poſſe commodè, & ſine periculo à calore noſtro edomari, & intus aſſumi.

Caput III.

De illis qui remediis Chymicis nimium tribuunt.

Quamvis ſupra in genere probaverim chymicam remediorum præparationem; ſciendum tamen, non quælibet quovis chymico artificio permutata, eſſe bona, & ſalutaria: nam plurima haud dubie præparantur peſſimè, quæ forſan aliud genus præparationis poſtulabant, illam igitur philautiam qua ſua innumeri prædicant encomiis & omnibus aliis præferunt, retundere oportet. Non ſunt enim in promittendo parci, miracula ſe edituros nobis perſuadere cupiunt, remedia obtrudunt, quæ ſi fides illis habenda eſt, ad omnis generis febres, ad varios morbos, quos etiam omnino contrariæ

cauſæ

cauſæ produxerunt debellandos; Quos illorum non prædicat auri ſolutionem, quam potabile aurum vocant, varias conficiendi rationes, docet, extollit, admiratur? Sane ſi omnes hoc unicum remedium præparandi rationes ſimul deſcriberentur, juſtum fieret integrumque volumen, & ſunt tamen falſiſſimæ, omneſque meræ impoſturæ, & tamen audacter remedii nondum inventi efficaciam prædicant, idemque de aliis multò facilioribus ſentiendum, multa enim obtrudunt pro tincturis, oleis, ſale, quæ tamen aliud quippiam ſunt, quam id quod eſſe dicuntur, ut de plurimis in ſpecie oſtendi poſſet; ſed foret hæc tractatio nimis longa, & tædioſa. Rationes tamen illorum audiamus, quas primo capite tetigimus, eas hic breviter reperemus. Vulgaria, inquiunt, venenata eſſe ſolent, ut cathartica fere omnia, & alterantia quamplurima, crocus, cicuta, coriandrum, ſi quantitate omnia aſſumantur. Chymica autem à veneno ſunt omnino libera, & ab impuritate omni, quæ vim remedii frangere poteſt. In vulgaribus autem manet hæc eadem impuritas, quæ aliorum permiſtione non magis emendatur, quàm ſi aves cum nidis, inteſtinis, ſtercoribus, ſed adjecto cinnamomo, vel ſaccharo coquerentur. Sic pilulæ, electuaria, tabellæ, opiatæ, omnem tum noxiam, tum utilem vim remediorum habent.

habent, quæ ideo commodè à calore in actum deduci nequeunt. In chymicis contra pugnantes rerum vires noxiæ ab utilibus ſeparantur, faciliùs ad actum deducuntur, majoris ſunt efficaciæ, & certitudinis. Mel & ſaccharum, quæ variis adduntur remediis, quia ſpiritus acutos continent, acres, tetroſque fœtores, malè admiſceri videntur. Coctionem pariter improbant, quia ſic plurimæ vires pereunt, ſapores ingrati remanent, & vires alieni humoris permiſtione retunduntur. Sua igitur commendant ob puritatem, ſecuritatem, efficaciam, ſaporis gratiam, minoremque doſin. Et ſanè in plurimorum, maximè mineralium, præparatione hæc omnia locum habent, & ſunt veriſſima. Non tamen ſemper in omnibus. Et primò, falsò ſupponunt omnia venenata eſſe, malè enim quicquid craſſius eſt, venenum vocant. Vix enim ullum corpus miſtum eſt, quod non ſit heterogeneum, variiſque conſtet partibus, quarum ſingulæ ſeorſim varias obtinent facultates ſalutares, & utiliſſimas, ut ipſa reſolutio chymica demonſtrat. Fatendum quidem eſt, multa venenata chymico artificio fieri innoxia. At quicquid impurum eſt, aut videtur, ſtatim vocare noxium, & venenum, temeritas eſt, cum non abſque ſumma naturæ providentia ejuſmodi variarum rerum permiſtio facta ſit. Id docent

cent cibi & potus, quibus non ſine cauſa Deus partem utilem inutili admiſcuit, ad uſum humani corporis. Annon commodius vino utimur, quam ſpiritu ejus, cujus potus ordinarius nocet potiùs quàm juvat, at vinum integrum utilem, jucundum, roborantemque potum corpori ſuppeditat. Igitur, ut rectè dicebat quiſpiam, quibus partes terreſtres adeo ſuſpectæ ſunt, ſpiritibus alendi forent, ſpiritu vini, oleo, frumenti, carnium extractis. Non quod præparationem neceſſariam eſſe negem, ſed ſaltem ſemper eam quæ chymica eſt. Sic triticum ad panis confectionem præparamus molendo, furfures ſecernendo, pinſendo, coquendo, ſic & carnes lavando, coquendo, quæ ſi chymicè præpararentur, evaderent noxia, & funditus perderentur. Cur enim data eſt corpori ſecretrix facultas, niſi ad ſecretionem inutilium? Unde mihi recentior quidam ſcriptor *Faber*, Chymico more magnus pollicitator, Injurius in naturæ authorem eſſe videtur, qui & puri, & impuri, hoc eſt variarum partium permiſtionem, in uno eodemque miſto, ex Creatoris maledictione profectam ſcribit, propter peccatum. Quaſi ſi nunquam homo peccaſſet, ſolos ſpiritus Deus creaſſet, non corporea craſſamenta, oleum cinnamomi, non autem cinamomum, quod abſurdum eſt. Unde peſſimè idem

idem medicamentum definit purum Naturæ, quod naturam noſtram læſam & morbo afflictam alterando *ſuccurrit*, & juvat, & vult ſolùm purum eſſe medicamentum, quod ſolùm ſit actionis capax, & virtutis. O lepidum capitulum! Annon in fæce rerum, in excrementis, in carie, in rebus minimis, obſoletis, ac propè nullis, remedia condita ſunt? Quis denegavit excrementitiis etiam illis partibus vim agendi & corpus alterandi? Quis Chymicorum non utitur excrementis ad Medicinam? Nulla ſanè pars eſt medicamentorum quæ vires aliquas non poſſideat humano corpori ſalutares, ſive ad internos, ſive ad externos uſus. Sed ad penſum noſtrum redeamus. Non ſolum alimentis utilis eſt miſtio hæc craſſiorum partium, & ſubtiliorum, ſed etiam medicamentis. Rhabarbarum ſæpe damus integrum innoxiè ad purgandum, ſed pulverizatum, & hæc eſt præparatio quædam; ſæpiùs infuſum, ubi craſſiore parte non egemus, ſiquidem in infuſione ſervatur virtus ejus. In extracto autem, quod chymicum eſt inventum, & in multis rebus utiliſſimum, virtutis potio exhalavit. Infuſio ergo Galenicorum, extracto chymicorum præſtantior eſt. Idem rhabarbarum præparato chymicè, diſtillando, ſal educendo, ſpiritus eliciendo, nihil inde boni ſuccedet, purgandi virtus omnino peribit, etiamſi eam in ſale Chymici collocent.

Præ-

Præterea, ut primo capite diximus, in medicamentis incraſſantibus, adſtringentibus, roborantibus, ſiccantibus, materia & ſubſtantia medicamenti deſideratur, ſic oſtendit experientia, tutiùs ſæpe dari conſervas, condita, pulveres Galenicorum, quam olea & ſpiritus chymicorum: nam ſæpe integris medicamentis opus eſt, nec debent omnia chymicè præparari. Unde ſæpe coguntur Chymici medicamenta hæc ſua quæ à proprio ante corpore ſeparaverant, alieno induere. quis enim auſit oleum origani, ſulphuris, vitrioli, per ſe abſque alterius liquoris permiſtione deguſtare, unde opiatis, tabellis, julepis, apozematis, minima doſi hæc eadem addunt, aliàs vix innoxiè operarentur, ſed ſolum partem illam quam primum tangerent, non ſine inſigni damno alterarent. Non quælibet ergo ſecretio partium craſſiorum à tenuioribus corpori ſalutaris eſt, ſed ſæpe perniciosa. Non eſt igitur quod hâc ratione ſua præferant Chymici, præterquam in quibuſdam medicamentis, nec eſt eadem virtus in integris quæ eſt in ſolutis.

Secundo, non ſolum populo, ſed etiam forſan ſibi ipſis imponunt, dum adeo commendant partium craſſiorum à tenuioribus ſeparationem, ſuorumque remediorum ſecuritatem: non enim ſemper Chymica præparatione pars noxia ſecernitur, ſed augetur ſæ-

 piſſimè,

piſſimè, dum tota in parvam molem contracta fortius operatur. Conſiderentur quæſo extracta omnia purgantia, & reliquæ catharticorum præparationes Chymicæ, an ullæ ſunt innoxiæ? Imò ſæpe pejores, quamvis etiam ejuſmodi præparationibus vires ſuas ſæpè amiſerint. Virtus enim noxia non ſemper eſt in craſſamento, ſed etiam ſæpè in tenuiori illa ſubſtantia, quæ extrahitur. Trochiſci alandal commodè purgant. Extractum non minus noxium eſt, magna autem quod ab extracto ſupereſt, maleficam colocyntidis vim totam fermè amiſit, quoniam vis hæc noxia ſimul cum purgante tota abiit in illum liquorem, quo virtus extrahitur, quem menſtruum inepto, ut ſolent in cæteris, vocabulo appellant. Unde Chymici extractis ejuſmodi non minus corrigentia & roborantia admiſcent, quàm Galenici. Nobile apud illos extractum eſt Laudanum dictum ex opio, ſed variorum admiſtione præparato, ad correctionem opii, quod poſtquam omni arte immutârunt, non audent tamen exhibere abſque correctivis, ut vocant. An igitur præparatio hæc Chymica vim à purgantibus, aut opio noxiam ſeparavit?

Quantitatem autem quod ſpectat, & ſaporis ſuavitatem, non ſemper Chymicis hæc ſuccedunt. Exempla dabimus in extractis purgan-

purgantibus. aliiſque quæ majori doſi exhibentur, & non minus ſunt ingrata, vis enim purgatrix aliquantulum exhalavit. Si quædam quantitate nimia noxia ſunt, id habent cum omnibus alimentis, & medicamentis etiam chymicè præparatis commune, nec ſi cathartica vehementiora noxia ſunt, ideo prorſus rejicienda, cum omnia remedia malè adhibita nocere poſſint. Jucundiora igitur non ſemper ſunt Chymica, extracta colocyntidis, rhabarbari, aloes, non minùs amara ſunt & ingrata, quàm integra eſſe ſolent, & majori tamen doſi exhibentur, vixque ſi ingratum ſaporem habet medicamentum, chymica ulla operatione tolli poterit ſapor, abſque virium *jactura*. Tolle amarorem ab aloe & abſynthio, perierit ſimul vis illorum. Quid quæſo eſt extractum chymicorum quàm infuſio Galenicorum, nam quando infuſio coctione quantumvis lenta ad extracti conſiſtentiam reducitur, tenuiores partes quibus vis dejectoria ineſt, exhalant, unde meliùs evacuabit infuſio drachmarum duarum rhabarb. quam extractum drachmarum quatuor. Sic ſuccus roſarum purgat eleganter, aqua diſtillata nequaquam. Extractum colocyntidis amariſſimum eſt, quamvis ſit hæc præparatio chymica, & tamen majori doſi exhibetur, quàm ſolent trochiſci ex colocyntide dicti alhandal. Et ſané quatenus

vegetabilia cathartica ſpectat, chymica præparatio ordinariæ & vulgari cedere debet, ſed in purgantibus mineralibus, præcipuè vomitivis, ſuperior eſt Chymica. Sola autem doſis parvitas, qua gloriantur chymici, ſæpe ſuſpecta eſſe debet, cum ſemper non requiratur,& venenatam quandam arguat qualitatem, aut ſaltem non adeo beneficam, ut apparet in oleis prædictis vitrioli, ſulphuris, caryophillorum, origani, & aliis ejuſmodi, quæ an ſola innoxiè aſſumi poſſint,teſtari poterunt qui ſtultè volent experiri, unde guttulas tantùm aliquot aliorum permiſtione dilutas exhibent. Satius igitur eſt quædam copioſiori mole cum tota ſubſtantia præbere, quàm minima doſi eorundem ſpiritus, quamvis in multis rebus non improbemus contractionem bonarum virtutum in exiguam molem, modo cum recta ratione veniat in uſum, obſervatis ſcilicet iis quæ ars Medica Galeni & Hippocratis obſervare docet.

Coctionem autem illi temere improbant, quia ſcilicet plurimæ vires pereunt, ingrati ſapores remanent, vireſque alieni humoris immiſtione retunduntur: Verum evitabitur primum incommodum, ſi fiat coctio in duplici vaſe, ne ſpiritus evaneſcant, ſapores autem illi non magis corrigunt quam Galenici, & pariter etiam aquis utuntur ad ſpirituum

tuum vehiculum. Certum autem eſt decocta aquis ſtillatitiis & extractis ſæpe eſſe præſtantiora, quoniam virtus ſimplicium abſque ulla temperiei deſtructione tranſit in liquorem. Sic obſervat *Heurnius* decocto aniſi ſe fœliciùs colicos dolores ſanaſſe, quàm ejus ſpiritu, vel oleo. Idem quoque ſæpe obſervavi, quoniam decoctum vires aniſi omni ſui parte imbibit, olei autem guttulæ tres vel quatuor partem quam primum tangunt, afficiunt potentiſſimè, ſed vires ſuas ulteriùs non diffundunt, nec ſi in juſculo, aliove liquore exhibeantur illi omnifariam poſſunt admiſceri. Diſtillatione ſolet plurimarum rerum craſis amitti, & ſæpe Paracelſus ipſe id fatetur, quædam ſcilicet diſtillando noxia evadere, mellis exemplo, quod ter diſtillatum ait fieri venenum. Medicamenta infunduntur, quando tenuiorum virtutum ope indigemus; ſi iis non ſit opus, tunc aut integra, aut alio modo præparata exhibentur, nec in aqua ſolum, ſed etiam in variis liquoribus fiunt infuſiones. Nimis quoque vereri videntur ſacchari & mellis permiſtionem, quia ſpiritus inquiunt habent venenatos. Id *Paracelſus* de melle ter ſublimato prodidit. At integra hæc aſſumpta ſpiritus non exhibent adeo noxios, unde cognoſcimus non eſſe ſimiles naturæ & Chymicorum ſeparationes. Quis crederet ferventiſſimum triciti ſpiritũ

P. 3 elici

elici à calore noſtro, ſicut & ab arte. Natura ex cibis chylum, ſanguinem, bilem generat, ars verò ſpiritus, olea, & eſſentias, quæ à natura, craſique materiæ ſuæ longiſſimè receſſerunt. Quamvis igitur non credam ſimiles eſſe naturæ & chymiæ operationes, ſufficit tamen ſi quæ ex operatione chymica reſultat, corpori humano reddantur idonea, ad morbos ejus propulſandos; & laudabilis ars meo judicio cenſeri debet, quæ naturæ imitatione corpora tam variè immutat in uſum hominum. Ex prædictis ergo patet, non ſemper chymica eſſe reliquis præferenda, Galenici igitur etſi Paracelſi doctrinam jure merito repudient, chymica tamen remedia non improbant, iis ſuum in Medicina locum relinquunt. Chymici ipſi vulgari modo præparatis carere nequeunt, ut patet ex Quercetano, ipſoque Paracelſo, & aliis, qui multa præſcribunt decocta, infuſa, multis utuntur integris nullo chymico artificio corruptis. Utriſque ergo ſua laus debetur, quòd interdum Chymicis uti neceſſe ſit, interdum & ſæpiùs aliis. Ideo æquiſſimi ſunt Galenici, qui chymica non repudiant, ſed reprehendendi chymici qui nunquam aliis quàm ſuis utuntur, unde contingit, ut mira ſæpe polliceantur, quæ falſa eſſe oſtendit experientia. Imperiti eſt ſemper eſſentiis uti velle. Thus integrum vul-

nera

nera curat, quæ ipſius oleo nequeunt curari. Conſerva roſarum id præſtat in roborando, & adſtringendo, quod ſpiritus, aqua, vel ſal ipſius nunquam præſtiterit, ſolentque olea diſtillata & ſpiritus acres calidum nativum nimis potenter & celeriter afficere. Ratione igitur variarum circumſtantiarum, interdum ſpiritu & extracto utendum eſt, interdum conſerva, & electuario, & decocto. Non enim omnia chymicam præparationem poſtulant, ſed ab ea omninò deſtruuntur. Quædam autem non niſi chymicè præparata in uſum venire commodè poſſunt, præcipuè metallica, quædam forſan uno modo præparantur, quæ aliter præparari debuiſſent. In genere notandum, in remediis, chymicis ſiquando peccatur, gravius id fieri quàm in vulgaribus. Quæ dicta ſint non ad artis ſpagiricæ contemtum, ſed ob empiricos, multoſque alios, qui audacter nimis, & ſine judicio, remedia ex libris mendacibus deprompta uſurpant, & modo aliquid chymicè præparatum fuerit, etiamſi forſan peſſimè, nimis patienter illud laudant & admirantur.

Caput IV.

Non eſſe mutanda remedia etiamſi curatio ſtatim non ſuccedat.

QUoniam, ut diximus, plurimi ſunt morbi contumaces, curatu difficillimi, qui remediis non cedunt, niſi ſæpiùs repetitis, quidam curationis tædio affecti, alia remedia cupiunt experiri, quæ aliis profuiſſe audiunt, aut omnino remediorum uſum abjiciunt, ſed utrumque malè, nam ut rectè ſcribit *Hippocrat.* 2. *aphor.* 52. *Omnia ſecundum rectam rationem facienti, ſi ſecundum rationem non ſuccedat, non eſt ad aliud tranſeundum, quamdiu id manet quod ab initio viſum fuit*, quod etiamſi de Medico ipſo primùm intelligatur, ne leviter & ſine cauſa medicandi rationem mutet, poteſt tamen etiam ægrotantibus accommodari. Nam, ut rectè ait *Galenus in commentario*, non mediocris prudentiæ eſt, ab iis non recedere? quæ recta ſunt viſa. Sicut enim gutta non niſi longiſſimo tempore lapidem cavat: ſic in crudis, & coctu difficilibus morbis, ſi quis quod facto eſt opus invenerit, ab eo recedere non debet. Prudenter autem operari cenſetur ille Medicus, qui morbi diagnoſi, & prognoſi, plenè cognita, remedia adhibet convenientia in quantitate, tempore,

pore, modo, & loco. Quod ſi in morbi cognitione aberraverit, ſicut interdum fieri ſolet, non ſolùm remedium, ſed & Medicum ipſum mutare licet, aut ſaltem alium ſimul accerſere, ut conjunctis conſiliis morbi naturam planè inveſtigent, qua demum probè cognita, in uſu remediorum perſiſtere debet, qui ſeſe illis commiſit æger. Ut autem ipſe cognoſcat, quando mutanda ſint remedia, hoc erit notandum. *Primò* ſi adhibita remedia aliquantulum juvant, ſignum eſt morbi naturam fuiſſe plenè cognitam, nec illa eſſe permutanda: ſigna enim morborum etiam Medici petunt à juvantibus, & lædentibus. *Curationes*, inquit, *Hippocrates, morborum naturas oſtendunt.* Scribit *Cornelius Celſus* in principio libri tertii. *In acutis morbis ſtatim mutanda eſſe remedia quæ non proſunt, in longis autem* (de quibus hoc capite loquimur) *non ita.* nam tamdiu in uſu remediorum perſiſtendum eſt, donec ſæpe illorum operatione fruſtrata, animadvertamus non fuiſſe probè cognitam morbi naturam. *Secundo*, ſi ex remediorum adminiſtratione ſymptomata exacerbentur, ſignum eſt ea fuiſſe morbo contraria, & proinde mutanda, in chronicis ſcilicet affectibus, nam in acutis exacerbatio ſymptomatum ſi cum ſignis coctionis contingat, morbi ad criſin tendentis indicium eſt. Sic *Antonius*

Muſa Medicus Auguſti Cæſaris cum animadverteret Cæſaris ſtomachicum dolorem calidorum uſu graviorem fieri, frigidis uſus eſt, illumque ſanavit. Dicet quiſpiam, aſſiduo uſu remedia fieri tandem naturæ familiaria, ſicque inutilia reddi. Reſpondeo, mutari quidem poſſe remedia, eorumque quantitatem, ſed non medendi rationem, quamdiu morbus idem manet, eaſdemque indicationes ſuppeditat. Nam ſi morbus ipſe mutetur, ut ſi ex tertiana fiat quartana, aut vires debiliores fiant, aut humorum ab una parte ad aliam metaſtaſis, aut quid ſimile fiat, non ſolùm remedium, ſed etiam medendi methodus permutanda. Caput igitur iſtud hoc loco addendum putavi, quia non raro contingit ægrotantem, qui bono forſitan Medico utitur ſi ſtatim eventus non ſuccedat, Medico ablegato empiricos, mulierculaſque conſulere. Ejuſmodi autem Medicaſtri, Andabatarum more cum morbis pugnant, varia remedia tentant, nec unquam in illo quieſcunt, in quo ſtandum fuerat. Sæpe ultimum remedium commendatur, & nullius apud populum ſunt pretii, quæ præceſſerunt, ut venæ ſectio, purgatio, alteratio, & ſimilia, quæ tamen morbum maxima ſui parte edomuerunt. Tum etiam contingit ut Medicus ipſe importunitatibus & querelis ægrotantium & adſtantium victus, ſæpè

pe cogatur remedia præcipitare, & præter rationis dictamen permutare. Quare debent ægrotantes patienter tempus curationis expectare, quod in omnibus morbis idem eſſe non poteſt.

CAPUT V.

De iis qui remedia omnia rejiciunt, ſi ſtatim non curantur.

ALii verò, ut præcedenti capite diximus, omninò rejiciunt uſum remediorum, ſi ſtatim uno aut altero remedio non curentur, qui præterquam quod naturæ ipſi faciunt injuriam, quæ omnia cum tempore fieri vult, ſibi ipſis tamen nocent maximè. Neglecti ſi quidem morbi altas in corpore agunt radices, fiuntque tandem omninò incurabiles, omnique remediorum virtute ſuperiores. Aut alii qui natura ſua ſalutares eſſe ſolent quales ſunt febres intermittentes, quas vult Hippocrates non eſſe periculoſas. *Febres enim quocunque modo intermiſerint, periculum abeſſe ſignificant*, aphor. 43. lib. 4. tamen ejuſmodi morbi perſeverantes & neglecti, tantam viſceribus labem infligunt, ut periculoſos poſt ſe morbos relinquant, etiamſi forſitan ipſi ſponte ceſſârint. Docet Galenus variis in locis fomitem tertianæ eſſe in hepate, quotidianæ in

ventriculo, quartanæ in liene: nec mirum eſſe debet, ſi partes quarum œconomia totum corpus adminiſtratur, tandem labefactentur, unde ſæpiſſimè morbi peſſimi in ejuſmodi partibus, febribus neglectis ſuccedunt, obſtructiones contumaces, putredines, ſcyrrhi, ſcorbutus, hydrops, aliique qui poſtea viſcerum tono jam prorſus everſo curari ampliùs nequeunt, ſicut nimiùm frequens experientia docet. At hæc eſt artis medicæ præſtantia, ut etiamſi curatio forſan ſtatim non perficiatur, viſcera tamen conſervet, morborum cauſas adeo imminuat, earumque vim ita retundat, ut partes nobiles ab iis minùs afficiantur, ſicque ejuſmodi morbi adeo graves & periculoſi omnino præcaveantur. Prædicta autem ſic intelligi non debent, quaſi intermittendus nunquam ſit uſus remediorum: prudenter enim Medici in morbis valdè diuturnis, poſtquam per dies aliquot præparantibus, vacuantibus, roborantibus aliiſque quæ idonea videbantur, uſi ſunt, naturæ quaſdam concedunt inducias, & poſteà iterum ad curationem redeunt, ſic viribus melius conſulitur, quæ aſſiduo remediorum uſu atteri potuiſſent.

CAPUT VI.

Remedia ob ingratitudinem non eſſe rejicienda.

SAnè cum veterum Medicorum, qui Pharmacorum vires, & medendi præcepta nobis reliquerunt, opera legere contingit, mirari ſubit, & copiam remediorum quibus ægros ſuos onerabant; eorumque ingratitudinem, tam amara, fœtida, omnibuſque ſenſibus ingrata, ſæpe etiam ruditer præparata ſunt illorum plurima; & familiare ipſis fuit, ea diſſolvere, & potanda præbere, quæ nos pilulis excipimus ad guſtum fallendum, & elegantiùs præparamus: Medicus enim quantum poteſt, citò, tutò, ac etiam jucundè curare debet. Quid igitur dicemus de moroſitate ægrotantium noſtri ſeculi, quibus etſi gratiora & jucundiora quàm majoribus noſtris præbeantur, abhorrent tamen à remediis ob ingratitudinem, & potiùs morbum diutius ferre ſuſtinent, quàm pauciſſimis remediis curari. Sanè fatendum eſt, jucundiora quidem & elegantiora recentiorum diligentia & cura, pharmaca plurima facta fuiſſe, non omnem tamen ingratitudinem ipſis fuiſſe ademptam. In qua re ſummam admirari licet Creatoris providen-

tiam. Si enim ſimilem medicamentis, quam alimentis gratiam indidiſſet, illorum uſu jampridem humanum genus ſeſe ipſum aut perdidiſſet, aut multùm labefactaſſet. Pharmaca enim omnia naturam habent corpori noſtro quodammodo adverſantem, quoniam illud alterant, aliàs non forent medicamenta, & ſic quoque lædere poſſunt. Illis quidem utimur ut corpus à ſtatu præternaturali ad naturalem reducamus. Sed ſi ægri aut præpoſterè, aut diutiùs, aut ſæpiùs quam par ſit illis utantur, ex ſalutaribus cauſis tandem morbificæ fieri poſſunt, & ſuas, alienas ſcilicet à corporis natura, qualitates imprimunt, ſicque corporis temperiem evertunt, unde rectè vulgari proverbio fertur: *Miſerè illos vivere, qui Medicè vivunt.* Quare hortandi ſunt plurimi tum viri, tum mulieres, ut parciùs medicamentis utantur, valetudini enim vim inferunt, & fermè perpetuò remediis opus habere videntur, qui perpetuò & indeſinenter iis utuntur. Pariter etiam hortandi ſunt alii, quibus minus firma valetudo contigit, ne ob ſaporis, & forſitan odoris aliquam gravitatem à ſalutaribus remediis, à Medico prudenti prudenter adminiſtratis, moroſè & protervè nimis abſtineant.

Ca-

CAPUT VII.
An domi nata remedia cuilibet regioni ſufficere poſſint.

OPtandum ſanè foret, ut ſicut ad victum & amictum ſufficere ſibi poteſt Anglia, ita etiam ad remedia. Fuerunt olim, ſuntque etiamnum hodie plurimi, qui ad popularia, & domi nata remedia, univerſam Medicinam reducere conati ſunt, aliunde allata rejiciunt. Id *Plinius* Medicis infenſiſſimus *ſcripſit lib.* 24. *cap.* 1. Medicoſque reprehendit, qui Indos, Æthiopes, Arabes vocant in auxilium. Poſtea, inquit, fraudes hominum, & ingeniorum capturæ officinas invenere iſtas, in quibus ſua cuique homini venalis promittitur vita, ſtatim compoſitiones, & miſturæ inexplicabiles decantantur, Arabia, atque India in medio æſtimantur, ulcerique parvo Medicina à rubro mari importatur, quum remedia vera quotidie pauperrimus quiſque cœnet. Verum nondum id perfici potuit, nec unquam ulla gens adeo fœlix fuit, ut ſuis contenta eſſe potuerit, præter Indos. Cum enim in variis regionibus eadem ſæpiſſimè naſcantur, certum eſt non poſſe ubique ejuſdem eſſe bonitatis & præſtantiæ. Licebit igitur eadem repetere ex regionibus ubi præſtantiora naſcuntur,

nam

nam vires plantarum variant ſecundum naturam locorum: quaſdam enim plantas Arabes in tertio gradu calidas dicunt, quas Græci in 2. Germani tantùm in primo tales eſſe aſſerunt. Unde Galenus qui in temperatiſſimo ſolo vivebat, non credidit tamen patria remedia ſufficere, ſed terram Lemniam ex Inſula Lemno advocabat, Dictamnum Creticum probabat, petroſelinum Macedonicum, pluraque ejuſmodi. Et in purgantibus remediis id maximè patet, quæ domi non naſcuntur, ſed ea aliunde afferri neceſſe eſt, ut ſennam, rhabarbarum, aliaque plurima, quorum quædam etſi tranſplantata, in hortis quodam mangonio creſcant, non tamen abſque inſigni virium labefactatione, neque eâ copiâ quæ toti regioni ſufficere poſſit; Sic utimur quotidie ſaccharo, pipere, aromatibus, vino, quæ ab aliis regionibus nobis ſuppeditantur. Lybica iris, inquit *Gal. antid. lib.* 1. *cap.* 23. non aliter differt ab Illyricâ, quam corpus mortuum à vivo, nullo odore ex Lybica exeunte, ex Illyrica verò multo gratoque. Noluit Deus quamlibet regionem ſingulis abundare, nec ſemper, ut humana ſervetur ſocietas. Sicut enim in ſingulis regionibus urbes variæ ſibi neceſſaria ſuppeditant, ſic regionibus integris aliæ regiones. Si una urbs alterius ope indiget; quidni una regio alterius defectum ſublevabit?

bit? At credunt majorem habere affinitatem cum incolarum temperie domi nata remedia. Attamen experientia oſtendit nos aliundè advectis aromatis, & vino commodè uti, & innoxiè. Medicamenta autem non ſunt ſimilia naturæ, ſed quodammodo adverſa, quoniam illam alterant, unde neceſſe eſt Medicum iis uti, quæ id præſtare commodiſſimè poſſunt, & propterea cum idem medicamentum in eadem etiam regione, pro locorum ſitu & natura, facultatum ſuarum immutationem patiatur, colligi illud debet ubi optimum naſcitur, & propterea ſæpe aliunde repeti. Quod ſi pari cum utilitate fieri id poſſit, ſemper domeſtica peregrinis præferantur.

Quidam potius ex ingenii laſciviâ, quam verâ ratione & experientiâ contrarium ſentiunt, & primò ex divinâ providentiâ arguunt; Malè inquiunt Deus conſuluiſſet generi humano, ſi abundè non dediſſet non ſolùm quæ ad victum & amictum, ſed etiam quæ ad morbos profligandos neceſſaria ſunt, aliàs accuſant Dei bonitatem & ſapientiam, ſi remedia domeſtica ſingulis nationibus ad recuperandam ſanitatem non dediſſet, cum eorum non minor ſit neceſſitas quam victus & amictus, minùs hominem quam bruta curaſſet: cùm hirundo naturâ docente norit Chelidonium, columba verbenam, canis gramen,

gramen, ſimia araneam. Quæ ratio non ſolùm inepta, ſed etiam blaſphema eſt; Quare ô homo non accuſas etiam Deum quod te Medicum ſicut hirundo & Canis non crearit, quod tibi nec leonum ungues, denteſve, boum cornua, dederit, ſed nudum & inermem, ad vagitus & ploratum naſci voluerit. Rationem homini dedit, & induſtriam, laborem præcepit,ut omnibus bonis quæ creavit frui liceat; ſanè inertis & ſocordis ingenii videtur argumentum, qui nec ſibi, nec aliis benè vult, qui eſſe ſolùm cupit, ut vermis, benè aut melius eſſe nequaquam curat. Nam ſi bona ſunt quæ aliundè advehuntur, cur iis homo non utetur, cur pannos ad amictum quæret Pilappius qui tergoribus ferarum indui poteſt, cur fruges feret, qui glandibus veſci poteſt; Nulla natio eſt quæ quibuſdam rebus non abundet, quibus aut aliæ prorſus carent, aut ſaltem copiosè eas non poſſident, quam miſera tandem evaderet regio illa, quæ ſuis bonis onuſta, nec ea aliis ſuppeditaret, ſed ſuis prorſus contenta alienis nunquam uteretur, in novo orbe, (Americam vocamus) ſimiles homines credimus Barbaros, agreſtes, quia ſuis contenti opibus nullis, inertem vitam agunt. Tandem hæc ſtupiditas & inertia artem Medicam prorſus tollit, ſiquidem ejuſmodi nationes nec Medicis opus habent, nec eos curant.

Plinius

Plinius jam ante citatus, cujus autoritate ſe tuentur, non ſolum aliundè allatis medicamentis, ſed etiam ipſi arti Medicæ & Medicis non ſine causâ infenſus erat. Florebat Romanorum reſpublica abſque illis, & commodè poteſt quælibet natio Medicis carere, ſi temperantes ſint incolæ & continentes; ſi Europæum hominem fecit Deus capacem morbi indici, cur indica negliget remedia; meræ ſunt phantaſiæ quæ de buxo, ſaponariâ ad illum morbum curandum quidam mendaciter garriunt. Ne milleſimus invenietur ejuſmodi remediis curatus, & ſi quiſpiam curatus dicitur, eo morbo non laboravit, ut ſcio plurimos in eo cognoſcendo fuiſſe deceptos. Præterquam quod hæc ſimplicia ubi hæc ſcribo in ſolis hortis mangonio creſcant, vix in hortis centum unica planta invenietur, eaque exilis, exucca, vix ullius pretii. Sicut igitur concederem poſſe quandam regionem exotericis carere, ſic etiam concedant neceſſe eſt poſſe etiam carere Medicis, intemperantia Medicorum nutrix eſt, & regiones omnes, quibus familiaris temperantia eſt, illis carent, Turcæ, Indi, Chinenſes, Moſcovitæ, ante paucos annos nullos habebant; Sicut igitur optimi Medici ſunt tantùm ad melius eſſe, ſic & exoterica remedia. Imò ſæpius & ordinariè majus periculum eſt à Medicis quam à morbis;

Non

Non potui ſæpe non ridere væcordiam cujuſdam qui præfert eſulam, tithymalum, mezereon, laureolam, radicem cucumeris agreſtis, (quâ tamen caret ipſius regio) Jalapæ, mechoacam, caſſie, ſennæ, rhabarbaro, aloë, & ſimilibus, quæ experientia oſtendit admodum benigna eſſe, & ſalutaria, indignus fermè Medici nomine qui prioribus utitur. Violaria autem, oxylapathum, fumaria, bryonia, rhabarbarum Monachorum, quod rarum eſt, & ſimilia plurima in aliis nationibus purgant, apud nos nihil tale præſtant.

Sed iterum dicent, domeſtica temperiei incolarum magis affinia eſſe, quod etſi non ſit ſemper verum, inde ceſſant eſſe medicamenta, hæc enim ſunt quæ naturam noſtram alterant, aliàs medicamenta non ſunt. Perſica arbor in Perſiâ venenum eſſe dicitur, in Ægypto Ambroſios præbet ſuccos oblita nocendi, an Perſis magis conveniet quam quæ in Ægypto, aut aliis locis naſcitur. Multa prorſus degenerant, ut eadem perſica in Septentrionalibus regionibus nihil valet, reſpectu illius quæ in Italiâ Galliâ fructus profert, ſemper igitur licebit quæ bona ſunt, inde repetere ubi optima naſcuntur, ſicuti Galenus, aliique Medici faciebant. Vitis Rhenana in Hiſpania vinum fert generoſiſſimum, & tamen Hiſpanis magis convenit aquæ quam vini ſui potus, ob regionis fervorem,

in Angliâ aut Picardiâ ejuſmodi vitis vix ferret omphacium, cujus potum nemo ambiet qui ſibi benè vult. Præterea quæ de temperamento incolarum variarum regionum dicuntur ſæpiſſimè meræ ſunt fabulæ, ut dixi libro 2. Quis credet variarum temperierum medicamenta calida, frigida, valida, imbecillia, purgantia, deleteria, &c. in eodem ſolo naſcentia, præter propriam vim acquirere unam communem cum incolis regionis illius, nulla datur talis communis temperies, nec eſula nec laureola, nec mezereon habent ſimilem temperiem cum lactucâ, portulacâ, pomis, nec hæc cum hominibus. Ipſi ſunt homines qui conſuetudine familiaria ſibi faciunt ea quæ domi naſcuntur, ſi iis frequenter utantur. Qui tabaci fumo utuntur maximam pro varietate regionum ubi naſcitur differentiam percipiunt, ſic inde variat pretium, quis optimum non præferet peſſimo, ſi quod in Borealibus naſcitur nihil prorſus valet, quis ſanæ mentis credet illud borealibus tamen hominum conſtitutionibus magis convenire quã quod Hiſpanicum vocatur. Id ſanè Galenus non crediſſet, qui optima ſemper eligebat ubicunque demum naſcerentur, Cicuta Socrati indigena majus venenum ipſi fuit, quam quæ in Borealibus regionibus naſcitur. Inane eſt igitur illud commentum de affinitate temperiei

periei hominum, & eorum quæ in illorum regione naſcuntur, nulla regio eſt in quâ non naſcantur quædam deleteria, quædam ſalutaria, non ſolùm incolis, ſed omnibus hominibus. Interdum uno anno meliores plantæ naſcuntur quam alio. Polium & chamædrys quæ ex Cretâ Romam advehuntur, (inquit Matthiolus) meliora non ſunt iis quæ in Italiâ leguntur, cum ver humidum non eſt, ſed æſtati ſimile? Quare ſi veris conſtitutio fuerit ſicca, multæ plantæ quæ naſcuntur in Italiâ, æquales erunt bonitate, iis quæ in Cretâ naſcuntur. Qualis erit chamædrys quæ in Angliâ, Daniâ, aut aliis frigidis regionibus naſcitur, ſi etiam Romani has herbas ex Cretâ repetunt. Sic præfertur ſenna Orientalis, Iris Florentiana, Angelica Hiſpanica, Bitumen Judaicum, Stoechas Arabica, Maſtiche Chia, Manna Calabrina, (quæ non eſt Manna Iſraëlitarum) terebinthina Cypria, &c. Quibus hæc naſcuntur in hortis, iis ſane aliunde advectis opus non habent. Addunt præterea futilem rationem, multa veterum medicamenta eſſe ignota, & quæ eorum nomine circumferuntur non eſſe eadem; Quid tum? Iis carere nos oportet quæ non habemus, atque iis uti quæ præſto ſunt, modo bona ſint, ut cinamomo, agallocho, zedoariâ, amomo, calamo aromatico, &c. Sanè multò plura nobis adſunt,

ſunt, & ad nos advehuntur quam veteres habebant. Unde corruit alia ratiuncula, ſcilicet theriacam & mithridatium, ejuſmodi compoſitiones veterum non eſſe legitimas, quia multis carent ſimplicibus, quæ veteribus nota, nobis ignota ſunt. Quid tum? annon meliora ſubſtituimus, quam erant ea quibus caremus; Addent, non habent hæ compoſitiones vires illas quas veteres illis tribuebant, ſic nec habent compoſitiones noſtrorum recentiorum, vires quas illis attribuunt. Legat quiſpiam libros Quercetani, Beguini, Evonymi, Liebautii, Hadriani à Mynſicht, Hartmanni, & ſimiles, plenos inveniet mendaciorum, magis Ingenui ſunt Nicolaus Myrepſus, Meſue, & alii Arabes, Græci quidam, qui tamen ſolebant eſſe mendaces; Non credo noſtram theriacam eſſe inferiorem illi, quam veteres faciebant, quæ ſubſtituuntur medicamenta ſi non eadem ſint, ſunt tamen aliis æquiparanda, & forſan meliora, unde veterum theriaca non ante ſex menſes tuta videbatur, noſtra recens optima eſt, quicquid contrarium quidam ſcripſerint. Demum dicet quiſpiam, poſſe ea quæ deſunt tranſplantari, & ſic inferri in peregrinum ſolum. Hoc quia non eſt probabile meo tempore futurum, qui tunc erunt ſuperſtites videant, an id ſine virium jacturâ eâque copiâ fieri poſſit, quæ regio-

regioni illi ſufficere poſſit. Terebinthinâ, Thure, Maſtiche, Sulfure, &c. Carere non poteſt Medicus etiam ſi in regione ubi Medicinam facit non naſcantur. Quæ igitur bona ſunt retineantur.

Caput VIII.

De iis qui purgationem, & Venæ ſectionem reformidant, ne aſſueſcant.

PLurimi ſunt qui ſatis lubenter anniverſariis purgationibus, & venæ ſectionibus utuntur, Vere ſcilicet & Autumno ad humores pravos evacuandos, ne poſtea Æſtate ſcilicet, & Hyeme morbi ſuccedant, quod ſuadet Hippocr. aphor. 47. lib. 6. *Quibus vena ſectio, vel purgatio prodeſt his verè purgatio aut vena ſectio convenit*, quod etiam repetit *aphor.* 53. *lib.* 7. Quidam tamen ſunt adeo formidoloſi, ut etiamſi his remediis opus habeant, ea tamen detrectant ne in conſuetudinem trahant. Credunt enim ſi ſemel iterumve illis uſi fuerint, fore ut ſi poſtea eorum uſus intermittatur, vel neceſſariò ægrotent, aut ſanitate minus firma fruantur: quorum errorem hoc loco indicare conſtitui, quamvis etiam quidam Medici ejuſdem fuerint opinionis, qui vetant ne temerè magnis remediis, venæ ſectioni & purgationi quiſquam aſſueſcat, ne intermiſſa hâc conſuetu-

dine

dine graves incurrat morbos. Verùm minus rectè hæc dicta ſunt. Nam axioma eſt Medicorum unum ab uno indicari. Et conſuetudo ipſa propriè non indicat, ſed tantùm coindicat. refertur enim ad naturam, dicitur enim altera natura. Quicquid indicat vel ſui conſervationem, vel ablationem indicat, conſervationem quidem ſi ſit ſecundum naturam, ablationem verò ſi ſit præter naturam, ut morbus, & cauſa morbifica. Cum igitur cauſa morbifica ſola vacuationem indicet, vel per phlebotomiam, vel per catharſin, non poſſunt pariter hæc remedia à conſuetudine indicari. quia conſuetudo refertur ad naturam; at unum idemque remedium non poteſt à diverſis indicari. Si in quopiam homine copia ſanguinis aut alia quæpiam ſimili cauſa venæ ſectionem poſtulat, ne in gravem aliquem morbum labatur, ſequenti anno niſi eodem vitio laboret, non neceſſariò ejuſmodi remedium natura poſtulabit, ad quam refertur conſuetudo, quoniam ſola cauſa morbifica indicat ejuſmodi remedium, non natura Si igitur mittendus iterum ſit ſanguis, id fiet propter vitium cauſæ morbificæ, non propter conſuetudinem. Nec ſequitur ſi hoc anno tantum eſt in Socratis corpore ſanguinis vitium, ut vacuationem poſtulet, fore ut Vere ſequenti adſit ſimile vitium, nam & hominis,

& aëris temperies, & victus ratio poſſunt immutari. Aliàs nunquam fieret morborum curatio perfecta, ſi qui ſemel abunde fuit vacuatus, neceſſariò eundem morbum pateretur. Conſuetudo igitur ipſa remedium non expoſcit, ſed permittit, quia vacuationes conſuetæ minùs moleſtæ ſunt, & confidentiùs vacuari debent conſueti. Ad futuras tamen vacuationes, niſi ſimul præſens adſit cauſa morbifica, ſola conſuetudo nihil facit, ſed ſi quidam morbi ſingulis annis repetere ſoleant, ut podagra, arthritis, melancholia & ſimiles, quoniam horum morborum cauſæ intus latent in corpore, optimum eſt remediis idoneis ejuſmodi morbos præcavere, ut ſe feciſſe Galenus ſcribit *in comment. ad aph. prædictum*, quæ remedia patienti conveniunt, non ob aſſuetudinem, ſed ob cauſarum morbificarum præſentiam, quæ quoties adſunt, ejuſmodi remediis debent emendari. At omnes morbi non ſunt ejus naturæ, ut ſingulis annis eorum metus impendeat, propterea verendum non eſt, ne quiſpiam remedio aſſueſcat, niſi morbus quoque reddatur conſuetus & familiaris. At remedium quod morbum curat, cauſa non eſt cur idem morbus poſtea redintegretur, quod tamen foret, ſi uſus remedii ipſius neceſſitatem faceret, quia ſola cauſa morbifica vacuationem poſtulat, unde neceſſe erit ut adhibita vacuatio

cuatio cauſam morbi deinceps augeat, ad administrationem ſimilis medicationis.

CAPUT IX.

Ad Venæ ſectionem & purgationem Aſtrorum rationem non eſſe habendam.

NImiùm familiare eſt quamplurimis, in uſu remediorum obſervare ſitum ſignorum, an ſcilicet Luna ſit in hoc illove ſigno, quod parti huic vel illi præeſſe creditur. Alii concurſus & oppoſitiones Aſtrorum conſiderant, cum purgandum eſt, aut ſanguis mittendus, ut quando Luna cum Sole conjungitur, piaculum eſſe cenſent hæc remedia adhibere. Scribit Avicennas fen. 4. lib. 1. *Quidam præcipiunt ne ventoſæ in principio menſis apponantur, quoniam humores nondum ebullierunt; nec in fine menſis. quia humores tunc ſunt minuti, ſed in medio menſis cùm humores ſunt ebullientes, Lunæ augmentum ſequentes, & augetur cerebrum in cranio, & aqua in fluminibus, acceſſionem, & receſſionem habentibus*, quod ipſius interpretes ad alias vacuationes majores transferunt, cùm eadem cauſa ſubſit. Hic conſiderandæ ſunt duæ ſententiæ, quarum una eſt Hippocratis & Galeni, alia eſt Aſtrologorum. Hippocrates libro de aëre, aquis & locis, jubet *obſervare magnas temporum*

mutationes, & ſolſtitia, ut neque medicamenta in illis exhibeamus, neque uramus quæ circa ventrem ſunt, neque ſecemus, priuſquam prætereant decem dies aut plures, ſed potiſſimum decem. Per magnas autem mutationes intelligit caloris, & frigoris variationes, quæ in ſolſtitiis, æquinoctiis, ſub cane, & ante canem, & ex quorundam ſyderum ortu & occaſu contingunt: Addit enim: *Periculoſiſſima ſunt etiam ambo ſolſtitia, maximè verò æſtivum, periculoſum etiam æquinoctium utrumque, magis verò Autumnale, ſyderum quoque ortus obſervandi, præcipuè Canis, Arcturi, & Plejadum occaſus*, quia illis temporibus morbi finiuntur, vel immutantur. Hæc igitur ex ſententia Hippocratis cognoſcenda ſunt, propter mutationes repentinas aëris, quæ orientibus quibuſdam Aſtris fieri ſolent. Quidam etiam ſyderibus prædictis addunt Lunam, cujus maxima vis eſt in hæc inferiora, eamque humoribus maximè dominari experientia conſtat, idemque agnoſcit *Galenus* 3. *de diebus decretoriis*. Aſtrologi autem ulterius proceſſerunt, nam ſigna Zodiaci ſingulis corporis partibus attribuunt; & quum Luna, vel Sol in ejuſmodi ſunt ſignis, nefas eſſe putant, illis uti remediis quæ partes illas ſpectant, quibus ejuſmodi ſigna præeſſe creduntur, & populus lectione calendariorum,

quæ

quæ ſingulis annis nova producunt, ejuſmodi nugas obſervat nimis curioſè, de quibus dicemus plura capite ſequenti. Verùm ſi omnes hæ Hippocratis, & Galeni obſervationes veræ ſunt, vix ſupererit remediis locus. Nam in ſingulis æquinoctiis, ſolſtitiis, circa ortum & occaſum Arcturi & Plejadum, quieſcendum erit per decem dies, ante Canem, & ſub Cane, per dies ad minimum quadraginta, ſic in omnibus Lunæ oppoſitionibus, conjunctionibus, quadratis, aſpectibus abſtinendum erit ſecundum Aſtrologos. Quæ omnia ſi ſuperſtitioſè obſerventur, nullus relinquetur remediis locus, etiamſi ea negligamus ſydera quorum vires nondum ſunt obſervatæ, quorum quædam forſan etiam non minùs nocere poſſunt. Aſtra in curatione morborum ſpectanda non ſunt, quatenus ſunt in cœlo ſed propter vires ſuas, & alterationes eas quas in aëre faciunt, ſicut ſub Cane vetat purgationes Hippocrates, ſolummodo ob aëris fervorem. At quæcunque demum ſit aëris alteratio, ea neque pariter omnibus utilis eſſe poteſt, neque noxia ad evacuationem, ſed quibuſdam proderit, aliis nocebit, prout varia eſt hominum conſtitutio, neque ea unquam fuit cœli facies, quæ nulli fuerit ſalutaris, aut etiam noxia. *Naturarum aliæ quidem ad æſtatem, aliæ ad hyemem benè maléve ſe habent*, aphor. 2. lib. 3.

lib. 3. *ſic quoque morbi alii ad alia benè ſe habent, vel malè. & quadam ætates ad tempora, & loca, & victus genera*, *aphoriſmo* 3. *libri prædicti*, quoniam ſyderum vires, quæ ſemper ſunt univerſales, eodem tantùm modo agunt, & quibuſdam nocent, aliis proſunt, ſecundum variam morborum & ægrotantium naturam, ætatem, regionem, anni tempus, aliaſque ejuſmodi circumſtantias, quæ cauſarum univerſalium virtutem determinant. Deinde Aſtrorum concurſus cauſa tantum eſt procatartica, & univerſalis, quæ internas ſuſcitat, & agitat. Hæ autem ex propriis ſuis ſignis cognoſcuntur, nec opus eſt Aſtra conſiderare, ſed tantùm motiones cauſarum internarum, quæ tempora morborum conſtituunt. Verum Aſtrologos ipſos quod ſpectat, vano illi commento ſingulas corporis partes aſtris attribuunt, tum planetis, tum ſignis Zodiaci. Et quoniam Planetarum, ſignorumque Zodiaci non eſt unus idemque motus, quorundam Planetarum celer, aliorum tardiſſimus, ſignorum autem idem, ſemperque æquabilis, raro continget ut Planetæ cum ſigno eidem parti dicato ſimul concurrant. Luna quidem omnia ſigna ſingulis menſibus peragrat, ideo ſæpiùs cum omnibus illis conjungitur. At Saturnus, quem ſpleni præficiunt, rariſſimè cum ſigno eidem parti dicato copulatur. Aſtra igitur

quæ

quæ ſingulas partes regere dicuntur, vel influunt in ſubſtantiam partis, vel in conformationem: non in ſubſtantiam, quia nulla pars organica eſt in corpore, quæ variis partibus naturæ diverſæ non conſtet, ut pedes & manus conſtant oſſibus, nervis, arteriis, muſculis, quæ non poſſunt æquè primò ſubjici huic vel illi ſyderi. Deinde cum ſimiles ſecundum ſubſtantiam partes ſint etiam in aliis organis, ut oſſa ſunt in pedibus, manibus, thorace, capite, cur unum idemque ſydus omnibus hiſce non dominabitur? Reſtat igitur ut influant aſtra in conformationem ſolam, quæ ſingulis partibus eſt accidentaria, nam partes ſingulæ ſeorſim poſſunt eſſe abſque ejuſmodi conformatione, ut oſſa non minùs poſſunt eſſe incurva, quàm recta, & tamen benè nutriri. Conformatio partis cujuslibet pendet ex numerō, magnitudine, ſitu & figura. Non poteſt influxus fieri in numerum partium, quia numerus ratione ſui non eſt ens reale, tum quia una particula ablata, vel addita, non mutatur tamen influxus in partem, ut ſi à manu digitus unus deſit, non deſinit tamen influxus. Pariter nec in magnitudinem, quia alius foret influxus in infantem quam in adultum. Non in ſitum, quia ſic mutato ſitu mutaretur quoque influxus, ut in manum extenſam, capiti, aut pedibus impoſitam. Demum nec in ipſam

figuram, quia pariter mutata figura non mutatur vis & efficacia ſignorum in partem. Patet hinc vires ejuſmodi in unam potius partem, quam in aliam falſas eſſe & commentitias. Forſitan ſi quicquam ſimile datur, virtus ejuſmodi extendet ſeſe ſolum ad illas partes, quæ proprium habent parenchyma ab aliis diverſum, ut cor, cerebrum, jecur, &c. Non autem ad manus & pedes, ſimileſque alias partes, quarum ſimilares partes ſunt eædem ſecundum ſubſtantiam, ſed tantùm conformatione diſtinguuntur. Revera plurimi Medici parum curâſſe videntur Aſtrologicas iſtas obſervationes. In ſolſtitiis & æquinoctiis plurimos vidi ægrotantes, quibus ſalutariter adminiſtrata fuere prædicta remedia; quæ ſi omiſſa fuiſſent, forſitan æger priùs periiſſet. In urgentibus igitur morbis, ut in apoplexiâ, anginâ, pleuritide, febre ardente, periculoſum eſt propter cœli diſpoſitionem, neceſſaria remedia vel omittere, vel differre, nam morborum tempora, naturæque actionem potiùs ſpectare oportet, & ex ejuſmodi obſervatione, remedia modò hæc, modò illa, quæ varia variis temporibus morbus exigit, præſcribere. At cum præcautionis gratia, vel catharſin, vel phlebotomiam Medicus imperat, licebit obſervare quatuor Lunæ quadras, & primis potiùs quàm poſtremis prædictis uti, quoniam

Lunæ

Lunæ in humores manifeſtum eſt imperium, eâ creſcente augentur, decreſcente minuuntur. Poterunt pariter æquinoctia & ſolſtitia vitari. At in ægris abſque periculo prædicta nequeunt obſervari, cum morbi tantas moras non patiantur. Sed ſemper rejicienda ſunt Aſtrologorum placida de dominatu ſignorum in ſingulis corporis noſtri partibus, cum abſurdum ſit unum ſydus huic, aliud illi parti præeſſe, quoniam omnia ſydera omnibus partibus præſunt, nec agunt immediatè, ſed per aëris alterationes, à quibus totum corpus immutatur.

Caput X.

De ridiculis Calendariographorum obſervationibus Medicis.

Quis præterea non rideret cautiones illas, quas ſingulis annis populo præſcribunt Aſtrologi in ſuis calendariis, circa uſum remediorum, inter quas non minima illa eſt, de quâ jam ſupra diximus, quod partes corporis ſingulis Zodiaci ſignis attribuunt; Reliquas jam perſequemur. *Primò* dicunt commodiſſimum ad purgationem tempus eſſe, quando Luna in aqueis ſignis movetur, ſcilicet in Cancro, Scorpio, & Piſcibus. *Secundò* quandò Luna eſt in tali ſigno, fiat purgatio per electuaria, in alio ſigno per potiones,

tiones, in alio verò per pilulas. *Tertiò* in tali ſigno purgetur bilis per electuaria, in tali per pilulas, in tali per potiones, & ſic de reliquis humoribus. *Pariter* bonum eſſe dicunt venam ſecari pituitoſo, cum Luna eſt in Ariete, vel Sagittario; melancholico, quando eſt in Libra, vel Aquario; bilioſo quando eſt in Cancro vel Piſcibus; ſanguineo pariter, quando eſt in alterutro horum. Sed notandum eſt *quoſlibet morbos quolibet tempore fieri poſſe, & exacerbari*, ex Hippocrate, aphor. 19. lib. 3. Quoniam ut docet *Galenus* in comment. non ſolus aër cauſa eſt morborum, ſed etiam propria ægrotantis temperies, & victus cujuſque ratio peculiaris, unde fieri poteſt ut etiam æſtate frigidis, & pituitoſis morbis quiſpiam corripiatur. Cum igitur uno eodemque tempore variis morbis ſimul plurimi affligantur, nec omnes ſimul eodemque modo purgari poſſint, debeantve, & in morbis quando ſunt acuti, periculum ſit in mora, dum expectamus donec Luna hæc vel illa ſigna percurrerit, interea occaſio ægrum juvandi, quæ volucris dicitur *primo aphoriſmorum*, amittetur, nunquam forſitan ampliùs reditura, quia ut docet *Galenus* in commentario, occaſio dicitur præceps, quoniam corpus noſtrum aſſiduè immutatur, non tantùm ab externis cauſis (quales ſunt aër & aſtra) ſed etiam ab inter-

internis. Unde fit ut qui eodem ſimul tempore decumbere incipiunt, diverſis tamen diebus purgari debeant, ſiquidem etiamſi iidem ſint ſyderum & Lunæ aſpectus, interna tamen corporis virtus humores variè alterat, concoquit, & expellit, quod Medicum, qui naturæ, non Aſtrorum miniſter eſt, conſiderare oportet, ut ſingula ſuo tempore ægris adminiſtret. Morborum enim curationes ſecundum diverſa illorum tempora variantur. Cum autem tempora morborum in aliis ſint longiora, in aliis breviora, ſi Lunæ & ſyderum aſpectus expectamus, amittimus interea ſalutarem illam indicationem, quam morbi tempora ſuppeditant. In quibuſdam enim non niſi concocta materia purgamus, in aliis verò etiam in principiis, in quibuſdam autem morbis principia citò pertranſeunt, & ſtatim ad ſtatum perveniunt, in aliis verò ſunt longiſſima. Quapropter non poteſt omnibus idem eſſe purgandi tempus, quod tamen foret, ſi Lunæ ſyderumque aſpectus eſſet conſiderandus, ſic enim contingere poteſt, ut quando natura purgationem poſtulat, Lunæ repugnet, ſic omnia forent irrita, unde rectè præſtantiſſimi tam antiqui, quàm noſtrorum temporum Medici, iſtas obſervationes ſummo cum judicio neglexerunt. Sed abſurdum magis eſt, quod de remediorum forma addiderunt.

Cum enim eadem numero remedia poſſint à Medico potionis, electuarii, pilularumve forma præſcribi, fruſtra Lunæ vis imploratur, Facile enim eſt Medico, electuarium *Hamech, diaſennam, catholicon, &c.* Electuarii forma ægro concedere, vel juſculo, aquis ſtillatitiis, aliove liquore diſſolvere, ut fiat potio. Videntur ſanè ignorare Aſtrologi iſti, quid ſint electuaria, vel potiones, quamvis enim omnes potiones ex electuariis non fiant, poſſunt tamen electuaria in potiones transformari, imò fermè ſemper iiſdem purgantibus ſimplicibus, ut ſennâ, rhabarbaro, polypodio, &c. utimur, & ad potiones & ad electuaria. Formam autem remediorum Medici variam præſcribunt, interdum ut ægris placeant, quorum alii ſolida lubentius aſſumunt, quam liquida, alii verò contrà. Interdum propter partium expurgandarum ſitum profundiorem, materiæ tenacitatem, aliaſque intentiones. Idem dicendum eſt de pilulis. Nam etiam antiqui Medici Aëtius, Paulus, aliique aloën, colocyntiden, & quicquid demum pilulis excipimus, quantumvis ingratiſſimum ſit, liquore ſolvebant, ægris propinabant, quæ nos ſolida forma exhibemus, ob nimiam amaritudinem, & ut diutius in ſtomacho maneant, quandò à capite, vel longinquis partibus eſt attrahendum. Demum obſervare

opor-

oportet, quæcunque ſolida forma aſſumuntur, antequam vires ſuas in corpore exerant, in ſtomacho prius liqueſcere, quod perindè eſt, ac ſi à Pharmacopœo fuiſſent antea liquore aliquo ſoluta, idem enim tum natura, tum ars facit. Imò quæ liquida exhibentur, citiùs operationem ſuam incipiunt, quia jam ipſorum compages ab arte ſoluta, naturæ negotium non facit, unde & pilulas cochias valde amaras in apoplecticis, aliiſque frigidis morbis, diſſolvunt Medici in aqua vitæ, aut alia convenienti, ut citiùs vim ſuam exerant. Pariter quæ de phlebotomia dicuntur ab Aſtrologis vaniſſima ſunt, nam pituitoſo, aut morbis à pituita laboranti, nunquam convenit venæ ſectio, quæcunque ſit Lunæ conſtitutio, niſi ſanguis cum pituita ſimul redundet. Melancholicis pariter prohibet *Galenus* venæ ſectionem, niſi ſanguis qui vacuatur, melancholicus appareat. Solis biliosis & ſanguineis convenit, in quocunque demum ſigno Luna fuerit, ſi morbus, ætas, vireſque conſentiant, ob rationes dictas, unde rectè *Galenus libro de vena ſect.* ait quolibet morbi tempore poſſe mitti ſanguinem, ſi illius mittendi indicationes adfuerint, etiamſi vigeſimus ille dies à morbi principio foret. Sunt autem illæ, morbi magnitudo, & vires, non autem ſyderum conſtitutio, quam ſi obſervemus, forſan, ut

jam diximus, agendorum occaſio cum certo ægri detrimento peribit.

Caput XI.

Diebus Canicularibus purgationem non eſſe noxiam.

Forſitan reperientur non adeo pauci, qui prædictas obſervationes negligent, & ridebunt, ſed quis ille eſt hodie, qui dies iſtos caniculares ignoret, eoque tempore purgationem non reformidet, ex antiquo *Hippocratis* decreto, libro 4. aphoriſm. 5. *Sub Cane, & ante Canem difficiles ſunt medicationes.* Unde multi etiamſi eo tempore morbos patiantur, qui venæ ſectione aut catharſi opus habent, iis tamen remediis uti detrectant: qui duo hæc non obſervant. *Primò* morbos tunc naturæ ſoli curandos illos tradere, quando maximè ipſa remediis, & auxilio indiget. *Secundò* ſi ſub Cane abſque remediis poſſunt morbi profligari, quidni pariter quolibet alio tempore, ſic illorum uſus poſſet omnino à morborum curatione ablegari? Videamus autem rationem quare *Hippocrates* difficiles purgationes dixerit eſſe ſub Cane, quæ videtur ex Galeni commentario triplex eſſe. *Prima*, quia corpus Æſtatis ardore nimis incaleſcens, ferre non poteſt acrimoniam medicamentorum; *Secunda* quia tunc

tunc jam ſatis debilis natura, purgatione redditur imbecillior. *Tertia* quia aëris fervor purgationi obſiſtit, humores enim trahit à centro ad ſuperficiem corporis, pharmacum verò eoſdem in centrum retrahit, ſic fiunt duo motus contrarii, ſic vel nulla, vel moleſta fit purgatio. Attamen hæ rationes in regione frigidiori, noſtroque tempore minùs valent, quia non tantus ſentitur ardor in Anglia ſub Cane (maximè in Borealibus Angliæ regionibus, ubi hæc ſcribo, ubi tamen non minus verentur Canis hujus morſum quàm in Hiſpania) & propterea non eſt verendum, ne corpus noſtrum magis quam par eſt accendatur, debilius fiat, aut humores nimis rapidè in cutem trahantur. Deinde mitiora ſunt noſtra medicamenta iis quibus Hippocrates utebatur, ut ſunt caſſia, tamarindi, ſenna, rhabarbarum, & ſimilia, quæ nec corpus valdè accendunt, nec humores admodum exagitant: & demum quoniam etſi fortioribus uteremur, ita tamen præparari poſſunt, & eâ quantitate exhiberi, quæ corpori parum noceat. At regio Hippocratis, cum ſit fervidiſſima, nec alia quam valentiſſima & calidiſſima pharmaca in uſum ipſe adhiberet, minùs mirum eſſe debet, ſi tempus illud formidabat. His autem in regionibus non ſunt hi dies adeo fervidi. Præterea non dixit abſolutè *Hippocrates*, non eſſe purgan-

purgandum ſub cane, ſed tantùm purgationem eſſe difficilem, non autem impoſſibilem, unde cum hoc tempore morbi fiant acutiſſimi, qui abſque phlebotomia & catharſi nequeunt curari, rectè calidiſſimarum regionum, ut Hiſpaniæ, Italiæ, Galliæ Narbonenſis, Medici purgantibus utuntur, ſed minùs frequenter, & minùs validis. Quidam tamen non ob caloris tantùmmodo vim, ſed ob ſyderis malignos effectus à purgatione cenſent abſtinendum, & veteres tantum huic aſtro tribuebant, ut per excellentiam *aſtrum* vocarent, quaſi præ cæteris vim quandam excellentem habeat, non tantum in corpus, ſed etiam in animum, ita ut homines & bruta, ſed. præſertim canes, tunc magis quàm aliis temporibus laborent, & canes ipſi efferari credantur. Unde etiam venæ ſectionem Galenus hoc tempore improbat; Verùm omnia maleficia quæ Plinius recenſet, non ſunt perpetuæ veritatis, & rarò aut nunquam hic in Anglia obſervantur, & abſurdum eſt credere, ullas ſtellas eſſe maleficas, cum omnes beneficæ ſint, & ſalutares, & quæ veteres de hoc ſydere ſcripſerunt experientiæ non reſpondent; Videmus ſingulis annis varios eſſe caloris gradus, nec ſemper ſingulis annis eoſdem, quæ ſyderum virtus ex varietate conjunctionum & aſpectuum ſolet alterari, unde maligni ejuſmodi effectus Syrii (ſiqui ſunt) poſſunt

poſſunt ex aliorum ſyderum aſpectu impediri. Nec neceſſariò ſi hoc anno quum hæc ſcribo maximus ardor eſt, talis erit anno ſequenti. Quare non eſt quod purgationem ſub Cane ſemper formidemus, nec omnibus diebus quibus Canicula viget, nam ſi hodiè impensè calet, cras fortè erit cœlum temperatius, tantùm hoc tempore, & minus frequenter, & minùs validis eſt utendum, nam etiam ea quæ Hippocrates olim ægris ſuis adminiſtrabat, vix unquam à nobis ne hyeme quidem præſcribuntur. Opinioni huic noſtræ aſſentiuntur *Ioubertus in vulgi erroribus*, *Mercurialis*, *Argenterius*, *Hollerius in commentariis ad prædictum aphoriſmum*, *Fernelius*, *Fuchſius*, *Vallerïola*, *Claudinus*, *Valleſius*, *aliique* omnes qui hac de re ſcripſerunt. Sufficiet nobis *Iacobi Hollerii* viri graviſſimi teſtimonio caput hoc concludere. *Hoc præceptum*, inquit ille, *locum habet in Hippocratis regione calidiſſima & ſimilibus, ſed non item in his regionibus* (loquitur autem de Lutetia Pariſiorum, in qua vivebat Hollerius) *nam præterquam quod habemus benigna & levia medicamenta, quibus utamur, qualia ſunt, caſſia, catholicon, lac Aſininum, &c. Hic nullum tempus ſalubrius magiſque temperatum (præſertim quum flant Eteſiæ) experimur, quàm dies Caniculares, adeo ut experientia conſtet morbos Iunio & Iulio.*

Iulio menſe natos ſolvi ſolere menſe Auguſto, & ſub Canicula. Quare ſi in hoſce dies incidat morbus, non veremur ſæpe venam aperire, & fortiora medicamenta imperare: Veruntamen ſi exoriatur vehemens ardor & Canicularis, ut ſæpe in Gallia, menſe Maio, & Tunio, utemur conſilio Hippocratis, tum in Phlebotome, tum in purgationibus præſcribendis; Ubi oſtendit nou ipſos dies numerandos, ſed æſtum eſſe obſervandum, qui ſi contingat etiam rrenſe Majo, ante Caniculam, imò quocunque tempore contigerit, Hippocratis regula eſt obſervanda. Adderem hoc loco varias eſſe de ortu Canis ſententias, cum priùs apud antiquos oriretur, quam nunc facit, & propterea ortus illius incidit apud nos in ea tempora, in quibus minùs calere ſolet, qua propter minùs eo tempore formidanda eſt purgatio, qua de re videri poteſt vir doctiſſimus *Dionyſius Petavius*.

Ut autem pateat quanta ſit inter Angliam & Græciam Hippocratis regionem differentia, obſervandum eſt quod ſcribit *Heſiodus libro ſecundo Opertum & dierum*.

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθ' ἀμήτου, ἀρότοιο δὲ, δυσομενάων.
Αἳ δή τοι νύκτας τε καὶ ἤματα τεσσαράκοντα
Κεκρύφαται. τὰ αὖτις δὲ περιπλομένου ἐνιαυτοῦ
Φαίνονται, τὰ πρῶτα χαρασσομένοιο σιδήρου.
Οὗτός τοι πεδίων πέλεται νόμος, id eſt,

Ple-

Plejadibus Atlante natis exorientibus
Incipe meſſem, arationem occidentibus.
Hæ quidem noctesque & dies quadraginta
Latent: rurſum vero circumvolvente ſe anno
Apparent, primum ut acuitur ferrum.
Hæc utique arvorum eſt regula.

Ubi meſſem dicit eſſe incipiendam orientibus Pleiadibus, quo tempore ver apud nos vix incipit. Oriuntur enim Pleiades menſe Aprili, veteri ſtylo, aut non longè poſt principium Maji.

CAPUT. XII.

Purgationes ſæpiùs eſſe repetendas.

QUoniam remedia, ut diximus, ſunt tædioſa, plurimi ex unico purgante remedio perfectam expectant curationem, morbumque credunt ſuperare Medici captum, & induſtriam, ſi ſemel aſſumpto cathartico non cedat, nec lubenter audiunt illud eſſe iterandum, qui parum norunt quibus de cauſis Medici purgationes repetere cogantur. Optandum quidem foret, ut morbi unico propinato cathartico ceſſarent, quod etiamſi interdum contingat, non ſolet tamen eſſe perpetuum, & ſanè pharmacum plenam perfectamque faciens purgationem, abſque ſumma conſideratione exhiberi non debet, quoniam

niam vehementia omnia cathartica naturæ ſunt adverſiſſima ; Ideò tantùm præſcribi debet ejuſmodi perfecta vacuatio, ubi vires ferunt, materia pauca eſt, & tenuis, & natura ſeipſam ducem oſtendit, quando humores ſunt planè concocti, viæque omnes in alvum patentes ſunt. Sed ſi humores non ſint ſimul omnes concocti, pluribus vicibus ſunt vacuandi, facto à levioribus initio. Idemque faciendum ſi vires ſint imbecillæ, humor copioſus, quis enim poteſt in cachexia totum humorem peccantem unâ vice in alvum deducere, unde plurimum, & repente vacuare periculoſum eſſe cenſuit *Hippocrat. aphor.* 51. *libri* 2. Si enim empyi & hydropici cum uruntur aut ſecantur, ſi pus & aqua univerſum effluxerint, moriuntur, *Aphoriſm.* 27. *lib.* 6. Si ſanguinis miſſio quæ fit ad lipothymiam, humorem noxium totum non vacuat, quandoquidem ex octavo methodi ſequuntur alvi dejectiones, bilis vomitus, ſudores, quantò minùs per purgans medicamentum, totum id quod noxium eſt, vacuare licebit ? Tûtius igitur paulatim fiunt purgationes prout ſe habent ægrotantis vires, partis affectæ conditio, humoris peccantis natura & ſitus, quia rarò totus humor eodem modo eſt in corpore, ſed per varias partes diffuſus. Sæpè illius pars una cocta eſt, alia cruda, una tenuis, alia craſſa, una quieta, alia

turgens,

turgens, & in motu; quæ omnes unicâ vice nequeunt evacuari. Melius eſt igitur tutò, quam citò & cum periculo purgare. Non debent ergo ampliùs morosi eſſe ægrotantes, ſi Medicus prudens & doctus, purgationes repetere ſuadeat, nam etiam morbo curato utiles ſunt, ad morbi reliquias tollendas, & præcavendam recidivam.

CAPUT XIII.

Non eſſe pilulis purgantibus utendum à cœna.

NOn eſt novus hic error, ſed à quam plurimis Medicinæ ſcriptoribus eleganter refutatus, quamvis quidam Medici pravam hanc conſuetudinem ſequantur. Putant autem plurimi cum caput purgandum eſt, utilius eſſe poſt cœnam pilulas aſſumere, ſic enim illarum vires unà cum ciborum vapore ad caput commodiùs ferre. Quod tamen falſum eſt, trahi ſcilicet humores à capite ad ventriculum, non per venas, ſed per gulam & fauces. ſicq̃ue poſſent facile per ſputum, ſi non omninò, ſaltem maximâ ex parte vacuari, neque unquam talis deſcenſus humoris tempore purgationis ab ægris ſentitur, ut rectè advertit *Iulius Cæſar Claudinus doctiſſimo, & elegantiſſimo libro de ingreſſu ad infirmos, cap. 9. lib. 2.* Revera enim tempus exhi-

exhibendarum pilularum idem eſt, quod aliorum medicamentorum, nempe matutinum tempus, abſoluta demum ciborum concoctione, nam aliàs ciborum copia vis medicamenti obtunditur, & obruitur, ipſi cibi corrumpuntur, nam medicamentum pravos humores trahit ad ventriculum, & cibis commiſcet, præterea ſuperius ventriculi orificium vellicat, ſicque vomitum provocare poteſt, docente *Gal.* 4. *de Sanit. tuenda.* & *Paulus lib.* 7. *cap.* 4. reprehendit eos qui aloen veſperi exhibent, & à cibo, quia cibum corrumpit & bilem minimè vacuat; Si igitur, aloe benignum adeo catharticum, poſt cibum tantam noxam inferre poteſt, quid futurum erit, ſi vehementiores pilulæ cibo nondum concocto aſſumantur? Igitur potiùs matutino tempore quàm noctu pilulæ exhibeantur. Scio quidem ob varias cauſas poſſe etiam aliis horis præberi, ut poſt meridiem, & veſperi, ſed ſemper longè à cibo. Sic *Galenus* exhibuit veſperi catapotia ex aloe, ſcammonio, & colocyntide, ſed non poſt cibum, quia veriſimile eſt ægrum tunc non cœnaſſe, quoniam & linguam tumefactam habebat, & æger erat. Raró autem ægri niſi coacti cibum ſumunt. Plura *Fuchſius in Paradoxis hac de re ſcripſit*; Propterea hoc loco hæc ſufficiant. Faciliùs enim & lubentius hac in re

Medi-

Medicis morem gerunt ægrotantes, quàm in aliis multis, non minùs neceſſariis, & utilibus.

CAPUT XIV.

Medicas potiones non ſolùm calidas, ſed etiam frigidas ſumi poſſe.

SOlent quoque plurimi cum purgatorias ſumunt potiones, eas priùs calefacere, quaſi eadem eſſet pharmacorum, & juſculorum ratio, quod quidem non improbo; ſic enim citiùs videntur operationem ſuam incipere, & reduci ad actum. Sed tamen monendi ſunt non minùs commodè frigidas hauriri poſſe, æſtivo tempore, in ſtomacho fervidiori. Plurima enim purgantia, quæ ſubeunt harum potionum compoſitionem, minùs commodè ferunt coctionem, & levi calore virtus eorum exhalat, quæ ſi non tota perit, pars tamen ſaltem retunditur, ſicut apparet in rhabarbaro, quod redditur ignavius, ſi igni admoveatur, ſicuti docet ipſius extractum, quod primùm fit infuſione, quæ tincturam vireſque elicit, poſtmodum lenta exſiccatione ad extracti conſiſtentiam reducitur, ſic aliquot drachmæ quæ ad plurimas infuſiones ſatis ſunt, vix ad unciam extracti doſin ſufficiunt, quia infuſionem exſiccando virtus cathartica ſimul evaneſcit. *Secundò* fri-

frigida potio ori & palato minùs ingrata eſſe ſolet, quàm quæ calida eſt. *Tertiò* ideo facilius retinetur, nec tam facilè evomitur, tepida enim omnia natura ſua ſtomachum ſubvertunt, vomitumque cient, idque faciliùs ſi ſtomacho ingrata ſimul ſint, & adverſa, qualia fermè ſolent eſſe omnia cathartica.

Caput XV.

Die purgationis non eſſe piaculum frigidos potus ſumere.

Piaculum eſſe putant fermè omnes, eo die quo quis purgans medicamentum aſſumpſit, aliquid frigidum bibere, ſed calidos ſolum potus, ut poſſeta ſua, quæ nunc in ore omnium fermè ægrorum verſantur, quam conſuetudinem non improbo, promovent enim purgantis actionem, & humores à ventriculo detergent. Sic lego apud veteres aquam calidam convenire poſt ſumptionem purgantis, primò ſi ſolidum ſit pharmacum, ut ſolvatur, ſecundò ad ipſius malitiam corrigendam, tertiò ut detergeatur à ſtomachi parietibus, ne illis adhæreat; Eàdem pariter utebantur, poſt completam purgationem, ad ſtomachum abluendum, reliquias phormaci expellendas, tum ad inhibendam vim pharmaci, ſi nimis violenter pur-

purgârit; Eademque eſt ratio de poſſetis dictis. Sed frigidos potus ſemper denegare non eſt neceſſarium, poſſunt enim ſine noxa, imò cum maxima utilitate interdum propinari. Quidam ſiquidem aquam frigidam imperant, ſi ſtomachus ſit calidus, ut acrimonia pharmaci removeatur. Id docet Aetius tetrab. primæ, Sermone 3. Cap. 133. *Si facilè purgentur*, inquit, *poſtquam biberint medicamentum, dabimus ipſis aquam frigidam abſorbendam, aut colluendam*. Ægrotabat Siciliæ Prorex Johannes de Vega, ſumpto pharmaco ſegniter purgabatur. Medicus juſculi pulli cyathum ſine ſale Proregi offerebat. Accedens doctiſſimus ille Medicus *Philippus Ingraffias*, aquæ frigidæ libram unam cum pauco ſaccharo dedit, ceſſarunt ſtatim nauſea, morſuſque ventriculi, & purgationem fœliciter perfecit, tunc gratias magnas egit Ingraffiæ, & vas argenteum, in quo frigidam bibit, prætii aureorum quinquaginta ipſi dedit, ſicut ipſe refert libro de frigidæ potu poſt medicament. Et recenſet *Sanctorius com. in artem Galeni*. Non eſt igitur quod timeamus frigidos potus, ut cereviſiam, in iis qui purgantur, maximè cibi tempore; cum enim quatuor, vel quinque poſt ſumptum medicamentum horis liceat aliquid cibi ſumere, quare potus frigidiuſculus denegaretur, præſertim ſi qui purga-

tur, actu non ægrotârit, ſed præcautionis tantum gratia pharmacum ſumpſerit. Sed audiamus *Meſuen* graviſſimæ authoritatis ſcriptorem. Is autem *Theoremate tertio*, agens de cauſis quare medicamentum non vacuat, ſi ob naturæ imbecillitatem id contingat, inter alia dato potu aquæ parum frigidæ juvari ipſius actionem ſcribit; *Si verò facultas expultrix eſt imbecilla, aut medicamenti actio debilis, & remiſſa, data aqua modicè frigida, & hora pòſt adſtringente aliquo, medicamentum potenter ad inferiora detruditur.* Eodem capite: *Si medicamentum non vacuârit, & moleſta in corpore excitet ſymptomata, præter dicta*, inquit, *auxilia pharmacorum malignitatem obtundit, & acrimoniam frangit, Rufo authore, potus aquæ vehementer frigida*; Et theoremate quarto capite quinto, Canone primo. Eos reprehendit qui nimis citò poſt ſumptum pharmacum jura pinguia, & pulmenta mollia propinant, cum hæc ventriculum laxent, emolliant, repleant, & propterea cibi faſtidium, & nauſeam generent, quanquam fateatur interdum, & his eſſe locum, unde potiùs roborantibus uti præcipit, inter quæ numerat vinum tenue, odorum, leve, aqua, Sole vel igni parum cocta dilutum. Tum addit, vitet autem vinum dulce, craſſum, turbidum, aquam prætereà tum calidam, tum exactè frigi-

frigidam. Illa enim ventriculum laxat, & virtutem ejus diſſipat, hæc imbecillum calorem extinguit. Ex quibus patet etiam poſt ſumptum pharmacum licere interdum frigidis uti potibus non ſolùm calidis, qualia ſunt in hac regione poſſeta dicta.

CAPUT XVI.

De iis qui in ſolo Veris principio purgari volunt.

PLurimi qui anniverſariis quibuſdam morbis affligi ſolent, quibus ideo conſuetudine familiaria facta ſunt ejuſmodi remedia, tamen ſolummodo in principio Veris ea adhibent, finem autem Veris tanquam Æſtati nimis proximum reformidant, quî pariter etiam graviſſimè decipiuntur. Hæc enim remedia ad præſervationem præſcribuntur iis quidem, qui adhuc ſani ſunt, verum ægrotaturi, niſi ejuſmodi remediis ſuccurratur. Tempore autem Veris id potiſſimum faciendum eſt, quia tunc vires optimè valent, tempus anni moderatiſſimum eſt, humores omnes Hyeme ſopiti, Veris calore agitantur, naturæ & medicamentis vacuantibus magis obediunt; Verùm non in omnibus idem humor, ſed varii in variis dominantur, ſive ob peculiarem vivendi rationem, ſive ob peculiares hominum naturas, ſunt enim quidam bilioſi, alii pituitoſi: ſic cer-

tum eſt nec eadem omnibus, nec eodem tempore convenire vacuationem. Secundò vernum tempus quibuſdam in locis citiùs, in aliis verò tardiùs incipit, ob varium regionum ſitum. Medici ſiquidem anni tempora, non Aſtrologorum more per trimeſtria ſpatia definiunt, ſed ex aëris temperie æſtimant. Unde ſæpe Hyems in Anglia ſatis eſt aſpera, cum Sol Arietem intrat, in principio Martii, quo tempore Veris principium conſtituunt Aſtrologi. Propterea qui prædictis vacuationibus opus habent, non ex menſium computatione, ſed ex aëris temperie, eas ſibi præſcribi curent, etiamſi finis foret Maji menſis, quem menſem ad id opus tutiſſimum eſſe credo, quòd tunc aëris temperies ſit maxima, naturali calori ſimillima, corporis vires robuſtiſſimæ, ſicut in regionibus Anglia multò calidioribus hunc menſem præferunt Medici. Sed tamen *Galenus* ſecundum variam corporum conſtitutionem quoſdam in principio, alios in fine Veris purgandos exiſtimat. Quibus pituita abundat, illi in principio Veris ſunt vacuandi; Ejuſmodi enim humores Hyeme collecti Veris temperie liquantur, unde niſi vacuentur, facilè per corpus diffundi poſſunt, gravioreſque morbos concitare. Quibus verò bilis abundat, in fine Veris purgatio commodior eſt, ne calidiores humores ſuccedente æſtivo

calore

calore accendantur, putreſcant, & febres faciant. Id docet *Galenus commentar. ad Aphoriſmum* 47. *lib.* 6. Quidam æſtivo tempore ſemper tertiana corripi ſolitus, jam annos multos febrem non eſt expertus, bile pallida per nos ſub finem Veris præpurgatâ. Tum enim tales vacuari multò præſtat, ſicut Epilepticos, Apoplecticos, Arthriticos, & Melancholicos, & quotquot denique propter humorum craſſitiem ægrotant, vacuari principio Veris melius eſt.

Caput XVII.

Purgationem non eſſe rejiciendam etiamſi æger cibos non ſumat.

HOc ſæpiſſimè omnibus Medicis accidit, ut quando ægrotantibus vel clyſteris uſum, vel purgationem præſcribunt, ut adſtantes (præſertim mulieres, & ægrorum cuſtodes, quibus nihil unquam placet, ſed à Medicis cupiunt diſſentire) intercedant, quoniam æger debilis eſt, nihilque aſſumit, quem tamen ad cibos clam præpoſterè urgent, eumque ingurgitant. Obſervatum tamen ſæpiſſimè fuit, ejuſmodi ægrotantes, qui adeo à cibis abhorrent, leviſſimi tantùm clyſteris uſu ex ſolis inteſtinis vacuare fœces plurimas induratas, ob magnam caloris febrilis potentiam. Et notandum eſt purga-

tionem non præſcribi ad alvum ſolùm exonerandum, ſed ad humores morbificos expurgandos; nam ejuſmodi inappetentia, qua laborare ſolent ægrotantes, à vitioſis humoribus proficiſcitur, qui purgationem poſtulant, quibus vacuatis appetentia, & virtus ſtomachi redire ſolent. Nam cibi faſtidium, oris amaror, & alia ejuſmodi ſymptomata purgationem indicant eſſe neceſſariam, *Aphoriſ. 17. lib. 4. Nam febricitanti cibi faſtidium, cordis dolor, tenebricoſa vertigo, & oris amaror, purgatione per ſuperiora opus eſſe ſignificant.* Fiunt enim hæc ſymptomata humoribus orificium ventriculi obſidentibus. Quamvis igitur ægrotantes nihil aſſumant, habent tamen latentes intus in corpore plurimos humores vitioſos, qui niſi cathartico vacuentur, ſponte non redit appetentia, ſed morbus in dies redditur pejor, & forſan tandem etiam incurabilis.

Caput XVIII.

Non eſſe malè ſentiendum de purgatione, etiamſi vomitu interdum rejiciatur.

Audivi interdum conquerentes ægrotantes, quod ſumpto cathartico, ut per inferiora purgarentur, contrarius tamen effectus ſucceſſerit, purgatos ſcilicet fuiſſe per ſupe-

ſuperiora, qui ſanè purgationis modus valde moleſtus eſt, cum vomitoria naturæ maximam vim inferre ſoleant. Sciendum autem ſæpe contingere poſſe, ut medicamenti actio permutetur, & dejectorium fiat vomitorium, & contrà. Naturæ quidem inſtituto potiùs per dejectiones quàm per os corpus exoneratur. Ad id enim alvus conſtituta fuiſſe videtur, tum humores pondere ſuo ad alvum ruunt, venæque adſunt meſaraicæ quamplurimæ ad inteſtina humores refundentes. Dejectorium tamen medicamentum evadit vomitorium, tum ratione medicamenti, tum ratione ægri. Medicamenti quidem, *Primò* ſi vehemens fuerit, & ventriculi orificium magnopere irritârit. *Secundò* ſi ſit ingratum admodum, graveolens, fœtidum, à ſtomacho alienum; *Tertiò* ſi ſit leve, tenue, facilè ſupernatet, ut ſi cum pinguibus aut oleoſis miſceatur; *Quartò* ſi flatus plurimos pariat (ut ſenna, epithymum, agaricum) qui vapores ad orificium ventriculi delati illud irritant; *Quintò* ſi in maxima ſit quantitate, hiſque de cauſis non ſolùm medicamentum, ſed etiam alimentum vomitum provocare poteſt. Ratione ægri verò ſi fuerit ſtomacho imbecilli, & ſenſus acutiſſimi, res ingratas aſpexerit, fœtidas olfecerit, vehementer moveatur. Nam motus vomitum concitat, ut in navigantibus apparet.

Sed prætereà notandum cum quis ſumpſit medicamentum, ſi poſt horam unam, vel alteram illud vomuerit, nihil eſſe periculi; Jam enim à calore corporis pharmacum diſſolutum, & in actum, ut Medici loquuntur, redactum, vim ſuam per univerſum corpus diffudit, unde non minùs purgat, quàm ſi totum in corpore fuiſſet retentum. Imò ſæpè prodeſt illud evomere: ſecum enim humores craſſos, pituitoſos, alioſque ventriculo tenaciter adhærentes, ſimul educit, quos forſitan per alvum nunquam excreviſſet. Non igitur vitio vertendum eſt, aut Medico, aut Pharmacopœo, ſi medicamenti operatio contrario interdum modo contigerit; Inde enim nullum ægrotanti incommodum, ſed ſæpe maximum accedit emolumentum.

Caput XIX.

Etiamſi alvus fluat, non eſſe formidandam purgationem.

Miratur ſæpe populus, & inutile, ac potiùs malè factum eſſe putat, cum quiſpiam alvum fluidam habet, quod purgantia quandoque Medici præſcribunt, quæ augere fluxum poſſunt, vireſque ægrotantium atterere, & labefactare; Verùm contrario modo ſe res habet, nihil enim æquè alvum ſiſtit, ac purgatio; In ſecunda valetudine alvum interdum

terdum habere fluentem bonum eſt, modo fluxus ille nimius non ſit, nec viribus noceat, modo inquit Celſus intra ſeptimum diem conquieſcat; In ægris verò ſæpe bonus eſt alvi fluxus, ſæpè malus, pro varia morbi, & ægrotantis conſtitutione, tempore, ut ſi ſit criticus, ſi talia vacuentur qualia oportet, & fiat cum ægri euphoria. Ideo interdum ſinendus, interdum ſiſtendus; Sed ſi remediis adſtringendi vi præditis coërceatur, retentus in corpore humor noxius, ſæpè majus damnumq corpori affert, reliquos humores ſui contagione inficit, & corrumpit, unde poſtea nobilia viſcera læduntur, aut redit fluxus priore pejor, & malignior. Commune apud Medicos proverbium eſt. Cauſas morborum priùs eſſe tollendas, antequam morbi ipſi evaneſcant. Unde pariter in ejuſmodi fluxu, tutiſſima curandi ratio eſt, per cauſæ ablationem, quod inter cætera remedia commodiſſimè & tutiſſimè purgatio præſtat: unde poſtea aut ſponte fluxus ceſſat, aut ſi non ceſſarit, commodius tamen & ſine damno abſtringentibus coërcetur. Vidi ſæpe ægros, qui ſingulis diebus ſæpiſſimè dejiciebant, quibus admodum invitis cum rhabarbari uſum perſuaſiſſem, uſu purgantis remedii minùs alvus ſoluta fuit, quam vi naturæ eſſe ſolebat, & ſic curati ſunt. Inde vulgare eſt apud Medicos axioma, diarrhœam

piarrhœam, vomitum vomitu curari, non quod ſimilia ſimilibus curentur, ſed per accidens, quatenus vacuatis diarrhœæ cauſis, ipſa ſponte ceſſat.

Caput XX.
Clyſterum uſum eſſe innoxium.

CLyſteres tanquam grave aliquod, & admodum periculoſum remedium, plurimi rejiciunt, qui toto cœlo aberrant, cum ſint remedium benigniſſimum, & innocentiſſimum, partem ſiquidem nobilem non tangunt, cum ultra craſſiora inteſtina non pervadant, unde interdum ſi affectus poſtulet, valde acria addimus medicamenta, quæ alia pars ferre non poſſet, & tamen innoxiè adminiſtrantur. Multò minùs nocere poſſunt illi quos emollientes, & refrigerantes vocamus, ad febres alioſque morbos, in quibus nihil eſt, ut plurimùm quod ore excipi non poſſit, ſi quantitas excipiatur. Confert autem clyſter quamplurimis partibus, cerebro, oculis, ſtomacho, internis viſceribus: nam non tantùm alvum ſolvit, ſed etiam liquida ſua ſubſtantia deterget plurimos craſſos, viſcidoſque humores inteſtinorum tunicis adhærentes, & præterea tanquam totus incumbit renibus, & viſceribus abdomine contentis, unde ea ſæpe è corpo-

re.

re educit, quæ repetita purgatio non ſolvit. Id docet Galenus in ſeipſo, qui cum acerbiſſimo coli dolore vexaretur infuſo clyſtere ex oleo rutaceo, pituitam craſſam, tenacem, viſcidamque (Medici vitream vocant) excrevit. Cum igitur tam proficuus eſſe poſſit clyſterum uſus, non erit in poſterum reformidandus, ſed potiùs in familiarem uſum revocandus. Ideo de tribus populum hic monere volo. *Primò* ut ante venæ ſectionem clyſtere utantur, id enim medici omnes ſuadent, ne impuritas primæ illius regionis à venis vacuatis attrahatur, ſicque venarum ſanguis inquinetur. *Secundò* ut ſi alvus multum adſtricta fuerit, & purgatio ore ſumenda neceſſaria videatur, priùs levi clyſtere emollienda erit, ut fæces deturbētur. Alvus enim adſtricta cathartici vim remoratur, & cum in omni medicamento ſit generalis quædam virtus deturbandi fæces, præter propriam illam quâ humores ſibi familiares peculiari proprietate trahit, ſi alvus prius admodum adſtricta fuerit, fæceſque ſint induratæ, non poſſunt abſque magnis torminibus educi, & ſæpiſſimè in illis exturbandis vis medicamenti elangueſcit; attracti à pharmaco humores vacuari non poſſunt, ſed in inteſtinis retenti tormina, colicos cruciatus, vomitus, animi deliquia, vertigines, aliaque ſymptomata concitant.

Id videtur intellexiſſe *Hippocrates*, cum ſcribit, *Corpora ſi quis purgare voluerit, fluida facias oportet. Aphoriſ. 9. lib. 2.* Cum autem pluribus modis corpus fluidum fieri poſſit, hic per Clyſteres prævios non eſt aſpernandus, & hoc conſilium laudat *Galenus ſect. 4. de victu acut. & Aphoriſmo 72. lib. 7.* Scribit Hippocrates *Corpora ubi quis purgare voluerit, fluida facere oportet, & ſi ſupra velis fluida facere, ſiſtere alvum: ſi verò infra, humectare.* Non poteſt autem alvus commodius quàm uſu clyſteris humectari. Sic *Galenus* libro quos purgare oportet; Inter cauſas quare medicamento ſumpto evacuatio probè non ſuccedit, hanc recenſet. *Plerumque*, inquit, *ſtercus denſatum, atque in aliquo inteſtino exſiccatum evacuationem prohibet. Tertiò* non tantùm ante purgationem, Verum etiam poſt eam ad reliquias humorum detergendas quæ inteſtinis interdum adhærent, non inutile fuerit clyſterem levem & detergentem pariter injicere, ut præſtantiſſimi Medici ſuadent; Nam injectus clyſter inteſtina abluit, & relictam à medicamento vehementiori noxam adimit, præſertim ſi ejus generis fuerit quod Scammonium recipit; Id enim inteſtinis acri ſua facultate noxam inferre ſolet, & de omnibus aliis gravioribus eadem eſt ratio, ut rectè poſt alios explicat *Valleriola l: 3. locor. comm. cap. 16.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXI.

Clyſteres minùs commodè infundi per veſicas.

CUm igitur tam ſalutaris, tam facilis, & innocens ſit clyſterum adminiſtratio, paucis animadvertendum eſt in conſuetudinem illam infundendi clyſteres per veſicam bubulam tubulo alligatam. Hæc quidem in re non eſt error valdè gravis, videmus enim ſatis commodè hoc modo injici, & antiquiſſima videtur eſſe conſuetudo: nam lego apud Galenum 5. methodi, familiarem fuiſſe olim uſum ejuſmodi veſicarum. Nunc autem in pluribus regionibus ultramarinis deſiit, ignotuſque prorſus eſt ille infundendi modus, ſed ſyringe, fiſtula ut ſtannea aut ænea utuntur majori ſanè cum utilitate, nam & faciliùs injicitur, & tutiùs, & citius & quod hac in re maximè proficuum eſt, altiùs ſubit, & tota craſſa inteſtina pervadit. Cum enim naturaliter clyſter ultra craſſiora inteſtina non feratur, ob valvulam quandam in principio coli, & fine ilei poſitam, è re ægrotum maximè foret, ſi ſaltem eò clyſter pervenire poſſet, ſic enim majus commodum ex ablutione inteſtinorum perciperetur. At qui per veſicam injicitur altè admodum non aſcendit, ſed in recto inteſtino, & aliqua

parte coli ſubſiſtit. Optimum igitur foret ſi ejuſmodi ſyringes in uſum revocarentur, quibus fermè omnes extra Londinenſem civitatem Pharmacopœi carent. Contingit autem interdum, quamvis rarò, clyſterem evomi, id bis tantùm me vidiſſe memini in duobus ægris, quando prædicta valvula ob vitiatum motum inteſtinorum periſtalticum laxatur, & viam inſolitam liquori præbet, quod tamen quomodo fieri poſſit, non capio. Crederem potius id fieri quod prædicta valvula ob cauſas aliquas præter naturam abrupta ſit, & officio ſuo ampliùs fungi non poſſit. Id igitur ſi quiſpiam rerum medicarum ignarus fieri obſervarit, nec Medicum, nec clyſteris uſum improbet, cum hæc præſcire Medicus nullus poſſit, ſed particularem ægrotantis conſtitutionem accuſet, ſciatque nihil tunc fieri, quod ſæpius ante factum non fuerit, neque ejuſmodi eventu admodum terreatur.

Caput XXII.

De Vomitoriis, non eſſe ſtatim ab Anglis poſſeta dicta poſt illorum aſſumptionem bibenda.

Quam utilis ſit humano corpori vomitus, hoc capite non explicabo; Id tantùm monebo circa illius uſum, quædam eſſe

Vomi-

Vomitoria quæ ventriculum ſolum expurgant, alia verò quæ trahunt ab univerſo corpore, quæ in variis morbis prioribus utiliora eſſe ſolent. Quando igitur quiſpiam vomitorium ſumpſit, non ſtatim, ut multi ſfaciunt, ad uſum poſſetorum confugiendum, ſtomachum enim replendo, citiùs quam par eſt, Vomitorii actionem promovent, quod è ſtomacho priùs vacuatur, quàm vires ſuas in univerſum corpus diffundat, ſicque humores noxios minùs attrahit, ſtomachum tamen ipſum non minùs perturbat. Quieſcendum igitur potius eſt aliquantulum, donec in actum reducatur, aut bis terve nullo aſſumpto potu operetur. Sic erimus certi ſolùm ea quæ in ſtomacho & corpore noxia ſunt, vacuatum iri. Ubi notandum potus ejuſmodi non præſcribi à Medicis, ut vomitorii vires promoveant, potiùs enim illas in principio retundunt, & diluunt, ſed tantum ad tædia vomitionis tollenda, ut ſcilicet faciliùs ægri ſtomachus repletus ſubvertatur, cũ ſæpe repletio ſola vomitum concitet, aliàs utilius foret, ut nihil omnino aſſumendo, medicamentum nullius cibi potuſve permiſtione alteratum, nil, niſi quod noxium eſt; in ſtomachum attraheret. Sed diceret forſan quiſpiam, Paulum, & Aëtium Medicos celeberrimos, vomitum præſcribere poſt cibum, ubi febris in vetuſtatem incidit, *Avicennæ*

pars

pariter 4. *Canon. tract.* 2. *cap.* 40. *de cura tertiana non pura.* Et ſcias, inquit, quod non eſt res magis juvans eos, quàm vomitus poſt cibum, Galenus pariter vomitum præſcribit à cibo: Sed *Alexander Trallianus Galenum* reprehendit; quia vomitus meliùs provocetur ante cibum, quod etiam verum eſt ob prædictas rationes Vomitus enim à cibo, ventriculum tantùm, humoreſque in eo contentos evacuat, non autem eos qui ſunt in venis, niſi maximo naturæ conatu. Dicendum igitur à cibo faciliùs quidem ægrum vomere, ſed minori cum fructu; Si verò æger ad vomitum ſit propenſus, melius eſt jejuno & ante cibum potumve vomitum ciëre, ſic enim meliùs attrahuntur humores ex venis. Id docent Gentilis & Arculanus excellentiſſimi interpretes Avicennæ, capite de cura febris quartanæ. *Si corpus de facili vomat, ſine præmiſſione cibi concedi poteſt, ad trahendam melancholiam à ſplene ad ſtomachum: Si autem veniat difficulter, melius eſt cibum præmittere, ut vomitus facilitetur.* Quæ etiam applicari poſſunt potu ſtatim poſt aſſumpto. Si igitur vomitus inſtituatur ad ventriculum ſolùm ab humoribus craſſis evacuandum, utile erit, aut cibum, aut potum præmittere, aut ſtatim poſt aſſumere. Si verò ab univerſo corpore vacuandum ſit, utile erit jejuno ventriculo.

Digitized by Google

triculo aſſumere, nihilque poſtea aut edere, aut bibere, donec vomitorii virtus in actum reducta corpus penetrârit, quia potu ſtatim exhibito obtunditur attractiva virtus remedii. Poſſeta igitur hæc ſic vocatá, non ante debent exhiberi, quàm ſemel biſve remedium vomitum concitarit? Poſtea verò ut æger deinceps facilius vomat, humoreſque quidam craſſiores diluantur, præberi poſſunt. Idem obſervavit *recentior quidam ſcriptor Chymicus Hartmannus notis ſuis ad Crollium*, qui vetat ne cerevifia exhibeatur, mox ab aſſumpto vomitorio, ſed demum ubi æger bis terve vomuerit, aliâs enim vim vomitorii obtundit, ſed cum materia probè eſt commota, concedit copioſiorem hauſtum, & ſub finem, ad ſtomachum eluendum, & reliquiis vacuandas.

CAPUT XXIII.

Venam in Senibus ſine periculo ſecari poſſe.

QUoniam ſæpiſſimè vulgus Medicis cupit refragari, videre licet quamplurimos, ſi quiſpiam febre laboret, in qua venam ſecare commodum eſt & forſan neceſſarium, ætatem accuſare declinantem, quæ huic remedio ferendo non ſit ſatis, idque ſæpè etiam audivi ab iis qui nondum erant quinquagenarii,

narii, atque alias valde robuſti & alacres. Sanè in omnium remediorum adminiſtratione vires eſſe attendendas veriſſimum eſt, unde *ſi deficiant, etiam puero & juveni à magnis remediis erit abſtinendum, qualia ſunt venæ ſectio, & purgatio. At quoniam virium conſtantia omnibus non eſt eadem, ſed quidam ſeptuagenarii alacriores ſunt, & robuſtiores quibuſdam quinquagenariis, non annorum numerum, ſed virium robur Medicus conſiderat. Si igitur validus ſenex pleuritide, peripneumonia, febre ardenti, aut ejuſmodi morbis affligatur, dubium non eſt illi poſſe & debere mitti ſanguinem, cum vix abſque illis remediis ejuſmodi morbi unquam curari poſſint: quod ſi ad remedia perferenda vires ægrotanti non ſuppetunt, neceſſariò illi fuerit pereundum, ſicquæ morbi omnes in ſenibus lethales forent. *Galenus ipſe libro de Phlebotomia*, etiam ſeptuagenariis mittit ſanguinem, vidique hominem cui annum agenti ſeptuageſimum tertium, quater intra triduum vena ſecta fuit, & vacuatæ fuerunt ſanguinis unciæ ad minimum triginta. *Rhazes* quoque in ætate decrepita, quæ gravi pleuritide torquebatur, ſanguinem emiſit. Ætas igitur non ex annorum numero metienda, ſed ex virium robore, quæ ſi valentes fuerint in valde ſenibus, cur remedia morbis quibus affliguntur neceſſaria ipſis denegabuntur?

buntur? Certum quidem eſt, ſenem quemlibet ſeipſo juvene eſſe imbecilliorem & propterea parciùs illi mittendum ſanguinem, quàm ſi juvenis adhuc foret; fieri tamen poteſt, ut ad alium juvenem comparatus, ipſo ſit robuſtior, & ad remedia perferenda alacrior. Nulla igitur ætas eſt præter decrepitam, quæ aliquam vacuationem ferre non poſſit. Decrepita autem quoniam paucum ſanguinem habet, crudoſque humores quam plurimos, huic remedio eſt impar. Reliquæ verò ætates, inter primam & ultimam mediæ, ſuos habent virium gradus, & propterea aliquem vacuationis modum ferunt. Id rectè docuit *Cornelius Celſus lib. 2. cap. 10. Intereſt*, inquit, *non quæ ætas ſit, neque quid intus in corpore geratur, ſed quæ vires ſint.* Hoc cum apud Medicos minime ſit dubium, non debet repugnare æger, ſi quando cuidam ætate provecto phlebotomiam Medicus imperat. Idem dicendum eſt de pueris ante annum decimum quartum; ſuis enim viribus, iiſque validis prædita eſt puerorum ætas, ad quorum proportionem cur vacuare non licebet, præſertim ſi εὔσαρκος ſit puer, amplis venis liberè, & liberaliter educatus. Cathartica illi ferunt, quidni phlebotomiam? Solent illi vulnerari interdum, & hæmorrhagias pati largiores, abſque incommodo, cur non etiam artificioſam ſanguinis

guinis miſſionem? Nulla igitur eſt ætas quæ aliquem vacuationis modum non ferat. Itaque cum propriè morbus & vires ſint ſcopi neceſſarii ad hoc remedium, hi tantùm ſunt conſiderandi, non autem ætas, niſi quatenus prædictis conjungitur. Si preferre morbum puer poteſt, quidni & remedium; Purgationem concedit Galenus, quæ deterior eſt venæ ſectione, ob purgantis medicamenti naturam noſtræ inimicam.

Caput XXIV.

Venarum in brachio delectum eſſe inutilem.

Cum venæ in brachio aut ad præſervationem, aut ad curationem aperiuntur, ſæpè quærunt ægri, quænam vena aperienda ſit; Audierunt ſcilicet aliquid de diſtributione venarum in brachio, quarum unam capiti, aliam jecori deſtinant, tertiam faciunt ancipitem, utrique corporis cavitati proficuam, quam opinionem non *Galenus*, & *Hippocrates*, ſed recentiores Medici, ante claram Anatomes cognitionem, invexerunt, quam hodiè populus etiam ſequitur, nec tantùm populus, ſed etiam plurimi, qui Medicinam profitentur, in eodem adhuc errore verſantur, ex merâ Anatomes ignoratione. Certum autem eſt venas omnes brachii, cum

ab

Digitized by Google

ab eodem ramo prodeant, ab iiſdem partibus vacuare, & quæ cephalica dicta capiti dicatur, non minus de jecore vacuat, quàm quæ baſilica dicitur, & jecoraria, quamvis hæc eadem cephalica quia ramulum aliquando à capite recipit, capitis affectibus magis prodeſſe credatur; utraque tamen æquè internorum viſcerum morbis opitulatur, & æquè de vena cava detrahit ſanguinem. Et revera nomina hæc baſilicæ, & cephalicæ quamvis ſint Græca, veteribus tamen *Galeno*, *Hippocrati*, aliiſque erant ignota, à recentioribus inventa, qui malè hanc de delectu venarum opinionem invexerunt. Quod ut plenius innoteſcat, breviter venarum in brachio originem deſcribemus. Vena cava è jecore ad ſuperiores partes aſcendens ubi ad claves pervenit, in duos inſignes ramos dividitur, qui à ſitu partis vocantur ſubclavii, quoniam ſub jugulo, & claviculis ſiti ſunt. Horum ramorum pars una intra thoracem plures emittit venas, pars altera è thorace exiliens fertur ad axillas, & dicitur axillaris, & in initio brachii dividitur in duos ramos inſignes, cephalicam, & baſilicam, illa in brutis quidem oritur à jugulari, ſed in hominibus ſemper ab axillari, quamvis à jugulari externa ramulum quendam valdè exiguum recipiat. Ab his duobus ramis omnes brachii venæ oriuntur, quæ ad extremam

uſque

uſque manum feruntur, quas deſcribere non eſt opus, cum ſufficiat noſtro inſtituto illarum ortum indicâſſe. Cum igitur omnes venæ quæ ſunt in brachio, ab uno eodemque trunco venæ cavæ in jugulo pr cedant, fruſtra hæc potiùs quàm illa eligitur, ſanguinem enim omnes ab eodem fonte hauriunt. Et ne gratis hæc dixiſſe videamur, placuit hæc opinio præſtantiſſimis Anatomicis. *Veſalius* Anatomicorum qui unquam hactenus fuerunt princeps, Anatomes ſuæ *Lib.* 3. *cap.* 8. quamvis cephalicam ab externa jugulari videatur deducere, noſtros, ſi Diis placet, Æſculapios ridiculè ait contendere, num humeraria, aut communis, aut auxiliaris in manu dividenda ſit, quaſi peculiaris quædam vena à ſingulis partibus affectis in brachium duceretur, cum tamen ab uno trunco, ex venæ cavæ in jugulo partitione educto, omnes brachii venæ pullulent, ut fuſius loco citato explicat. *Veſalio* aſſentiuntur *Bauhinus* in Theatro Anatomico, ubi aſſerit, inutilem eſſe curioſum delectum, cum utriuſque venæ idem ſit exortus, unde magis conſpicuam eligendam ſuadet. Idem ſentit etiam Riolanus in Anthropographia. *Grabiel Fallopius* in inſtitutionibus Anatomicis, *Bartholinus*, aliique Anatomes cognitione præſtantes Medici.

C A-

CAPUT XXV.

Minùs commodè ſanguinis quantitatem unciis, libris, & ponderibus potiùs quam menſuris æſtimari.

Familiare eſt non ſolùm populo, ſed etiam Medicis, cum ſanguinem mitti volunt, ejus quantitatem unciis & libris definire, quod etiam frequens erat Galeno, qui ad plures libras ſanguinem interdum emittebat. Sanè ſi bona eſt hæc conſuetudo, pondera ſemper præſto eſſe deberent, ut ſanguinis emiſſi pondus cognoſceretur, quod tamen non ſolet fieri, ſed tantum conjectura quadam tum medici, tum adſtantes id conjiciunt. Sanguinis miſſio *Hipp. 2. aphoriſmo libri primi*, ſub vaſorum inanitione continetur, debeturque ſanguini peccanti; peccat autem ſanguis non pondere, ſed quantitate, aut qualitate. Et quamvis gravitatem habeat, non tamen ratione illius educitur, ſed tantum ratione quantitatis, aut alterius vitii: Quantitas autem liquidorum commodius menſuris, quàm ponderibus cognoſcitur. Unus enim ſanguis alio gravior eſt. Supponamus igitur Titio plethoram ad vaſa patienti ſanguinem eſſe graviorem, Sempronio autem tantùm laboranti plethora ad vires, ſanguinem eſſe leviorem: ſi utrique, verbi

verbi gratia, ſanguinis uncias ſex detrahas, prioris ſanguis paucioribus vaſis continebitur, quia gravior; poſterioris verò plura vaſa occupabit, quia levior. Quamvis igitur utriq; idem ſanguinis pondus eductum fuit, poſteriori tamē plus ſanguinis emiſſum fuit, quàm priori. Sanguis in venis & arteriis continetur tanquam in vaſe, ad vaſa autem refertur repletio vel inanitio. Amphora quæ ad dimidium tantùm, aut ferro, aut graviſſimis lapidibus repleta foret, minùs tamen plena eſt, quàm ſi leviſſimo vini ſpiritu ad orificium uſque repleretur, quamvis prioris pondus ſit gravius; Sic deplendo vaſa plus adimit, qui ab uno vaſe amphoram educit ſpiritus vini, quàm qui ab alio detrahit lapidum amphoram ſemis, quamvis forſitan major adſit gravitas. Cum igitur eadem ſit ratio in ſanguine, quia unus alio gravior eſt, ſi tantùm pondus in vacuando conſideremus, nunquam probè quantitatem illius definiemus, cum in venis contineatur, non qua gravis, ſed qua replens eſt, niſi quiſpiam ſupponat in omnibus hominibus eandem ſemper eſſe ſanguinis gravitatem, quod opinor nemo audebit aſſerere. Sanguinis quantitas ſecundum *Galenum*, à magnitudine vitii, & virium robore indicatur, & prout hæc duo ſeſe habent, ſic vel copioſiùs, vel parcius ſanguis erit mittendus. Hinc in magno

gno ſanguinis vitio, & viribus conſtantibus, uberior vacuatio inſtituenda, in minori vitio, aut viribus imbecillioribus, parcior. At ſi ex pondere æſtimes illius quantitatem, fieri poterit ut viribus debilioribus, copioſiùs quàm in validis ſanguis mittatur, quod grave eſt peccatum adverſus regulas artis Medicæ. Nam ſi cum viribus debilioribus ſanguis ſit levior, cum validis verò gravior, ſi huic ad ℔. ß. ſanguinem detrahas, illi verò ad *unc.* tantùm quatuor; Vaſa quibus quatuor hæ unciæ excipiuntur, non minùs plena erunt ob levitatem, quàm quæ excipiunt alterius gravioris libram ſemis. ſic utrique eadem ſanguinis quantitas vacuata fuit, quod tamen non fuerat faciendum. Nec video rationem, quare ſanguinis miſſio, potius quam alvi dejectio ejuſmodi pondere definiatur, cum ſæpe humores etiam ex vaſis expurgentur, unde ſub vaſorum inanitione purgatio etiam continetur *aphoriſmo. 2. lib. primi.* Cum igitur vaſa non repleantur ullis rebus qua graves ſunt, nam capacitas vaſorum non mutatur, quamvis rerum contentarum pondus varium ſit; certumque eſt, majorem olei quam mellis copiam reſpondere uni unciæ, melius erit in poſterum, ſi vaſis, non unciis aut libris ſanguinis quantitas æſtimetur, cum fallax eſſe poſſit ejuſmodi ratio. Scio quidem apud

S vete-

vetères fuiſſe libras menſurales, non minùs quàm ponderales: erant autem vaſa lineis circumſcripta, quibus deſignabant libras & uncias, & quæcunque hoc modo metiebantur, vocabantur menſuralia, ut exempli gratia, olei vel vini libra menſuralis, quas forſan intellexit Galenus, cum ſanguinem ſecundum uncias, & libras vacuabat. Verùm quia varium fuit pondus rerum menſuratarum, rarò libra ponderalis menſurali reſpondebat: nam olei, vini, & mellis quamvis eadem poſſit eſſe menſura, tamen non eſt idem pondus, ideo valde incerta fuit ejuſmodi menſurandi ratio, & nos hodie ejuſmodi vaſis caremus, quæ uncias, & libras deſignant, nec ſi eorum eſſet copia, ob varium ſanguinis ipſius pondus commodè abſque errore aliquo iis uteremur. Quamvis igitur receptum morem non improbem, tamen tutius eſſe puto vaſculorum capacitate, quam librarum pondere ſanguinem metiri.

Caput XXVI.

Poſt venæ Sectionem malè ſomnum & potum omnino prohiberi.

Inter plurimas populi obſervationes hæc non eſt minima, ut caveant ne poſt venam ſectam, ſtatim æger dormiat, aut potum, vel cibum ſumat, quæ etiam Medicorum

rum quorundam fuit ſententia, quia ſcilicet credunt ſanguinem redire ad cor, quod tamen non eſt perpetuò verum, niſi forſan immodica fuerit ſanguinis vacuatio, aut timiditas, quæ ſyncopen inducere poſſit. Deinde reditum illum ſanguinis eſſe perniciosum nulla ratio perſuadet. Et primò ſomnum quod ſpectat, ſolet in ſomno ſanguis redire in præcordia, non ſine maxima naturæ recreatione; In ægris autem qui inſomnes noctes duxerunt, quanto cum beneficio ſomnus accedat, omnes norunt, vires enim reparat, humores morbificos concoquit, & domat, unde ſæpe remediis uti cogimur ad illum provocandum. Igitur ſi ſtatim, aut paulò poſt venæ ſectionem contingat bonus eſſe poterit, & ut ſignum, & ut cauſa. Ut ſignum quidem, quia indicat naturam humoribus morbificis oppreſſam, jam recreatam fuiſſe, & ſic naturales ſuas functiones perficere. Ut cauſa verò, quia ſomno ſuccedente, quod reliquum eſt humoris morbifici, natura concoquit. Scio in quibuſdam morbis ſomnum nocere, ut in viſcerum internorum inflammationibus, in acceſſionum principiis, in peſtilentibus morbis. Propterea in ejuſmodi affectibus à Phlebotomia non eſt ſtatim dormiendum, ſed in aliis morbis, cur non liceat, non video. Scribit *Galenus* ſomnos accedentes qui priùs deerant

criſeos firmitatem indicare, nam contingit interdum, ex 2. *Prorhetic.* ægrum poſt criſin integrum diem dormire, præcipuè ubi per plures antea dies inſomnis fuerit, idque maximo naturæ ſolatio. Imò & in ipſa criſi contingit interdum ægrum dormire. Si igitur poſt alias vacuationes ſomnus ſuccedens juvat, quidni, etiam poſt venæ ſectionem? Sed præterea contingit interdum in febribus quibuſdam ſomnum adeſſe præternaturalem, qui vix excitari poteſt, & tamen ſæpe in ejuſmodi febribus ſanguinem mittere utiliſſimum eſt, ſicut me feciſſe nuper memini in muliere quadam acutè febricitante, cum gravi ſopore, quæ aliàs vix convaluiſſet, & ab omnibus moribunda credebatur. Si igitur actu dormienti ſalutariter ſanguis mitti poteſt, quid nocebit ſomnus ſtatim poſt ſanguinis miſſionem ſuccedens. *Galenus 9. methodi cap.* 4. videtur in bonis habere, quod poſt Phlebotomiam æger in ſomnum profundum delapſus ſit, *Poſt duas*, inquit, *à ſanguinis miſſione horas, pauco nutrimento dato, ac juſſo quieſcere, diſceſſi. Quinta verò hora reverſus, cum profundo ſomno detentum inveni, ut tangentem me prorſus non ſentiret; Reverſus autem decima rurſus hora, etiam tum dormientem inveni; Egreſſus autem iterum ad alios ægros viſendos, redeo hora noctis prima, non tamen ut*

ante

ante tacens, ſed voce de induſtria elata, ut ægrum à ſomno excitarem. Sed dicet forſan quiſpiam, Galenum poſt duas tantùm à ſectione horas ſomnum imperaſſe; Reſpondeo optimum fuiſſe, ſi æger ſtatim à miſſione ſanguinis potuiſſet quieſcere, & nullibi locorum *Galenus* id improbat, ſcimus enim ſomnum non ad arbitrium noſtrum ſæpe ſuccedere. Sed cum dormire æger ille non poſſet, reverſus poſt horas duas, juſſit quieſcere, ut ſomno ſe traderet, quod non feciſſet, ſi ſomnum à venæ ſectione noxium judicaſſet; Si dicat quiſpiam prohiberi ſomnum ne faſcia ſolvatur, id nihil eſt, nam diligenti adſtantium cura, & probè facta deligatione id præcaveri poteſt. Potum verò quod attinet, ſtatim à venæ ſectione illum non eſſe noxium, ſed ſalutarem probat Amatus Luſitanus, qui jubet ſtatim aliquid aquæ frigidæ hauriri; Ob venas enim inanitas ſtatim in corpus diſtribuitur, & faciliùs, citiùs, ac tutiùs corpus refrigerat.

Caput XXVII.

Gravidis venæ ſectionem & purgationem non eſſe noxiam.

Est etiam hic error non minimus, quod muliere gravida laborante, non patiuntur ipſi miniſtrari medicamenta, aut venam ſecari, metu abortus, cum tamen id repugnet rationi, veterum authoritati, & experientiæ. Rationi quidem, quia mulier acuto morbo, ut febre, aut pleuritide laborans, periclitatur maximè, *ſiquidem mulierem acuto morbo corripi lethale; aphoriſmo* 30. *lib.* 5. Ideo in remediorum uſu feſtinandum eſt, Deinde cum fœtus materno ſanguine alatur, ſi ipſa tunc ægrotet, periculum erit ne fœtus ex eadem ægritudine, & ſanguinis corruptione pereat, quod ſi contingat, ut ſæpius ſolet, tunc matri ex morbo, & fœtu mortuo impendet periculum, ne ſcilicet morbo debilior facta, accedente putredine fœtus intereat, cumque excludere non poſſit; ſaltem nunquam ſine periculo contingit abortus. Ea autem mala non niſi cauſæ ſubtractione præcaveri poſſe certum eſt, cum nullus morbus aliter ſanari queat, cauſa autem non niſi venæ ſectione, aut purgatione ſubtrahi poteſt. Qui autem ejuſmodi remedia adeo periculoſa in gravidis eſſe cenſent, nec ea lubenter admit-

admittunt, id præterea conſiderent, ſi prægnantem mulierem febre putrida laborantem, abſque venæ ſectione, aut purgatione curare poteſt Medicus, multò faciliùs eandem eodem morbo decumbentem, & non prægnantem curare abſque prædictis remediis poſſet, ſicque illorum uſus omnino foret abolendus, Quod ſi non prægnantem abſque illorum uſu curare nequit, ergo neque prægnantem ſi eodem morbo laboret. Idem enim morbus idem remedium indicat, nec fœtus præſentia indicationem morbi tollit, ſed quantitatem remediorum, & utendi modum quodammodo permutat. Imò multò magis hæc remedia prægnantibus adhibenda, quò magis opis indigent. Perſuaſum autem illi habent venæ ſectione adimi fœtui nutrimentum, purgatione, & aliis remediis abortum provocari; At non advertunt majus impendere fœtui ex corrupto ſanguine periculum, ne ſcilicet intereat, & poſtea matrem perimat morbo jam afflictam, & majus periculum eſt abortus à morbo quam à remedio. Et primò ſanguis nunquam tanta copia mittendus eſt, ut fœtui alimentum ſubtrahatur, ſed potiùs obſervamus, adempto pravo ſanguine fœtum alacriorem ſentiri, remanet enim ſanguinis ſatis, ut matri & fœtui ſufficiat. Purgatio quoque, præſertim levior, & repetita ſi opus videbitur, non poteſt nocere,

ſed potiùs prodeſſe : vis enim medicamenti ad fœtum vix pervenit, aut ſaltem in longa viarum ambage vis illius noxia amittitur. Quod ſi ad fœtum uſque perveniret, non poſſet tamen illum interimere, ſi moderata quantitate exhibeatur. Solus ſanguis ad fœtum accedit, qui ab humoribus noxiis vi medicamenti depuratur. In gravidis quoque uterus magis reſiſtit ad fœtus cuſtodiam, plus enim in iis agit retentrix, quàm expultrix. Authoritati quoque repugnat hic error, nam *Hippocrates* 4. *aphor.* 1. gravidas purgare jubet à quarto menſe ad ſeptimum. *Vterogerentes*, inquit, *ſunt medicanda, ſi materia turget, à quarto menſe, uſque ad ſeptimum, ſed hæ minùs; à juniore autem, & ſeniore fœtu abſtinere oportet.* Quæ ſi Hippocrates de medicamentis ſuis quæ vehementia erant, protulit, multò magis vera ſunt de noſtris quæ ſunt multò benigniora; Erant enim veterum purgationes multò periculoſiores noſtris. Experientia demum id ſuadet ſæpe, non poſſe tam facilè excuti fœtum uſu remediorum, ſicut oſtendit hiſtoria Sororis Harpalidæ 7. Epidemion, quæ quatuor menſium gravida, laborans hydrope, & aſthmate, cum embryone tam debili, ut diu immobilis manſerit, ſumpſit cuminum Æthiopicum, cum melle & vino, quod cum ſit valdè amarum, diureticum, menſeſque

ideo

ideo movendi vim habeat, bono tamen conſilio adhibitum profuit, nec fœtum enecavit, nec menſes provocavit; indicio non ſemper perimi fœtum uſu medicamentorum, niſi valdè vehementia ſint, & uſus illorum diuturnior. Notabilis eſt hiſtoria cujus alibi meminimus ex Avenzoare, qui uxori ſuæ validiſſima dedit remedia, cum ignoraret eam eſſe gravidam, & tamen fœtus incolumis permanſit. *Volo, inquit, dicere hoc loco, quid mihi ſucceſſerit, cum eſſem in carceribus de Haly, uxor mea erat prægnans, & hoc ignorabam, & ipſa infirmata fuit tali paſſione, quod neceſſe mihi fuit dare ei Medicinam laxativam, quæ fuit talis, quod nullus poſſit æſtimare, quod aliqua prægnans etiam ex aſſumptione modicæ quantitatis, fœtus in ea poſſit remanere, & ipſa recepit eam abſque læſione ſui, & fœtus, & poſtea declarata fuit impregnatio ejus, & me pœnituit valdè de errore quem feceram; quare miſericordiam quæſivi ab altiſſimo creatore, de eodem, & peperit filium, quem hodie mecum habeo.* Hæc Avenzoar inter Arabes primariæ notæ Medicus, cujus Mahumetani pœnitentia exemplum eſſe debet Medicis Chriſtianis. Scribit *Hercules Saxonia* cum adhuc in utero matris eſſet, eamque mola laborare Medici putarent, fortiſſima exhibuerunt medicamenta ad molam ejiciendam

dam, ſed irrito conatu, nam infans incolumis manſit, & factus poſtea fuit egregius Medicinæ interpres Idem ſæpiùs contingit, quia ſcilicet vis remediorum non niſi valdè labefactata ad fœtum pervenit, uterus ipſe retinet quantum poteſt, nec niſi magna vi fœtum immaturum elabi ſinit. Alia ratio eſt de partu, nam cum fœtum jam maturum excutere nititur uterus, tunc ejuſmodi remedia conatum adjuvant, non autem quando retinere uterus geſtit. Sæpe mulieribus ex morbo acuto graviter laborantibus, & venæ ſectionem, & purgationem fœliciſſimo cum ſucceſſu etiam octavo menſe præſcriptam vidi.

Caput. XXVIII.

Puerperis etiam remedia convenire.

QUod de gravidis jam diximus, etiam puerperis convenire poteſt, ſi morbis acutis, ut febre, pleuritide, aliiſque ejuſmodi conflictentur: ſolent enim variis morbis affligi, eo ipſo quod ſunt puerperæ; ſed diverſa eſt illarum, & gravidarum ratio: nam gravidis menſes ſupprimuntur, nec ſine fœtus incommodo fluere ſolent. Puerperis verò fluunt lochia, nec unquam niſi cum pernicie ſupprimuntur, & inde in graves incidunt morbos, quibus remedia ſunt adhibenda,

da, eoque citiùs quò in illis omnia ſunt maxime periculoſa; Nam præterquam quod ſecundina interdum ſubſiſtit, lochia copioſius fluunt aut ſupprimuntur, aut pauciora ſunt, unde varii morbi graves & periculoſi pullulant, ut febres continuæ, ardentes, deliria, vomitus, nauſeæ, epilepſiæ, viſcerum inflammationes, pleuritides, aliique morbi. Sed etiam fieri poteſt, ut ex ſolo morboſo apparatu, cacochymia intus latente, & in partu commota, aut etiam ex victus erroribus, etiamſi nec lochia ſupprimantur, nec immoderatiùs fluant, ejuſmodi morbi contingant. Hi caſus difficiles ſunt, & periculoſi, qui naturæ ſolo robore vix poſſunt emendari. Si enim ſuppreſſis lochiis fiant, graviſſima pariunt ſymptomata, & febres, cum vigiliis, & delirio, ſi verò ex morboſo apparatu oriantur, eò redduntur in puerperis periculoſiores, quod indicent magnam intus latentem cacochymiam, quam lochiorum expurgatio tollere non potuit, nec emendare. Sanè quando hæc contingunt, omnium Medicorum conſenſu, neceſſe eſt aliquid moliri, venæ ſectione, purgatione, alterantibus remediis aliiſque quæ Medicus utilia fore judicabit. Quænam autem vena ſecanda ſit, quando, quomodo, quibus medicamentis ſit purgandum, non eſt hujus loci explicare, quia medicinam hic non doceo, ſed tantùm po-

S. 6 puli

puli errores inſinuo. Id tantùm addam, temerarium eſſe ſuperiores venas incidere, ne Lochia ſupprimantur, & revocentur in corpus.

Caput XXIX.

Mercurium ore ſumptum non eſſe nocivum.

Condonandus hic error eſt quampluri mis, quoniam veterum Medicorum ſuffragio comprobatur; *Dioſcorides libro quinto, cap.* 7. Hydrargyrum potum, inquit, vim pernitioſam habet, ſuo enim pondere interna exedit, & *lib.* 6. *cap.* 28. eadem ſymptomata inferre ſcribit, quæ argenti ſpuma: Cui etiam conſentit *Aëtius tetrab.* 4. *Serm.* 1. *cap.* 79. Galenus ipſe inter venena numeravit. Avicenna pariter inter venena recenſet, quamvis de ipſius qualitatibus ſibi ipſi non conſentiat, nam frigidum & humidum eſſe ſcribit, *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 47. *at Fen.* 6. *lib.* 4. *tractatu.* 1. *cap.* 3. inter venena calida & acria numerat hydrargyrum. Quidam volunt naturale eſſe frigidum, factitium verò calidum. Sed hanc litem hoc loco noſtram non facimus. Recentiores etiam quidam Medici volunt eſſe venenum. Si largiùs ſumatur, congelare ſanguinem, teſtatur *Conciliator*, exemplo cujuſdam ſeplaſiarii, qui febre ardenti laborans, cum ad

ſitim.

Digitized by Google

ſitim ſedandam, imprudens aquæ vice, vaſculum argento vivo plenum inveniſſet illiuſque magnam copiam ebibiſſet, congelatus interiit. Aperto cadavere ſanguinem circa cor concretum Medici invenerunt. *Fernelius* quoque illius uſum maximè averſatur. Verumtamen rectiùs alii experientiâ docente, non adeo noxium eſſe prædicant. *Dioſcorides* ſiquidem ſolo pondere nocere ſcribit, quod non niſi magna quantitate exhibitum facere poteſt. *Galenus 9. Simpl.* fatetur ſe nullum hujus medicamenti feciſſe periculum, num interimat ore devoratum aut foris admotum, unde ſi quando exempli gratia inter venena recenſuit, ex aliorum opinione, non ex propria ſententia loquutus videtur. Et ſanè recentiores Medici innoxiè præberi poſſe experti ſunt, ſi modum non exceſſerit. Nullum enim medicamentum excedenti quantitate abſque damno ſumitur. Et propterea ſi congelavit ſanguinem, ſicuti refert Conciliator, id tantùm largius ſumptum præſtitit, & propterea non magis noxia illius virtus cenſeri debet, quàm aliorum medicamentorum. Contrariam tamen hiſtoriam refert *Rorarius in contradict. Galeni* 10 *Virum*, inquit, *cognovi Germanum, qui dum ebrius in Aurificis domo dormiret, ſiti vexatus ſurrexit, tentanſque manibus, ac quærens potum, vas in quo argenti vivi libræ tres repoſitæ erant, in ejus*

manus forte devenit, humoremque hauriens liquidum, ac frigidum, ſemidormiens totum abſorpſit hydrargyrum, atque denuo ſe in lectum demiſit. Expergefactus mane frigidum humorem prope ſe in linteis ſentiens, argentum vivum reperit. Sic ſcribit *Avicennas cap.* 2. de venenis, *plurimos ex his qui bibunt ipſum, non lædi quoniam egreditur cum diſpoſitione ſua per inferiorem regionem.* Venenum itaque nullo pacto eſſe poteſt, niſi fortaſſe gravitate ſua, non aliqua lethali qualitate. Rorarius loco citato refert ſe cognoviſſe plurimas mulieres, quæ ad difficilem partum, aut ad ſecundinam rejiciendam abſque ullo corporis incommodo ipſo uſæ fuerunt. Aliqui etiam ſemimortuis vi vermium infantibus, hydrargyrum ſe exhibuiſſe teſtantur, atque protinus ſanitati reſtitutos eſſe. Idem ſcribit *Braſſavolus* Medicus inſignis in examine ſimplicium, ſe pueris dediſſe ad ſcrupulum unum: ſi pueris, multò tutiùs etiam adultis. *Braſſavolo* aſſentiuntur plurimi: Refert idem *Rorarius Contrad. decima Avicenna*, naturale argentum vivum non modo nullam veneni vim habere, ſed ſola gravitate interficere, ut etiam pueris vi vermium ſemimortuis, atque mulieribus quibus vel partus difficilis erat, vel ſecundina non ejiciebatur tutò à Medicis quibuſdam, ac mulieribus exhibitum fuiſſe, non tantùm audi-

audiverit, ſed etiam viderit. *Amatus Luſitanus* in Dioſcoridem, praxis ignorantes vocat omnes qui illud vituperant, quia ſuo tantùm pondere lethale eſt, ut vult Dioſcorides, & potiùs, tanquam præſtantiſſimum antidotum, pueris faſcinatis, & à vermibus infectis cum optimo ſucceſſu, ſine ullo malo ſymptomate, à Medicis Hiſpaniarum præſcribi, & refert hiſtoriam cujuſdam pueri decem annorum, qui plus libra una hydrargyri loco vini deglutivit, qui nullum ſymptoma præter pondus inde percepit, clyſteribus adjutus totum cacavit, & liber abſque ulla noxa permanſit. *Matthiolus* quoque Medicus inſignis idem variis in locis ſentire videtur. *cap.* 28. *lib.* 6. *Niſi copioſius bibatur, non interficit, quod ob ſui tùm pondus, tum fluxilem ſubſtantiam, facilè per inferna ſecedat, nulla in ventriculo, & inteſtinis protracta mora. Ex quo nil mirum, quod ſcripſerit Avicenna, non deeſſe qui bibant argentum vivum, & nullam inde ſentiant noxam, quod facilè labatur è corpore, dummodo qui hauſerint, continuè huc atque illuc deambulent. Goritienſes mulieres ægrè parturientibus ultimo remedio argentum vivum potandum præbent ſcrupuli pondere; Nec deſunt qui ad interimendas alvi tineas, pueris etiam propinent, ad duorum granorum mulis quantitatem, citra ullam moleſtiam.* Et *cap.* 70.

lib. 5.

Lib. 5. ob ſimilia exempla, ſcribit facilè ſe perſuaderi argentum vivum potantes haud necare, niſi pondus, vel menſuram exceſſerit. Sed clariſſimè *Lib.* 4. *Epiſt. ad Stephanum Laureum*, in qua pueris concedit argentum vivum, cum nulla alia lethifera facultate, quàm quòd ſua gravitate inteſtina lædat, quæ apud illum copioſiùs deſcripta inveniri poſſunt. Hæ variorum, & præſtantium Medicorum authoritates ſufficere poſſent, ſed præterea etiam noſtrorum ſeculorum Medici quamplurimi idem ſunt experti; Ipſe ego, qui hæc ſcribo ſæpe dedi; nec unquam niſi cum bono & fœlici ſucceſſu, maximè in pituitoſis, in quibus multò meliùs quàm in aliis effectus ſuos prodit. Quæcunque igitur màla ſymptomata *Fernelius*, *Palmarius* aliique proficiſci dicunt ut ſtupores, convulſiones, tremores, lethargos, tormina ventris, & alia, ejuſmodi, aut vera tantùm ſunt de malè præparato, aut de nimia ipſius quantitate, nihil enim eſt ex omni parte beatum, non foret medicamentum, ſi in qualibet doſi nunquam noceret. Experientia ſola vires medicamentorum oſtendit, quæ pariter indicavit non eſſe in hydrargyro eam quam veteres noxam attribuerunt.

CAPUT XXX.

Mercurium etiam abſque ulla præparatione eſſe innoxium,

PRædictis authoritatibus victus quiſpiam, exactam tamen & diligentem præparationem adhibendam eſſe cenſeoit, & ſanè verbum illud præparationis inſigne aliquid præ ſe ferre videtur. Sed tamen certum eſt, quæ ſuperius diximus de non præparato, ſeu de mercurio crudo eſſe intelligenda, qualem *Braſſavolus*, *Matthiolus*, *Amatus Luſitanus*, aliique pueris, & ægrè parturientibus mulieribus exhibebant. *Datur vivum,* inquit Matthiolus Epiſt. ad Laureum, *non extinctum, ut quidam putant, Quod enim extinctum eſt, ventriculo hæret, & inteſtinis, & ſæva excitat ſymptomata.* Ubi notandum præparari quidem hydrargyrum vario modo, tùm ad purgandum, tam ad ſudores provocandos. Verum in omnibus illis præparationibus natura mercurii non tollitur, ſed occultatur, & quamvis varia illi admiſceantur, tamen integer manet, brevi facilique artificio ad naturam ſuam redit. Præcipuè autem fixatur per admiſtionem ſpirituum ſalinorum in ſublimato, & præcipitato, ſic quod antea ſatis innoxium erat, venenum fit potentiſſimum, quia cum ſum-

mæ

mæ ſit activitatis, ſpiritus illi acres, quorum unica guttula urit, eam adaugent. Scio quoſdam adeo fuiſſe audaces, qui pilulis granum unum aut alterum admiſcuerunt, in pilulis dictis Barbaroſſæ, quæ audacia eſt temeritatis plena. Sed tamen inde conſtare poteſt crudum quod vocant, minùs noxium eſſe, quàm hoc modo præparatum, quia vivum ſibi cohæret, mobile eſt, & ideo ſtatim per alvum excernitur. Ideo alii mercurium quendam dulcem dictum ingenioſè excogitârunt, quòd innoxiè præberi poſſe profitentur, quod etiam certa experientia novi eſſe verum, ſicque populus qui aliàs ſolo mercurii nomine terretur, ſub albi cujuſdam pulveris lenocinio, útili fraude decipitur. Non tamen credo eſſe crudo tutiorem: Siquidem Mercurius ejuſmodi dulcis dictus, fit ex ſublimato quod potentiſſimum venenum eſt, cui additur mercurius crudus, qui iterum ſublimatur; ſicque illius miſtione corroſiva virtus ſpirituum ſalis, & vitrioli elangueſcit, pulviſque redditur dulcis, qui antea erat valdè acris. Hic nullam præparationem video, ſed miſtionem quandam & additionem mercurii, cujus nihilominus integra manet natura, leviquc artificio ad priſtinum ingenium revertitur. Sed ſi ſublimatum adeo pernitioſum eſt venenum, ſequens additio mercurii vivi non tollit vim ejuſmodi,

di, ſed tantùm diluit. Sic vis diſperſa imbecillior eſt unitâ. Et hâc ratione patet, quia rerum naturalium ejuſdem generis eadem eſt ratio. Cum primùm fit ſublimatum, permiſtio ſpirituum ſalinorum mercurium noxium efficit, mercurius verò ipſe his ſpiritibus vim non adimit, ſed potius amicè illis ſociatur. Quando poſtea ut dulceſcat, mercurius novus additur, cum ſit ejuſdem naturæ cum priori, pariter amicè cum prædictis ſpiritibus conjungitur, nec magis quam prior mercurius illorum vim conſopire poteſt. Verum quia major quàm prius mercurii quantitas adeſt, etſi non minùs natura ſua efficaces ſint prædicti ſpiritus, minùs tamen nocere poſſunt; quia diluuntur, ſicut ebibi guttulæ aliquot ſpiritus vitrioli aqua immiſtæ poſſunt, aliàs ſepticum eſt medicamentum. Propterea mercurius ejuſmodi minùs tutus eſt, quàm qui nondum fuit ſublimatus. Quod ſi mercurius crudus, mercurio ſublimato admiſtus, illius venenum aufert, illumque reddit innoxium, multò magis ipſe erit innoxius. *Nil dat quod non habet.* Si igitur gratiam & dulcedinem veneno periculoſiſſimo tribuit, eam haud dubiè in ſe poſſidet. Nam *propter quod unumquodque eſt tale, illud eſt magis tale.* Si ſola igitur miſtio mercurii crudi, ſublimatum facit ſalutarem, & utilem humano corpori, multò

tò magis ipſe erit ſalutaris, & utilis. Idem oſtendunt hiſtoriæ præcedenti capite recenſitæ, ex quibus patet mercurium etiam non præparatum fuiſſe ſumma cum utilitate exhibitum. Fatendum quidem eſt, ſi aut nimia copia ſumatur, aut pravi humores non adfuerint in corpore, poſſe nocere, bilioſis quoque & melancholicis minùs prodeſſe quàm pituitoſis. Sed ſi propterea rejiciendus foret mercurius, pariter omnia fermè remedia ab uſu medico eſſent ableganda. Nunquam enim uni adeo proſunt, quin alteri noceant, & etiam omnibus, ſi nimia copia, & intempeſtivè ſumantur. Addemus hic ſcriptoris novitii, Chymici expertiſſimi teſtimonium, *Hartmanni* ſcilicet. Is qui varias mercurii præparationes edocuit, tamen de curatione lumbricorum agens, *Præſtantiſſimus*, inquit, *eſt mercurius vivus, vel per ſe crudus, à ſcrupulo uno ad drachmas aliquot devoratus, vel cum ſucco Limonum prius mortificatus, ſed doſis ſit minor, quia mortificatus in corpore diutiùs manet.* Ubi præferre videtur crudum mortificato, ut jam ſupra ſatis diximus.

Caput XXXI.

De ſuffitu Nicotianæ, ſive tabaci.

QUoniam ſuffitus tabaci adeo familiaris eſt omnibus, ut pauci ab eo abſtineant, quædam de eo nobis dicenda ſunt, & primo de ejus natura. Putant autem plurimi, & ita ſcriptum reliquere quidam, eſſe narcoticum hunc fumum: & propterea hyoſcyamum Peruvianum vocant, quibus favere videtur experientia, nam ſomnum conciliat, & dolores conſopit. Hæc opinio quamvis etiam viros doctos habeat authores, non prorſus tamen mihi videtur vero conſentanea. Nam quod ſomnum conciliat, id præſtat vapore vel excitato in cerebro, vel illuc delato, vel cibi coctionem adjuvando, tunc enim ſuavius dormimus, cum ſtomachus cibo non gravatur. Dolores autem tollit, quia cauſas illorum vel adimit, vel alterat, non autem narcoſi conſopit, ſicut graves & vetuſtos capitis dolores hoc fumo curatos vidi. Non habere autem vim narcoticam ex variis cognoſci poteſt. *Primò* quia fatentur tabacum eſſe calidum ſiccum, attenuare, penetrare, humores reſolvere, quod verum eſſe experientia docet. At hæc omnia narcoticorum naturæ repugnant, non quod narcotica omnia putem eſſe frigida, calida enim plurima ſunt,

ſunt, ſed quòd narcotica quæcunque demum ſint, humores incraſſant, unde ſi à craſſis humoribus dolor fiat, maximum damnum inferunt, quia craſſiores reddunt humores, ſicque curatu difficilior affectus redditur. At tabaci fumus frigidis naturis, humoribuſque magis competit, contra naturam narcoticorum. *Secundò* ſi vacuatio quæpiam aut alvi, aut ſanguinis, exuperet, nec adſtringentibus remediis ſiſti poſſit, narcoticis & ſtuporem inducentibus utimur tanquam ſummo præſidio ad humorum motus ſiſtendos. At herba hæc corpus ſurſum deorſumque purgat, inſtar hellebori, aut antimonii; Æque facile helleborum eſſe narcoticum probabit quiſpiam, quam mihi perſuadebit eam vim ineſſe Nicotianæ. Fieri quidem poteſt ut vomitum compeſcat, ſed quoniam illius cauſam adimit, ſicut vomitus vomitum ſedat. *Tertiò* ſtupefacientia extrinſecus appoſita, parti ſenſum adimunt, eamque admodum refrigerant: at nihil tale herba hæc facit, ſicut experiri quilibet poteſt.

Caput XXXII.

De recto uſu Tobaci.

QUamvis hoc fumo nunquam hactenus uſus fuerim, nec uti velim, obſervavi tamen plurimos omnis generis homines qui

eo

eo utuntur, tenues, craſſos, billoſos, pituitoſos, alioſque nihil incommodi inde percipientes, unde illorum non poſſum probare ſententiam, qui valde noxium eſſe cenſent, niſi forſitan ob immoderatum uſum, ſic omne nimium vertitur in vitium. Tota Indorum regio de ejuſmodi herba tam ſentit reverenter, ut ſaluberrimam eſſe credant, & ſanctiſſimam, multiſque illam commendavi, qui illius uſu multò facilius convaluerunt. *Ludovicus Mercatus* inter Hiſpaniarum Medicos celeberrimus, variis in locis eam ſummis extollit laudibus, & in variis morbis commendat; Sed multa pernitioſum eſſe illius uſum oſtendere videntur. *Primò* quia naturæ contraria eſt, nam ſuſque deque purgat violenter: Purgantia autem omnia naturæ ſunt quodammodo inimica. *Secundò* cum quis primùm illa utitur, vertigines, animi defectiones, ſudores frigidos patitur, quæ ſunt malignæ qualitatis indicia. Hæc quidem vera ſunt cum in corpus ingeritur, ſed quando ſolo ſuffitu aſſumitur, nec ultra fauces pervadit, cerebro prodeſt caliditate ſua, humoreſque pituitoſos vacuando; nec ſtomachum turbat, ſed potiùs roborat, & coctionem juvat. Sic Auripigmentum lethiferum venenum, ſuffitum tamen probant authores quam plurimi ad pulmones infarctu liberandos, Ipſi Turcæ opio aſſumpto

tam

tam familiariter uti dicuntur, quàm nos tabaco noſtro. Natura enim tandem ejuſmodi remediis aſſuefit, nec illorum malignitate perturbatur. Cum igitur oſtendat experientia, ſine noxa à quamplurimis aſſumi, cur illi repugnandum, ſit rationem non video: Cenſendum tamen eſt, *Primò* moderatum eſſe debere illius uſum, quod ſicut in aliis omnibus, ita etiam hic verum eſt, quamvis etiam ex immodico uſu parum mali contigiſſe obſervaverim. *Secundò* magis convenit craſſis, pituitoſis, iiſque quos defluxiones fatigant, ob calefaciendi, & exſiccandi vim qua pollet. Verum etiamſi tenues, calidi, melancholici, moderatè utantur, non multùm nocere ſolet, vix enim quiſpiam adeo emunctæ naris eſt, qui ſæpiſſimè plurimis ad cerebrum aſcendentibus vaporibus non infeſtetur. Nec vidi quenquam magnoperè illius uſu exſiccatum. Et miror eos qui ſcripſerunt eſſe narcoticum, denegare tamen illius uſum calidis & bilioſis, cum tamen illis narcotica magis quàm pituitoſis conveniant. *Tertiò* quamvis multis conſumptis & extenuatis profuiſſe ſciam, minùs tamen illis convenire credo, quibus tabes ex rheumate in pulmones delabentem contigit. Quamvis enim humorem pituitoſum è cerebro eliciat, naturam tamen inclinat ad humores in pectus etiam quovis alio tempore

pore

pore demittendos. Quoniam igitur ex regulis Medicorum ad partem affectam nunquam trahendum eſt, ſed ab eâ potius revellendum, aut derivandum, non videntur ex uſu caput per os purgantia, potiùs convenit vacuatio per nares. Sic Galenus hoc in caſu fortiſſimum emplaſtrum, & metaſyncriticum capiti raſo applicabat, ut humorum deſcenſum prohiberet, & revelleret. *Quartò* notandum, in illius uſu à quamplurimis graviter peccari, quod ſimul cum hoc fumo aſſiduè potent, multi etiam inebrientur, & ſic per reciproca pocula illius beneficia prohibent. Quamvis enim humores reſolvere, cerebrum calefacere & ſiccare videatur, cerebrum autem calidum ſiccumque pauciora generet excrementa, ex *Galeno in arte Medica cap. de ſignis calidi & ſicci cerebri.* Cerebrum tamen calidum ſiccum potentiùs attrahit, faciliuſque repletur vaporibus ab inferioribus partibus ſurſum expirantibus, unde poſtea aſſiduè repletum exſiccationis illius beneficia minùs percipit, ut docet Galenus loco citato. *Cum eis*, inquit, *caput repletur (continuò enim ac tum præſertim cum nullam ſervaverint victus rationem, tale quid eis accidit) plura quidem in ipſis excrementa, ſed non incocta generantur, implenturque atq; aggravantur eorum capita, à calidis cibis, potibus, odoribus, atque hiſce omnibus quæ*

 extrin-

extrinſecus occurſant. Et hoc rationi valde eſt conſentaneum, ad partem enim calidiorem redditam facilè aſcendunt vapores. Cum igitur uſu tabaci cerebrum incaleſcat, ſi prava victus ratio ſervetur, & vinum, cerevifia, potuſque ejuſmodi vaporoſi (ſicut nimis frequenter fieri ſolet) ingerantur, facilè iterum caput repletur, unde plus excrementorum per os & palatum expuere illos obſervatum eſt, qui hoc fumo utuntur, quam qui illo abſtinent, ob crapulam & ingluviem quam plurimis nimium familiarem. *Quintò* qui hoc fumo jampridem uſi ſunt, illique aſſueverunt, curioſè obſervare debent, ne temerè poſtea illo abſtineant, niſi ſimul valdè temperatam obſervent vivendi rationem, aliàs ſentiunt ſibi ex humorum abundantiâ caput, corpuſque gravari, quos ſcilicet quotidiana fumi hujus aſſumptio vacuare ſolebat, tum ſomnos breviores, & implacidos contingere, vaporum defectu, quos hic fumus excitabat, concoctiones pariter in ventriculo minùs felicius obiri, plurimaque inde vitia pullulare, unde ſenibus, aliiſque quibus naturâ frigidior ventriculus eſt, conſulendum, ut ejuſmodi fumo utantur, etiamſi prius non fuerint aſſueti; Eos enim à podagrâ, variiſque affectibus frigidis præſervare poteſt.

CAPUT XXXIII.

Fumum tabaci non pervadere ad cerebrum.

VTilem eſſe hunc tabaci fumum; minimeque noxium jam ſupra oſtendimus, & tota gens Indorum occidentalium idem docet, inter quos vix è millibus unus eſt, qui eo abſtineat, & tamen viviturillic diutiſſimè. Quando autem ore aſſumitur, non minorem fumi quantitatem rejici quam aſſumpta fuerit, obſervatu facillimum eſt, totum enim illud ore contineri ſolet, quod excipitur. Unde falſum id crediderim quod plurimi autumant, ad cerebrum uſque pervadere. Neque neceſſarium eſt eò uſque ferri, Maſticatoria enim, & gargariſmata, quæ ad humores è capite eliciendos præſcribuntur, etiamſi ore contineantur, vim tamen ſuam ad cerebrum uſque diffundere ſolent; Non eſt abſurdum idem fumum hunc attenuantem & exſiccantem efficere. Sed præterea facilè probari poteſt fumum hunc ore aſſumptum ad cerebrum non ferri. *Primò* quod illius ſolummodo ſaporem, non odorem percipimus. *Secundò* quod fumum recipimus inſpirando, cohibitâ reſpiratione continemus, expirando excludimus: Inſpirando quidem per nares, pertingit aër ad

cerebrum, ſed per os inſpirando ſolummodo ad pulmones, & ventriculum; Cum igitur fumi prædicti una cum aëre inſpirando per os attrahantur, ad cerebrum non pertingunt. Expirando vel ſpiritum retinendo nunquam olfacimus, inquit *Galenus*, etiamſi odor foret in ipſis naribus, nam expirando odorem cum aëre repellimus. Spiritum retinendo non admittimus, quia retento ſpiritu nullus aër ad cerebrum ſpontè pervenit, cum jam cerebrum aëre inſpirato plenum ſit. Et hæc ratio eſt, quare eorum quæ ore, & ſtomacho continentur, odores non percipiantur, aliter ſeipſum homo ferre non poſſet, quia perceptio odorum fit per inſpirationem; Per os autem non inſpiramus in cerebrum. Inde neceſſariò patet fumum tabaci ore aſſumptum eò non ferri. Deinde ſi eòuſque penetraret, cum ejuſmodi vapores ſint admodum acres, cerebrum percellerent, & vellicarent, ſternutationem aliosve affectus commoverent, quod tamen non ſolet fieri; Sicut videmus eodem fumo per nares attracto ſtatim elici ſternutationem, quod tunc revera ad cerebrum feratur. Maneat igitur ratum, ſola illius virtute caput affici, ſubſtantiam autem illius eò non pervenire. Sed objiciet quiſpiam, longo illius uſu caput gravari, vertigines commoveri, & cerebrum quaſi inebriari. Sed reſpondendum

lon-

longo & aſſiduo ſolùm uſu id fieri, quod tamen citò admodum contingeret, ſi fumus hic cerebri ventriculos repleret. Vertigines autem non ſemper à vaporibus fiunt, ſed etiam à nimium calefactis, & concitatis ſpiritibus, aut etiam ab humorum vaporibus, immoderato fumi illius calore excitatis, aliiſque variis de cauſis, quæ hic non ſunt recenſendæ. Imò etiam quidam capite adeò ſunt imbecillo, ut facilè vertigine tententur, ob levem quamlibet externam cauſam, unde etiam ex fumo Tabaci idem facilè pati poſſunt, quamvis illuc non perveniat, commota ſcilicet interiori quapiam cauſa. Quin etiam ſæpè purgatio gravior vertiginem facere poteſt, ex *Galeno* 2 *aphoriſ.* 37. *& libro quos purgare oporteat.* Quare non mirum ſi uſu immoderato cerebrum nimis purgatum, ſpirituſque accenſi, & impendio calefacti, humores pravos ex infernis alliciant, qui gravitatem capitis, vertigineſque inducant, quamvis fumi hujus ſubſtantia eò uſque non pertingat.

Caput XXXIV.

Num fumus Tabaci à Peſte præſervet.

Audivi præterea quoſdam aſſeverantes etiam à Peſte præſervare. *Monardes* quidem adverſus venena commendat, ſed

maximè adverſus vulnera vel à telis venenatis, vel à feris venenum jaculantibus illata. Quæ tamen intelliguntur ab ejuſmodi Scriptoribus, de herba virente, aut ejus ſucco applicato, non autem de fumo aſſumpto. Fieri tamen poteſt ut fumus iſte adverſus peſtem proſit, verum non ut plurimi putant ulla vi alexiteria, ſed aliis de cauſis. Quæ enim Peſtem avertunt, vel corpus excrementis liberant, & exſiccant, unde peſtilens venenum minùs facilè recipit; Fumum autem hunc cerebrum & corpus exſiccare, humores per os, interdumque etiam per vomitum vacuare; certum eſt; Sic forſitan à peſte tuetur. At hoc modo nulla peculiaris id efficiendi virtus in hoc fumo reperitur, nam vacuantia, per accidens tantùm à Peſte præſervant, ut purgatio, venæ ſectio, &c. Ideo nulla ratio cogit, ut peculiarem præſervandi vim huic fumo tribuamus. Sed præterea obſervant plurimi à validis purgantibus in peſte abſtinendum, quia facilè humores levi de cauſa conturbantur. Scio plurimos vomitoriis ex Antimonio curationem peſtis, & præſervationem promiſiſſe, qui etiam ipſi forſitan ſatis tuti non ſunt; Sicut refert *Platerus* in obſervationibus, *Adamum à Bodenſtein* præſtantiſſimæ notæ Chymicum, cum peſtis curandæ & præcavendæ certiſſimam rationem ſcriptis evulgaſſet,

gaſſet, eà tamen correptum, cum penitus fermè Baſileæ ceſſaret, periiſſe. Adeo infida ſunt & incerta omnia quæ adverſus hoc veneni genus præſcribuntur, ſed maximè vomitoria, quæ partem nobilem debilitant, maximamque vim corpori inferunt! Alia præſervandi ratio eſt per Alexipharmaca, quæ etiam curandi vim habent, eadem enim fermè imminentibus, & præſentibus morbis conveniunt. At huic fumo ejuſmodi vim ineſſe nondum experientia conſtat, nam tot hominum millia, quos magna illa peſtis tum Londini, tum in aliis regni partibus abſtulit, quorum tamen haud dubiè pars maxima hoc fumo utebatur, nullam vim illi ineſſe oſtendunt, & eorum, qui revaluerunt, nullus huic fumo ſanitatem acceptam referre poteſt. Quod ſi curandi vim non habet, nec etiam præſervandi. Sed præterea ſciendum reliquorum venenorum propria eſſe Alexipharmaca, peſtis autem nullum, ſed tantùm remediis cardiacis utuntur Medici, quibus non ipſum venenum extinguatur, ſed natura ſolum roboretur adverſus veneni vim, quod poſtea expellit per ſudores, aut alia corporis emunctoria. Ad vim cardiacam fumo tabaci non ineſſe, oſtendunt vertigines, lipothymiæ, ſudores frigidi, vomitus, aliaque ſymptomata, quæ potiùs adverſam, quàm corpori beneficam vim oſtendunt.

Quamvis igitur non nocere credam, multum tamen prodeſſe poſſe non videtur. Quin etiam cerebrum, docente *Galeno in Arte Medica cap. de ſignis calidi cerebri*, facilè ambientis aëris occurſu offenditur. *Facilè*, inquit, *gravantur eorum capita à calidis cibis, & potibus, odoribus, atque hiſce omnibus quæ extrinſecus occurrunt, in quorum numero eſt qui nobis circumfunditur aër.* Propterea cum uſu tabaci maximè cerebrum incaleſcat, periculum eſt ne ab aëre peſtilenti offendatur. Unde videmus frigida ſenum corpora peſte minùs affici, quam juvenum, ob corporis frigiditatem, ut etiam *Plinius* annotavit. Quod autem vulneribus, morſibuſque venenatis idonea hæc herba perhibetur, vim tamen habere Alexipharmacam non oſtendit, nam ſublimato primùm utebantur Hiſpani ad ejuſmodi vulnera, & nos quoque varia præſcribere ſolemus, quæ naturæ ſua non ſunt alexiteria, ſed vel venenum foras attrahentia, vel extinguentia, ut cauterium actuale, aliaque ſimilia. Fierique poteſt ut ad id etiam valeat Nicotiana, etiamſi nulla propria & peculiari virtute venenis adverſetur.

Ca-

Caput XXXV.

De Importuno remediorum cordialium uſu.

QUoniam in omnibus morbis maxima virium ratio ſemper eſt habenda, non mirum eſt ſi ægri eas ſibi conſervari poſtulent, unde tam frequens cardiacorum remediorum uſus. Ideo ſæpè quidam Medicis vitio vertunt, quod Cardiaca, & Alexipharmaca minùs frequenter ipſis præſcribant, maximè ſub noctem, & horam ſomni ſumenda. Importunus tamen illorum uſus ſæpiſſimè potiùs nocet, quàm prodeſt, ut theriaca, mithridatium, & ſimilia. Non enim quicquid cardiacum dicitur, ſtatim naturam roborat, poteſt enim illam deſtruere, ſicut febricitantem magis juvat aquæ frigidæ potus, quam aquæ cœleſtis, imperialis, theriacalis, & ſimilium. Obſervandum autem imbecillitatem tum cordis, tum virium quæ ob eo dependent, variis de cauſis fieri poſſe, cauſis autem tam diverſis non quælibet remedia convenire. Quod ſi quodam remedio, quantumvis cardiacum eſſe dicatur, morbifica cauſa augeatur, ex cardiaco fit ægrotanti venenum, ut ſi calido affectui calidum medicamentum præſcribatur, morbus increſcit, æger non roboratur, ſed fit imbecillior. Unde malè faciunt qui abſque judicio

ejuſmodi roborantia præſcribunt. Sed præterea notandum theriacam, mithridatium, aliaque ſimilia, quæ in frequentiſſimo ſunt uſu, poſſe eſſe valdè noxia, nam docente *Galeno* 5. *Simpl.* Media ſunt inter corpora, & venena, ita ut eadem ſit proportio corporis ad alexiterium, quæ hujus ad deleterium, unde vult omnia ejuſmodi, quæ ſunt de natura theriacæ, & mithridatii, corpus animalis lædere copioſius ſumpta, & niſi intus noxium ſit aliquod venenum in quod agant. Scio comparationem hanc non placere *Averrhoi, ſubtiliſſimo Medico, & Philoſopho* 5. *colliger. cap.* 23. qui tamen fatetur non prodeſſe niſi à venenato corpore ſumantur; nam ſanis nocent, inquit, ac ipſis fiunt venena, ut ſunt omnia bezoardica dicta. Ob magnam enim agendi vim niſi rectè adminiſtrentur, ab iis tanquam à veneno corpus læditur, unde etiam *Galenus* prohibet theriacam calidis ſiccis, aut etiam pueris. Quamvis igitur abſolutè horum medicamentorum uſum non improbem, nec ea venenata eſſe judicem, & pernicioſa, tamen cautè iis utendum inde patet, qualitates enim habent ſæpiſſimè corpori noxias, niſi in corpore inveniant objectum in quod agant. Igitur roborantia, & cardiaca pro morborum varietate varia eſſe debent, unde quædam ſunt frigida, quædam calida, quædam temperata, quædam occulta

&

& inexplicabili proprietate corroborantia, quædam venenis adverſantia, quæ non poſſunt omnibus cauſis vires lædentibus competere. Unde etiam inter cardiaca numerari optimè poſſunt, ea quæ cauſas morbificas evacuando, & alterando juvant, quod ſæpè multa cardiaca dicta non perficiunt, & ejuſmodi remedia per accidens tantùm cardiaca dici debent, ſunt tamen omnium certiſſima. Ideo rectè *Avicennas lib. de viribus Cordis*, docet ſeptem modis Medicinam dici cardiacam. *Primò* quia reficit ſpiritus, ut vinum, ova, juſcula, & alimenta eupepta, & euchyma, & ſanè vires alimento maximè roborantur, eodem tamen intempeſtivè exhibito eaſdem lædi, ſupra ſuo loco docuimus. *Secundò* quia eoſdem illuſtrat, ut Margaritæ, & ſericum. *Tertiò* quia ſubſtantiam cordis congregat, ſpirituum reſolutionem prohibendo, ut carabe, terra ſigillata, bolus armena, at hæc omnibus non proſunt, quia ſunt adſtringentia, quæ interdum nocere poſſunt. *Quartò* quia cordi eſt amica, ut ſunt dulcia, & odorifera, aqua cœleſtis, imperialis, Mariæ. *Quintò* quia roborat per qualitates manifeſtas, ut quæ eſt temperata, borrago, bugloſſum, aurum. *Sextò* quia evacuat depurando humorem melancholicum & evacuando quod cordi nocet, ut ſunt, myrobalani. *Septimò* quia proprietate occulta ro-

borat cor ut hyacinthus; Hæc autem varia omnibus omnino cauſis convenire nequeunt. Nunc autem cum roborantia vulgus poſtulat, intelligit non juſcula, aut venæ ſectionem, purgationemve, ſed theriacam, mithridatium, aquas ſtillatitias generoſiores, fortiorem cereviſiam, vinum cum aromatibus coctum, aliaque ejuſmodi, quæ ſæpe non ſolùm ægris, ſed etiam ſanis nocere poſſunt.

Caput XXXVI.

De erroribus circa Lapidem Bezaar.

Quia de cardiacis ſermo fuit ſuperiori capite, aliquid dicendum eſt de Lapide Bezaar, cujus admodum familiaris eſt uſus, quem multi putant eſſe maxima roborandi vi præditum, cardiacum potentiſſimum, ad quem, tanquam ad ſacram quandam anchoram, reliquis irritis confugiunt. Peccant tamen errantque in tribus. Primò quod de lapide iſto nimis benè ſentiunt. Secundò quod qualitatem ipſius ignorant. Tertiò quod quantitatem benè non metiuntur. Quod ad primum ſpectat, nomen iſtius lapidis deducunt quidam à vocabulo *Paſar*, quod apud Indos orientales hirci genus ſignificare dicitur in quo lapis iſte reperitur. Alii dicunt eſſe belzaar, quod vocabulum Mauritanorum lingua veneni dominum ſignificat, eſtque

quæ apud illos commune nomen omnibus remediis quæ Græci alexipharmaca, & alexiteria vocant. Sic Averrhoes cap. 23. lib. 5. colligit, poſtquam de venenis capite præcedenti egiſſet, agit tandem de bezaar, quod idem eſt ac antidotum. *Medicinæ*, inquit, *quæ dicuntur bezahar, quæ curant à venenis.* Avicen. lib. 2. fen. 1. cap. 4. *Albezaar*, inquit *eſt remedium, quod ſua proprietate conſervat ſanitatem, & virtutem in ſpiritu, ut venenum noxam à ſe expellat.* Ubi patet eſſe nomen generale omnibus ejuſmodi remediis. Sed peculiariter apud nos intelligitur lapis ille adeo uſitatus ex animalibus erutus, & ex India ad nos delatus. Præſtantia autem hujus lapidis à quibuſdam tanta eſſe creditur, ut omnibus aliis præferatur, nam Arabes adverſus venena, peſtem, icterum, corporis & viſcerum obſtructiones valde commendant. *Avenzoar in libro Theiſir*, dicit ſe liberaſſe quendam qui perniciosiſſimum venenum ſumpſerat, exhibitis tribus granis lapidis bezaar, in unciis quinque aquæ cucurbitæ. Verum ſi conſideremus quæ de iſto lapide ſcribit Avenzoar, inveniemus non eſſe noſtrum lapidem, qui ab Indiis advehitur, ſed lachrymam Cervi de quo ita fabulatur. Cervus, quod etiam teſtatur Plinius, Serpentes narium ſpiritu extrahit ex cavernis, eoſdem mandit, tunc maxima infeſtatur ſiti, ad

cujus levamen aquas ſtagnantes petit, in quibus immergit ſeſe collo tenùs, ſed ita docente natura non bibit, aliàs illicò concideret mortuus. Tunc ad ejus oculos humor quidam defluit, qui paulatim craſſeſcit, cogitur, & ad glandis magnitudinem excreſcit, quem poſtquam ex aquis Cervus exiit, deciduum quærunt homines, lapidemque bezaar quidam vocant, qui dicitur eſſe latus, in pyramidem tendens, coloris mellei, quem ſe vidiſſe ſcribit *Amatus Luſitanus*, *comment. in Dioſcoridis cap.* 39. *lib.*2. eademque fabulam ſequitur *Scaliger exercitat.* 112. *ad Cardanum*, cumque etiam ſe habere ſcribit, ſed fides ſit penes authores. Sed tamen lapis hic noſter non eſt lachryma Cervi, quæ nimium rara eſt, ſi unquam talis fuit. At lapis hic noſter eſt admodum frequens. Eſt autem, ut ſcriptores teſtantur, variorum generum, flavus, pulverulentus, ex albo vireſcens; præſtantiſſimus flavus, dein pulverulentus, de quo ſic ſcribit *Rhazes*: lapis eſt mollis, colore flavo, ſapore nullo, quo adverſus vim napelli faliciter ſe uſum eſſe teſtatur. Erat autem colore flavo, albicante; levis, & luminis modo ſplendens. Aliter tamen eum deſcribit Garcias ab Horto Proregis Indiarum Medicus, qui tamen fatetur ſe tantùm audiviſſe quoſdam illius uſu à deploratis morbis fuiſſe ſervatos, vultque eſſe coloris

ex-

ex viridi nigricantis, aitque neceſſe eſſe omnes ad Regem illius regionis deferri, nec ſine difficultate inde haberi poſſunt, unde cum ſint jam adeo familiares, & frequentes, de bonitate illorum maximè dubitandum. Hic rectè monet *Matthiolus* multos eſſe adulterino; ejuſmodi lapides, facie tantùm ſimiles, nullis autem viribus præditos. Et *libro Epiſtolar. tertio, in Epiſtola ad Quacelbenum, Lapidem quem Mauritani bezohar vocant, accepit in ſui commodum ſereniſſimus Princeps. Ego jamdudum plures illi ſimiles vidi lapides, ſed an veri vel adulterini ſint profectò neſcio. Atqui ſi Serapionem, & Rhazin conſulamus, non video cur probem lapidem hunc legitimum eſſe.* Ubi ingenuè ignorare ſe fatetur, an lapis bezoardicus Imperatoris verus ſit, creditque potiùs eſſe adulterinum. Duplex autem eſt hic lapis, unus orientalis ex Perſia, viciniſque regionibus allatus, in quodam Hirci genere repertus, alius occidentalis ex America advectus, qui in variis animalibus reperitur. De quo ex Joſepho Acoſta notandum eſt reperiri hunc lapidem in animalibus quæ vicugnas vocant, ſuntque caprarum genus quoddam, tum in tarugis dictis omnibuſque animalibus quæ Peruviano ſolo propria ſunt, reperiturque in ſtomacho & ventre, interdum unicus, interdum duplex, triplexve, interdumque etiam

majori

majori numero. Differunt autem hi lapides inter ſe, figura, magnitudine, & colore; Quidam enim non excedunt Avellanæ magnitudinem, quidam verò Juglandes, ova columbarum, & gallinarum æquant, interdum etiam malum Arantium, qualem ſe vidiſſe refert idem Acoſta. Figura quoque diverſa eſt, & admodum varia: Colore quidam ſunt nigri, alii virides, albi, aurei, griſei. Unde nec color nec figura ſigna certa eſſe poſſunt bonitatis illorum. In Peruvia ex variis animalium generibus eruuntur, feris & cicuribus, in ganacis, pacis, vicugnis, tarugis, quæ animalia ille deſcribit; Ganaci, & Paci arietum genus quoddam, lapides habent minores, & nigricantes, reliquis ad uſum Medicum inferiores. Majores & meliores eximuntur ex vicugnis, & ſunt virides, aut ſubalbi; Optimi verò ex Tarugis, ſunt craſſi, albicantes ad griſeum colorem tendentes, habentque cortices cæteris craſſiores; In nova Hiſpania in cervis etiam reperiuntur. Qui ex India orientali afferuntur, ſunt præſtantiores, ſuntque coloris olevacei. Secundum locum obtinent Peruviani, tertium quos nova Hiſpania mittit. Indi autem eleganti artificio eos adulterant, ut pluribus explicat idem *Acoſta libro quarto cap.* 42.

Ex prædictis patet non eſſe admodum fidendum huic lapidi. Primò quia noſtrorum

lapidum

lapidum effectus non reſpondent iis quos authores ſcribunt. Volunt enim ſudores potenter movere, interdum quoque & vomitum, quod tamen ſiquis in noſtris experiatur, non ſemper verum eſſe comperiet. Dedi ſæpiſſimè hunc lapidem variis ægrotantibus, nihilque animadverti illorum quæ de ipſo perhibentur. Idem obſervârunt quamplurimi recentiores; Hercules Saxonia inter Italos maximæ famæ practicus, ingenuè confitetur, ſe, quamvis etiam lapides illos habuerit, qui præſtantiſſimi Venetiis credebantur, nullum tamen inſignem effectum obſervâſſe. *Ego*, inquit, *ut ingenuè dicam, dum Venetiis practicarer, maximam hujus copiam conſumpſi, nec egregiam operam ſenſi. Scio plurimos quibus exhibui fuiſſe ſanatos, ſed non vetuli in lapidem. Cauſa, quia reperio apud ſcriptores quod eo ſumpto ſudor copioſus excitetur, poſt quem ſtatim ſublevantur; Ego tamen non vidi ſudorem prorumpentem, vel ſi apparebat, erat ſudor imperfectus. Itaque quantum ad me, abjeci omnem ſpem hujus lapidis in his febribus. Fieri poteſt ut Ego inciderim in Sophiſticum, adulterinum. Sed cum Venetiis Medicinam facerem, in Primatum ædibus, perſuadebant eſſe omnium excellentiſſimos.* Capite de febribus peſtiferis. Matthiolus tamen, aliique hunc lapidem laudant, ſed credendum eſt eos habuiſſe quoſdam

dam veros, qui apud nos ſunt rariſſimi, ipſeque in Epiſtola jam citata fatetur lapides Imperatoris non fuiſſe genuinos. Valleſius Medicus doctiſſimus Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis Medicus primarius credit libro 4. methodi nullum verum eſſe lapidem Bezoar, etiam in ipſa Hiſpania. Quod ſi Rex Hiſpanorum nullum habuit verum hunc lapidem, multò minùs apud nos proſtabit venalis. *Secundò* lapides noſtros ut plurimum eſſe adulterinos non minima ſuſpicio eſt, quod ex animalibus eruantur eviſceratis, & occiſis, vixque fieri poteſt ut unica regio tot ſuppeditet animalia, quin tandem rarior fiat ſpecies. Tanta enim iſtorum lapidum quantitas in ſola Anglia reperitur, ut miraculi inſtar mihi eſſe videatur, quod non fiant rariores. Quod ſi reliquas ſimul Europæ regiones conſideremus, ubique pariter abundant. Fatentur tamen Medici qui apud Indos fecerunt Medicinam, illic eſſe rariſſimos ejuſmodi lapides, & admodum caros, ab Indis ipſis curioſè in proprium uſum aſſervari, unde ergo nobis tanta illorum copia ſuppeditatur, ſi non ſunt adulterini? *Tertiò* difficillimum eſt, &, quantum conjicio, prorſus impoſſibile, genuinum à factitio certo diſcernere, tam artificioſa eſt quorundam impoſtorum ſolertia. Vidi ego Lutetiæ Pariſiorum quendam, qui eos tam affabrè conficiebat,

Digitized by Google

ciebat, ut eos ab aliis ipſe qui fecerat dignoſcere niſi appoſito ſigno non poſſet. Ipſe Saxonia fatetur ſe nunquam indicium certum lapidis ſcire potuiſſe. Dicunt quidam in medio eſſe feſtucam, vel arenam, vidi ego in medio aciculam. Acoſta vidit ſtrobylum, ſed hæc & alia ejuſmodi impoſtores factitiis ſuis addere nôrunt. *Rodericus à caſtro lib.8. de morbis mulierum* ita dignoſcere docet: *Præfertur*, inquit, *orientalis, lævis, pellucidus, luminoſus, coloris ex viridi nigri, inſipidus, cujus pulverem ſi calce & aqua miſceas, colorem refert ex pallido viridem, quique ſuper accenſos carbones injectus in auram penitus evaneſcit.* Sed pariter hæc non ſunt admodum certa. Scribunt authores lapides hos eſſe varii coloris, at noſtri fermè omnes ſunt ejuſdem coloris ſubnigri, optimi dicuntur eſſe flavi, raro igitur præſtantiſſimi nobis adſunt, qui rarò flavi reperiuntur. Fatetur Acoſta Indos eos adulterare, quod veriſimile eſt, quum in minoris pretii medicamentis id ſæpiſſimè fieri ſoleat. Si quiſpiam igitur lapidem habeat, quem verum eſſe & genuinum certò noverit, non improbo quin eo utatur, ſi illius vires ſemel fuerit expertus. Id tantùm hoc capite monere volui, non eſſe quibus libet lapidibus adhibendam fidem, veros eſſe rariſſimos, & quod peſſimum eſt nulla eſſe certa indicia, quibus veri à falſis di-

ſtingui

ſtingui poſſunt. Suntque in variis animalibus, ut equis, porcis, aliiſque interdum lapides bezoardicis omnino ſimiles, qui tamen nullius ſunt efficaciæ. Laurentius primarius Regis Galliarum Medicus conſilio primo lapidem bezoardicum probat quidem, modo genuinus ſit & verus, non autem fictitius & adulterinus, qualem hodie ſolent divendere mille circumforanei agyrtæ ſeplaſiarii, fraudulenti & avari pharmacopœi, cujus granacentum unicam ſanitatis quidam procreare non poſſunt.

Caput XXXVII.

De temperie, & doſi Lapidis Bezoar.

SUpponam hoc capite verum lapidem Bezoar familiariter reperiri, quia obſtinatè populus in illo confidit. Solent tamen plurimi illius quantitatem reformidare, quaſi ſit medicamentum calidiſſimum, & potentiſſimè efficax, vidique ſæpe mulierculas, quæ calida remedia ægris propinant ad roborandum, ut aquam cinnamomi, vinum cum aromatibus coctum, aliaque ejuſmodi, reformidare tamen hujus lapidis quantitatem, & repugnare ſi quando ad plura quàm duos aut quatuor grana ad ſummum exhibeatur. Videtur autem ipſis quodammodo favere ratio, nam dicitur movere ſudores. Sudorifica autem calida eſſe videntur, quia humores

mores attenuant, ſecant, in cutem expellunt. Ideo tantò calidior videtur eſſe hic lapis, quò in minori doſi exhibitus id præſtat. Sed *Primò* notandum eſt, ſudores hodie hujus lapidis uſu raró provocari, ut experientia quotidiana fidem facere poteſt. *Secundò*, ſi quiſpiam quam maximam hujus lapidis quantitatem aſſumpſerit, non ſentiet unquam ſe factũ eſſe inde calidiorem, quod ſanus quilibet in ſeipſo poteſt experiri. *Tertiò* qui de hoc lapide ſcripſerunt, hactenus quidem voluerunt eſſe temperatum, alii frigidum, nemo autem calidum, nullum enim ſaporem habet, nullumque odorem, quod mirum foret, ſi adeo calidus eſſet hic lapis. Veriſimilius igitur eſt agere proprietate occulta, non manifeſta, cor ſcilicet roborando, & muniendo adverſus malignam vim, unde obiter infero inutilem eſſe hunc lapidem ad roborandum, niſi maligni, venenatique in corpore humores adfuerint, unde quamvis datus non noceat, fruſtra tamen exhibetur. *Quartò* qui de hoc lapide ſcripſerunt, in ejus doſi non conſentiunt, dedit Avenzoar ad grana tria, quæ doſis eſt vulgaris, verùm illius lapis non erat Bezaardicus hic noſter. Sed Matthiolus præſcribit ad grana ad minimum ſeptem, Garcias ad Horto ad grana triginta, fateturque poſſe etiam innoxiè ad plura ſumi. Audivi celebres quoſdam

dam Medicos huic lapidi multum confidentes, hanc tamen cauſam afferre quare minùs efficax lapis hic deprehendatur, quia ſcilicet nimis exigua quantitate ſumitur. Sed præterea legi alicubi Edwardo Regi datum fuiſſe lapidem bezaar ad drachmæ pondus, quæ ſunt grana ſexaginta, ut pluribus legi poteſt apud Monardum, Fumanellum, Abra, Concilatorem. Quia autem, ut diximus, rarò bonus invenitur hic lapis, atque etiam ille quem habemus nimis carò vænit, ſuadeo ut tantùm divitibus præbeatur, non autem aliis qui ejuſmodi impenſas ſuſtinere nequeunt, ſemperque doſi ſatis magna præbeatur, aliàs erit inutilis. Imò firmiter credo poſſe ad drachmam unam innoxiè aſſumi, tam benignum, atque innocens eſt remedium. Fumanellus lib. de peſte commendat ad drachmam unam, & Garcias ab Horto refert ſolere *in India ad* 30. *grana aſſumi: nimis*, inquit ille, *magna quantitate, nam tametſi nullas noxias facultates contineat hic lapis, tutior tamen eſt ejus exigua quantitas.* Sed ſi lapis hic eſt innoxius, pariter magna quantitas eſt innoxia, ut alii obſervârunt: Propterea non erit formidandum pueris aliquot illius grana tria, quatuorve dare. Quamvis enim Galenus pueris vetet dare theriacam, diverſa tamen prorſus eſt ratio de lapide bezaar, nam theriaca calidiſſimum eſt medicamentum

mentum, variiſque conſtat ſimplicibus quæ calori puerorum vim inferre poſſunt. Bezaar autem non calet, ſed tantùm roborat, qualitate occulta, non autem manifeſta.

Caput XXXVIII.
De Cornu Unicornis.

Vix dici poteſt cuinam majores vires aut lapidi Bezoar, aut Cornu Monocerotis vulgus attribuat, maxima enim omnium Alexipharmaca hæc eſſe cenſentur, quamvis cornu hoc lapide bezoardico minùs vulgare ſit. Plurimi tamen ſatis magna illius fruſta ſe habere jactant. Sed dubitatur à multis non ſine magna ratione, an ejuſmodi cornu reperiatur. Eſſe quidem varia animalium genera, quæ unicum tantùm in capite cornu gerunt, tum veterum, tum recentiorum ſcripta teſtantur. Quatuor autem ex *Ariſtotele, Æliano, & Plinio* recenſentur; Ab *Ariſtotele* quidem tantùm oryx, & aſinus Indicus, ſed ab aliis additur rhinoceros, & qui proprio nomine dicitur monoceros, de quo hic potiſſimùm agimus. Sed quid propriè ſit hic monoceros nondum ſatis liquet, cum hactenus navigationibus Indicis nondum potuerit certò explorari. Et qui ejuſmodi animal ſe vidiſſe referunt, tam parum conſentiunt in illius deſcriptione, ut fabulæ fermè videantur

tur quæcunque illi referunt. *Plinius & Solinus* qui nunquam viderunt ejuſmodi animal, ita tamen deſcribunt, haud dubiè ex aliorum ſententia. Deſcribit Plinius, *aſperrimam feram monocerotem, reliquo corpore equo ſimilem, capite cervo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu gravi, uno cornu nigrò, media fronte, cubitorum duum eminente, hanc feram vivam negant capi.* Solinus autem c. 60. ſic deſcribit. *Sed atrociſſimum eſt monſtrum monoceros mugitu horrendo, equino corpore, elephantinis pedibus, cauda ſuilla, capite cervino, cornu è media ejus fronte protenditur, ſplendore mirifico ad longitudinem pedum quatuor, ita acutum, ut quicquid impetat, facilè ictu ejus perforetur. Vivus non venit in hominum poteſtatem, & interimi quidem poteſt, capi non poteſt.* Sed Ludovicus Vartomannus, ſcriptor ingenuus, duos in peregrinatione ſuâ ſe vidiſſe refert, ſicut recenſet *Scaliger exercit.* 205. Unicornibus, inquit, equi magnitudo, crura, pedes, caput cervi, pili color balius, equi juba rarior, brevior, coxæ villoſæ, cornu unum integrum Niceæ videmus, alia alibi, ſubfulvum unum, unum ſubluteum accedens maximè ad buxeum, unum ſuppuniceum, habemus etiam fruſtum candidum. Et hic à Pliniana deſcriptione diſcrepat, nam mitem, minimeque ferocem eſſe ait, pedes & crura cervi ipſi attribuit.

buit. Plinius autem pedes elephanti, & in deſcriptionibus ſuis alii alia addunt. Fatetur tamen *Amatus Luſitanus Enarra.* 52. *In librum ſecundum Dioſcoridis*, Medicos Luſitanos, & alios qui interiora Indiæ penetrârunt, de ejuſmodi animali nihil referre, niſi quod in maximo pretio ſit apud Indos adverſus venena, & febres peſtilentes. Monet autem *Idem Amatus* verum cornu eſſe coloris ſubnigri, aut ſaltem ſubcineritii. Item nimis vetus eſſe invalidum, ſicut & in aliis medicamentis contingit; Item plura eſſe adulterata ex calce, & aliis rebus ad formam cornu efficta, alios verò balænæ os pro eo vendere, audivi etiam & equi marini, & Elephantorum dentes pro eo fuiſſe ſuppoſitos. Hæc quidem videntur in dubium revocare ejuſmodi cornua. Sed dicet quiſpiam, ſacram ſcripturam variis in locis meminiſſe iſtius animalis tanquam ferociſſimi. Sed forſan ignotum eſt propriè nomen illud quod interpretes unicornu tranſtulerunt: nam, ut advertit Morinus Bleſenſis, oratorii Presbyter doctiſſimus, fatentur Judæi ſe ignorare nomina plurimarum avium, quarum meminit Moſes in Levitico, quid ni pariter fieri poteſt ut nomen iſtud ignotum ſit, quod tamen unicornu Interpres tranſtulit, & forſan aut Aſinum Indicum, aut Rhinocerata, aut in genere quamlibet unicornem feram ſignificat,

 cat,

cat. Rhinocerotem quidem non fuiſſe veriſimile eſt, eſt enim fera hæc bicornis potiùs quàm unicornis, fera minimè agilis, ſed pigra, cujus cornu etiam breviſſimum eſt, cum tamen quæ circumferuntur Monocerotis cornua, ut plurimum ſint valdè longa, atque ab eo animali extracta, quod agile admodum ſcriptura prædicat, unde Cardanum reprehendit Scaliger, qui monocerota ſub Rhinocerotis nomine deſcripſerat, cujus picturam ſe vidiſſe refert idem Scaliger, illius ſcilicet *cujus cadaver ejectum eſt in Tyrrhenum littus, capite ſuillo, tergore ſcutulato, cornu gemino, altero puſillo in fronte, altero in nare robuſtiſſimo, quo audaciſſimè pugnat & vincit Elephantum.* Videturque eſſe hæc eadem fera cujus meminit Amatus Luſitanus, quam Emmanuel Rex Luſitaniæ Romam mittebat, ſed naufragio prope Maſſiliam amiſſa navis, in mari fera periit, cujus corium ad Franciſcum Regem Galliarum, accolæ attulere. Sed an ſub nomine Monocerotis Aſinus Indicus intelligi debeat, forſan foret dubium, niſi utrumque diſtinxiſſet Ælianus. Propterea non aſſero monocerotem animal eſſe fictitium, ſed valdè rarum eſt, nondumque certò cognitum. Sed præterea etiam Cæſar libro 6. de bello Gallico, meminit Bovis unicornis, ſuntque etiam tales apud Indos ut volunt Hiſtoriographi.

Nec

Nec tantùm terra, ſed etiam aqua ſua habet monſtra unicornia, quæ fortiſan amphibia ſunt, ut refert Garcias ab Horto, de quodam monſtro amphibio circa Promontorium bonæ ſpei, quod unicum cornu in fronte habet, quo adverſus Elephantem ferociter pugnat, ſed etiam ex Borealibus regionibus, ut ex Iſlandia & Groenlandia afferuntur cornua, quæ unicornium marinorum eſſe dicuntur. Fuerunt ante annos non ita multos in hanc urbem Hullam, in qua hæc deſcribo, allata ex Groenlandia animalium marinorum unicornium capita duo in littore reperta, cum cornibus in fronte maximis, quorum particulas quaſdam vidi. Ex quibus patet plurima eſſe animalia tam terreſtria quam aquatica unicornia. Sed præterea meminit recentior quidam Scriptor, Daniel Sennertus libro 5. ſuæ naturalis Philoſophiæ, cornu cujuſdam foſſilis, quod in Thuringia, Bohemia aliiſque Germaniæ locis invenitur, quod etiam pro monocerotis cornu habetur, cui etiam vim tribuit adverſus Epilepſiam, & morbos malignos, & à genuino diſtinguere docet, quod verum ſit admodum durum, at foſſile durum non eſt, ſed facile frangitur, teritur, & linguæ admodum adhæreſcit, inſtar terræ ſigillatæ, aut alicujus margæ. Ejuſdem quoque meminerunt Geſnerus, Fallopius, Agricola, aliique rerum mineralium ſcripto-

 res,

res. Cum igitur varia ſint Unicornium genera, vires tamen adverſus venena omnibus non competunt. Cteſias Aſinos inquit ſilveſtres habet India equis pares, quoſdam & majores, quibus caput purpureum, oculi cerulei, reliquum corpus eſt album; Cornu illis in fronte cubitalis magnitudinis, cujus inferior verſus frontem pars duarum palmarum ſpatio ſit candidiſſima, aut ſuperior quæ in acutum tendit, punicea ſit, ſummum ruborem adjunctum habens, pars autem mediæ ſit nigra. Ex his pocula conficiuntur è quibus qui bibunt, nec ſpaſmo, nec ſacro morbo corripiuntur:. Sed nec venena ullam in eos vim habent, ſi modo vel antequam illa hauriunt, vel poſtquam hauſeriut aquam, aut vinum, aut aliud quippiam ex illis poculis bibant. Et Ælianus qui deſcribit monocerota, vim tamen alexiteriam nullam illi attribuit, ſed tantùm Aſino Indico, ſcribit enim potentiores apud Indos ex cornubus his bibere ſolere, atque ex hoc cornu bibentem ab inſanabilibus morbis tutum fieri, neque convulſionibus corripi, neque ſacro morbo, neque venenis ullis ferunt. Quin etiam ſi quid peſtilens biberit, tum id vomere, tum ad ſanitatem redire. Idemque ſcribit Philoſtratus in vita Apollonii Thyanei, lib. 3. Sed Cornu aſini Indici rariſſimum eſt, ſuperius inquit Ælianus, eſt puniceum, inferius album,

bum, medium verò nigrum, at cornu monocerotis ex eodem Æliano eſt nigrum. Ambroſius Paræus aliique præſtantiſſimi Medici nullum iſtius Cornu effectum invenere, minuſque probat conſuetudinem illam imponendi regiæ pateræ fruſtulum cornu Monocerotis, quàm audio ſuſtuliſſe illum qui primarius Regis Galliarum Medicus erat cum hæc ſcriberem. Sed & pariter Cornu equi Indici vim adverſus venena tribuit Ælianus, idemque refert de cornu Rhinocerotis Garcias ab Horto; eſtque breve, validiſſimum, nigrum, ab aliis dicitur intus obſcurè flaveſcere, & lingua madefactum exhibere odorem exuſtæ cujuſdam materiæ. Refert quoque Garcias de monſtro ſuo Amphibio equi formam referente juxta promontorium bonæ ſpei, cujus cornu adverſus venena laudari, facto in duobus canibus experimento, quorum alter cui dupla quantitate propinatum erat venenum, ſumpto hujus cornu pulvere convaluit. Alius verò, cui non datus fuit, ſtatim mortuus eſt, etſi minori quantitate venenum ipſi fuiſſet exhibitum. Sic pariter quæ ex Borealibus regionibus afferuntur cornua, & quæ foſſilia ſunt, non exiguam adverſus venena vim habere dicuntur quamvis etiam id quidam negent, ſuntque ut plurimum hæc cornua quæ plurimi pro Monocerotis cornu oſtendunt, quamvis color non

reſpondeat, qui in vero Monocerote niger eſt. Sed foſſilia omnes qui de iis ſcripſerunt, præferunt, ut Geſnerus, Cæſalpinus, aliique, vim enim habent alexipharmacam, & ſudores potenter movent, inſtar terræ Lemniæ. Igitur ut caput iſtud concludam, cum ejuſmodi medicamentorum vires ſola experientia cognoſcantur, facilè erit cuilibet qui ejuſmodi cornuum fruſtula aut habet, aut experiri cupit, vel catulo, vel pullo venenum exhibere, qui ſi hujus pulveris aſſumptione liberetur, optimum hoc medicamentum ſervabit. Quamvis enim ignorentur animalia ex quibus eruuntur, non deneganda tamen eſt virtus horum cornuum, cum omnium exotericorum origo nondum plenè innotuerit. Si cornu cervi probamus, cur facultas eadem reliquis cornibus adimetur, imò volunt quidam omnibus cornibus, etiam Boum, vim adeſſe quandam ſalutarem, ideò ex cornibus bibebant veteres, unde deductum nomen κεράσαι, κερατὴν. Cum igitur quæ circumferuntur cornua, varia ſint colore, magnitudine, & figurâ, à diverſis prodire animalibus veriſimile eſt. Sive igitur cornu ſit aut Aſini Indici, quod Ælianus comprobat, ſive Rhinocerotis, ſive animalis cujuſpiam aquatici, perinde eſt, dummodo vires experientiæ reſpondeant. Non igitur morosè inquirerem, ſintne Monocerotis, aut alterius

terius animalis cornua, dummodo bona ſint, & efficacia: imò quoque parum refert ſitne animal bicorne, vel unicorne. Certiſſimum tamen eſt, ut ſuprà diximus & elephantorum dentes, & oſſa balænarum, & equi marini dentes, & aduſta communia cornua, & foſſilia quæ diximus, atque alia factitia pro vero Monocerotis cornu venditari ſæpiſſimè. Vult Cardanus Elephantum oſſa ita arte ſequacia reddi poſſe, ut inſtar cornuũ extendi queant, & ſic pro unicornu exponantur. *Nec aures*, inquit Amatus Luſitanus *præbeatis illis, qui cum cornu unicornis probare nituntur, in aquam ramentum, aut ſcobem infundunt, quam illicò ſudare, aut in ebullitionem venire dictitant, quum illud ex quacunque oſſis ſcobe in aqua infuſa evenire percipere poſſitis, ut in ebore experiri poteritis.* Pariter advertendum eſt, non eſſe fidendum aliis ejuſmodi experimentis, quibus utuntur quidam ad probandam bonitatem cornu Monocerotis. dicunt enim præſente veneno aut venenato animali ſudare, quaſi à veneno pateretur, tum circulum jubent fieri ex ejus pulvere, in cujus medio, aut in cornu excavato araneam imponunt, quæ ſi tranſiliat, fictum eſſe cornu volunt, ſi autem crepat, & moriatur, genuinum; quæ omnia ſunt falſa. Et de his ſatis.

Caput XXXIX.

De aquis quibuſdam diſtillatis ad febres abigendas malè inſtitutis.

QUoniam familiare admodum hic eſt in Anglia, tam viris quàm mulieribus remedia ad varios morbos colligere, & ſibi invicem communicare, ſecretorum inſtar, pauca dicemus de aquis quibuſdam alexipyretis, quibus plurimi utuntur ad febres intermittentes, quas *agues* vocant, quarum uſus etſi interdum utilis eſſe poſſit, ſæpius tamen pernitioſus eſt & temerarius. Apud quoſdam Medicinæ ſcriptores ejuſmodi aquæ etiam deſcriptæ reperiuntur; *Quercetanus in Pharmacopæa ſua* quam vocat reſtitutam, duas recenſet, quas ait eſſe ſpecificas ad omnis generis febres, intermittentes potiſſimùm, ſed maximè tertianas nothas, & exquiſitas, adeo audacter ſanitatem nobis iſti chymici pollicentur. Ipſe *Galenus* abſynthium medicamentum calidiſſimum præſcribit ad febres tertianas. 1. *ad Glaucon & 3. de ſimplicib. medicament.* chamæmelum ad idem commendat. Sunt quidam qui ejuſmodi calidis ſudores movere volunt. In genere autem aquæ omnes illæ quas vidi ex ſimplicibus calidis erant diſtillatæ,

ſtillatæ, quibus in qualibet febre intermittente ſtatim uti volunt, ſæpè cum ægrotantium pernicie. *Primò* igitur notandum eſt, intermittentes febres à variis humoribus concitari, calidis, & frigidis, quibus non poteſt unum idemque remedium; quolibet tempore commodè adminiſtrari. *Secundò* cum unumquodque contrario ſuo curetur, certum eſt uſu ejuſmodi calidorum remediorum inflammari, & augeri humores bilioſos, ſic poteſt febris ex intermittente fieri continua. *Tertiò* febris intermittentis cauſa ſæpiſſimè latet in meſenterio, pancreate, aliiſque primis viis; quam ſaburram uſu medicamentorum iſtorum deducere in habitum corporis eſt nimium periculoſum, ne venarum ſanguis inquinetur, maximè in bilioſis febribus, quarum cauſa ut plurimum tenuis eſt, & facilè mobilis. *Quartò* Galenus vetat in quartana febre quam humor melancholicus frigidus ſiccuſque parit, uſum vehementiorum & calidiorum in principio, refertque hiſtoriam Eudemi Philoſophi, qui cum intempeſtivè uſus fuiſſet theriaca ad quartanam febrem, ex ſimplici facta eſt duplex, quem tamen *Galenus* eodem remedio tempeſtivè exhibito curavit. Conveniunt igitur ejuſmodi calida tantùm in febribus iis quas humores frigidi procreant, aut in tertiana notha, in quâ humoris pituitoſi cum bilioſo

magna adeſt codia, aut quando obſtructiones ſunt maximæ & contumaces, viſcera valdè imbecillia, & labefactata, ſed non ante humoris coctionem; ſic præſcribit *Galenus* ad quartanam medicamentum ex ſucco cyrenaico, ſed tantùm poſt humoris coctionem. Sic abſinthium in febre tertiana commendat, ſed ante coctionem imbrobat. Pariter eadem ratione rejiciendæ ſunt ejuſmodi aquæ calidæ, ſed poſt coctionem humoris morbifici in malo contumaci utiles eſſe poſſunt. Propterea non ſunt temerè ejuſmodi calida in febribus exhibenda, nam qui temerè illis uſus erat in febre quartana, ex ſimplici duplicem fecit, ut priùs diximus. Verendum pariter ne ex hujuſmodi aquarum uſu idem contingat. Ideò adhibeatur ſemper in conſilium Medicus prudens, doctus & fidelis, qui tempora omnibus remediis deſtinet. Nec temerè confidat populus ſuis, ut vocant, receptis: ſunt enim & manus Dei, quando à perito Medico adminiſtrantur, & quaſi gladius in manu furioſi, quando iis utitur qui Medicinam probè non novit.

CAPUT XL.

Iulepos, alioſque refrigerantes potus in febribus magna doſi eſſe exhibendos.

OBſervavi ſæpe quando apozemata, Julepos, alioſve potus refrigerantes Medici febricitantibus præſcribunt, ſolere ab adſtantibus exigua tantùm doſi exhiberi, ad duo triave cochlearia. Sed hic notandum eſt ejuſmodi remedia, quæ ad humores præparandos exhibentur non eſſe de natura eorum quæ in minima doſi vires poſſident maximas. ſed contrà cum agant qualitatibus primis, & ſecundis, niſi in quantitate proportio adfuerit inter humorem alterandum, & medicamentum; fruſtrà illud præſcribi, ſiquidem ſi non ſuperant humorem, ab ipſo ſuperantur, & corrumpuntur. In febre ardentiſſima ſi prædicti julepi aut denegentur, aut parcius exhibeantur, corpus à calore febrili exſiccatur, & areſcit unde non parum damni ægrotantibus imminet. Talibus ergo laborantibus copioſius & ſæpius præberi debent, ad calorem febrilem temperandum, naturam recreandam, eoque audacius ſi coctio præceſſit, naturales enim vacuationes criticas per ſudorem alvum vomitumque adjuvat, unde etiam *Galenus* in hoc caſu aquam frigidam præbet uſque ad ſatietatem, quan-

tùm ſcilicet ægro bibere libuerit; Avicenna verò donec æger fiat viridis, & rigeat. In principio tamen paroxyſmorum in febribus intermittentibus, nihil ſumendum cenſent poſt Hippocratem Medici præſtantiſſimi, nam Hippoc. 1. acut. *Cum frigidi pedes fuerint, à ſorbitione exhibenda, tum maximè à potu abſtinendum, ſed cum calor ad pedes deſcenderit, tum dare convenit*, tunc enim calor qui in principio ab humore morbifico quaſi ſuffocatus erat, habet ἔκλαμψιν & in univerſum corpus diffunditur, frigidique potus occurſum commodius ferre poteſt, imo tunc potus vacuationem per ſudorem in fine paroxyſmi fieri ſolitam promovet. Hollerius lib. 2. cap. de ſiti paucis verbis totum id explicat. *Non permittendum eſt*, inquit, *ut diutius ſitiant, maximè in febribus, atque ubi ſiccitas eſt. Quin & in declinatione cogendi ſunt ut bibant, in acceſſionis principio & augmento potus prohibendus, ne veluti in fornacibus fabrorum ſuffuſa aqua, aut alio liquore febrilis calor vehementius incendatur. In vigore collutionibus utendum & gargariſmis, qui ubi inclinat, & vehementer ſitiunt, largiter ac confertim bibendum, quantùm videlicet haurire poſſint, ſic enim fit ut ſubito motu & contrarietate potus excitatus calor foras diſſipetur. Recte quoque ſcribit Mercurialis comm. ad aphor.*

aphor. 9. lib. 2. Plerique putant ſat eſſe ſi ſyrupi vocati ad ſummum ſex unciarum pondere ſumantur, verum ipſe & ratione & experientia didici, præſtare ſemper ſi & ſyrupi in majori menſura capiantur, pro captu tamen, & proprietate ægri, & in ipſorum uſu diutius pergatur. Sic enim vaſa humidiora reddita, attractioni humorum melius obſequuntur & ipſimet humores magis præparati facilius exeunt. Scio quidem Ariſtotelem 1. Problem. 57. quærere cur febricitantibus potio paulatim, & ſæpè danda ſit. Quia inquit, potio exigua & ſæpe data illabitur, & ſeſe magis inſiuuat, quàm larga confertim irruens. Verum vult hoc loco Philoſophus frequentiam potus magnæ illius copiæ ſemel datæ reſpondere, aliàs Hippocrates aquam parce potam bileſcere ſcribit, & libro de locis in homine, in febribus inquit exhibenda calida, aqua mulſa, & acetum cum aqua, eaque quamplurima propinanda. Sed præterea julepi, de quibus agimus, non ſunt ſimplex potus, ſed etiam medicam vim habent, aperientem, roborantem, aliamve, pro Medici præſcribentis varia intentione. Tantum igitur propinandum, quantum ad coctionem & ſitim extinguendam conferre poteſt, non tamen ad morborum cauſas augendas, quâ in re maximè errant illi, qui vel parciori potu ægrotantes enecant, quod *Gale-*

Galenus variis in locis in *libris Epidem.* In Medicis ſui temporis improbavit, aut nimia humiditate corpus gravant, humoreſque accumulant. Scribit *Galenus* 1. *acutor.* 43. ſi aqua ad ſitim ſedandam exhibeatur, tantum ejus ſumendum, quantum unica inſpiratione æger haurire poteſt, ſi ad extinguendum calorem, ad ægrotantis ſatietatem, ut etiam ait 9. methodi 8. idque confertim, ut pleniùs docet *Amatus Luſitanus, curat.*11. *centur. primæ.* Sic *Gal.* 10. *Meth.* Juveni ex irâ febricitanti, ſub caniculæ fervoribus, heminas duas aquæ in primâ acceſſione dedit.

Caput. XLI.

Calculum Veſicæ remediis ore ſumptis non poſſe diſſolvi.

Illud etiam indicandum eſt illis quos graviſſimus ille affectus veſicæ calculus torquet, ne quamplurimis qui multa pollicentur facilè credant. Scio enim non tantùm circulatores, ſed etiam Medicos quoſdam ad calculum veſicæ frangendum remedia non pauca præſcribere. Et ſanè *Monardes*, *Augenius*, aliique calculum veſicæ ſanatum referunt; *Augenius* quidem remedium ex præparatis millepedibus commendat, quo ſe ſanatum peculiari tractatu refert *Laurembergius.* Alii tamen qui ejuſdem periculum fece-

fecere, nihil opis perceperunt. Quercetanus quoque in Pharmacopœa ſua reſtituta aquam deſcribit ad calculum in veſica etiam ſine dolore frangendum ; Sed polliceri ſolent ejuſmodi chymici plura quam præſtare poſſunt. Nam ſi difficile admodum renum lapis comminuitur , multò difficilius veſicæ calculus, cum remotior ſit , & renali durior , tum periculum adeſt ne validiora ejuſmodi remedia partes alias lædant per quas tranſeunt ; Quin etiamſi confringi poſſe lapidem remediorum uſu concederemus , niſi ita comminuatur ut in pulverē fermè abeat , aut in ea fruſtula quæ commodè excerni poſſint , nihil aliud conſequemur , niſi quod ex uno lapide plures eoſque angulares remedia fecerunt , veſicæ cruciatum majorem inferentes , quique etiam forſitan paulatim additione mucoſæ materiæ augebuntur. *Galenus capite de Lapide Iudaico* ridet Dioſcoridem , qui ad calculum veſicæ hunc lapidem commendat. *Medicamentum* , inquit , *integris viribus ad veſicam pervenire non poteſt* , *atque ut concedamus pervenire poſſe*, *infringitur vis medicamenti tum amplitudine veſica, tum urinæ qua natat* , *tum calculi duritie, tum in volucro & pituita multa qua circumvolvitur.* Hippocrates ipſe in juramento quamvis aliàs chirurgiam exerceret , *Non ſecabo.* inquit , *calculoſos, ſed illius artis operariis.*

variis relinquam. Non habebat enim remedium quo frangi calculus poſſet. Non eſt igitur credendum iis qui remedia ad id præſcribunt. Refert Duretus in Hollerium ſe vidiſſe ejuſmodi remediis exulceratam veſicam, & mortem ſequutam, nequaquam detrito calculo. Quidam ut idem narrat, veritus ſectionis crudelitatem, quorundam conſilio bibit ſuccum limonum per menſes tres, interiit aphtis ab eo ſucco in ventriculo excitatis. Neceſſe eſt enim acria medicamenta partes per quas tranſeunt, vi ea qua pollent afficere, & exulcerare. Refert Sanctorius commentariis in artem parvam Galeni, quendam Medicum Italum, dum ad frangendum veſicæ calculum uteretur electuario de vitro, loco comminutionis calculi, lethalem induxiſſe dyſenteriam. Narrat quoque alium quendam qui valentiſſimis diureticis uſus erat ex conſilio cujuſdam circulatoris, quæ cum pituitam plurimam abſtergendo vacuaſſent, ægerque meliùs habere videretur, calculus tamen factus aſperior, cepit veſicam acriùs pungere, & facto ulcere eoque gangrænoſo, ſicut ſecto cadavere apparuit, miſerrimè periit ægrotans. Capivaccius quoque fatetur ſe neſcire quænam medicamenta calculum veſicæ frangant. Et Galenus in arte parva cap. 94. textu 3. ſolam ſectionem inter remedia calculi veſicæ recenſet,

cenſet, ubi rectè advertit Argenterius, hinc refelli eorum opinionem, qui calculum medicamentis ore aſſumptis curari poſſe credunt.

CAPUT XLII.

Lumbricos in febribus non eſſe ſtatim occidendos.

LUmbricis tum pueros, tum adultos graviſſimè interdum laborare contingit, & varia in corpore excitare ſymptomata, inter quæ non ſpernenda febris eſt, quæ duplicis eſt naturæ: vel enim fit ab ipſis vermibus, eſtque lenta, nec admodum valida, vel fit ab aliis cauſis, & cum vermibus conjungitur, ſoletque ſæpe eſſe maligna, quæ ab Hippocrate interdum creditur fuiſſe dicta θηριώδης. In curatione horum vermium ſæpe errat populus; *Primò* quod credunt quando cum febre adſunt lumbrici, febrem illam ſemper eſſe à lumbricis, cum potiùs ſæpe lumbrici à materia febrili proficiſcantur. Nam ut docet *Aëtius cap. 39. lib. 1. tetrab. 3. circa morbi principia geniti ſubſtantiam ex ſubjecta recipiunt corruptione circa vigorem ex morbi malitia, circa declinationem ex tranſmutatione ad melius, qui & celeriter excernuntur.* In principio igitur acutorum morborum excreti morbi malignitatem indicant; lumbrici

brici enim quando febris cauſa ſunt, nunquam ea valida & acuta eſt; ſed ſæpiſſimè in febre maligna apparent, quod eſt notandum. Nam in priori caſu curatio lumbricorum eſt curatio febris, in hoc verò poſteriori, curata febre lumbrici à natura excerni ſolent eunte ad judicationem morbo, quod ſcribit *Hippocrates* variis in locis, ut in *Prognoſticis & libro de criſibus*. Secundo errant quod in hoc caſu tantum lumbricos conſiderant, ſtatimque ad illos curationem dirigunt, morbumque à quo pendent, negligunt, aut remediis importunè adhibitis deteriorem reddunt, nam quæ lumbricos necant, febrem ſæpè augent. Cum igitur lumbrici, quia toto genere ſunt præter naturam, enecandi ſint, & expellendi, id quibuſlibet remediis fieri non debet, ſed natura morbi cum illis conjuncti ſpectanda eſt, cui remedia potiſſimum adhibenda, eo enim curato à naturâ ſub declinationem ſponte dejiciuntur. Unde quia in febribus malignis ſunt ſatis familiares, quæ curant febres malignas illis etiam proſunt, qualia ſunt cardiaca plurima, cornu cervi, unicornu, corallum, theriaca, mithridat. ſemen citri, &c. & fermè nulla ſunt cardiaca quæ vermibus non adverſentur, quamvis non ſemper; unde ſæpè videmus plurima ejuſmodi remedia quæ adverſus lumbricos utilia dicuntur, nihil tamen prodeſſe, quia

ſcilicet

ſcilicet empiricorum more ſolent adhiberi, abſque cauſarum diſtinctione, & animadverſione reliquarum circumſtantiarum quæ ſpectari debent. Audiamus Rondeletium egregiè hâc de re diſſerentem, cap. de vermibus. *Quando autem vermes rejiciuntur in morbis acutis, ut in febribus ardentiſſimis, & aliis morbis ſenum & puerorum, non ſtatim debemus nos ad illos totam noſtram intentionem convertere, ut mulierculæ faciunt, & Medici mulieribus inſervientes, quod facit ut ægri intereant neglecto morbo, aut cum magis ad vermes curationem convertunt quam ad morbum, ut ſi febris continua, aut alius morbus bilioſus, aut fluxus ventris aliquem occuparit, aut in morbis acutis in principio vermes rejecerit, ſemen contra dare ſolent, quod febrem magis accendit, vel corallum, & alia quæ adſtringunt ad vermes occidendos opportuna ſolent adminiſtrare, quæ omnia affectibus præcipuis adverſantur, ut multum amara febri & fluxui ventris, adſtringentia, & ſiccantia febribus. Quare oportet Medicum diligenter diſtinguere num febris à vermibus dependeat, vel utrum vermes rejiciantur ob aliam cauſam qui ſemper continentur in ventre; Quod ſi cognoverimus febrem aliunde fieri, quia quartana, vel tertiana vel vera quotidiana eſt, nullùmque quod urgeat ſymptoma oſtendit, negligendi ſunt, vel ea tantum medi-*

medicamenta præſcribenda, quæ affectui præcipuo & vermibus conveniunt.. Quæ fuſius deſcripſimus, quia totam hanc rem probè explicant. Idem etiam animadvertunt Foreſtus in obſervat. & Mercatus capite de lumbricis aliique.

Caput XLIII.

Ad adſtringenda mulierum profluvia malè cinnamomum præſcribi.

MUlieres ſæpe contingit aut lochiorum, aut menſium, aut aliorum humorum immoderato profluvio vexari, ad cujus curationem ſæpe vidi ab aliis mulierculis uſum cinnamomi tanquam valde adſtringentis remedii præſcribi ſolere. In diarrhœâ quidem & alvi fluxibus interdum prodeſſe poſſe non dubito, roborat enim ventriculum & viſcera, quorum imbecillitas ſæpe alvi fluxus cauſa eſt, ſed tamen ad menſes ſiſtendos, adhibere nefas eſt, ſolet enim potius eos validius promovere. Eſt enim aroma calidum ſiccum, aperientis virtutis, ideoque menſibus ciendis aptiſſimum, idque ſcribit *Dioſcorides cap. de Caſsia*, quæ judicio Matthioli, & Dodonæi eſt noſtrum cinnamomum, canella à Gallis vocatum; vim, inquit, obtinet calefaciendi, urinam ciendi, ſiccandi, & leviter adſtringendi, menſes trahit, & poſtea addit eoſdem

eoſdem effectus facere cum cinnamomo, de quo capite ſequenti ita ſcribit. Cinnamomum omne excalefacit, concoquit, emollit, urinam ciet, tam menſes, quàm partus, potum aut ex myrrha impoſitum, pellit. Si hæc ita ſe habent, in maximo errore verſari illos neceſſe eſt qui cinnamomum ad muliebres fluxus adſtringendos præſcribunt. Sed hæc res non eſt magni momenti.

Idem dicendum eſt de quibuſdam ſciolis, qui medicinam faciunt, & remediorum vires ignorant, meliores ſe laceſſunt, nec doctiores fieri curant. Quidam ſunt adeo periti, ut credant ſyrupum de artemiſia eſſe tantùm mulieribus dicatum, ſyrupum de ſtœchade cephalicum tantùm medicamentum, Philonium tantùm ad ſomnum conciliandum præſcribi debere, variaque ejuſmodi interdum occurrunt, quæ ipſi ignorant; Attamen ſi quis ſimplicia ex quibus prædicta componuntur exactè conſideret, ad alia quamplurima non minùs utilia cenſeri debent, in ſyrupo verbi gratia de artemiſia multa ſunt ſimplicia ad varios affectus utiliſſima. Ipſa artemiſia non ſolum menſes & partum movet, ſed etiam calefacit, exſiccat, obſtructiones aperit, renum calculis prodeſt. Extenuat, inquit Rondeletius, & calefacit pituitam, parteſque nervoſas, uterumque exſiccat, catharris antiquis prodeſt, & idem præ-

ſtat

ſtat quod ſyrupus de praſio pollicetur. Idem dicendum de ſyrupo de ſtœchade qui ad plurimos viſcerum affectus conducit, ſicut & Philonis antidotus, quam Philo & Meſues ad varios frigidos affectus utilem eſſe dicunt. Et ſic de aliis quamplurimis.

Caput XLIV.

Opium rectè præparatum non eſſe reformidandum.

CUm ſomnus ſit viſcerum robur, & ad vires reparandas, humorumque coctiones promovendas, nihil ſuavius, & efficacius ſomno deprehendatur, ſanè in ægris quamplurimis, qui inſomnes noctes plurimas degunt, omni arte eum próvocare utile eſt & neceſſarium. Id autem ſæpiſſimè non adeò facile eſt: ſunt enim interdum adeo graves morborum cauſæ, ut ſomnifero etiam graviori corpus conſopiri non ſinant. Ad eum autem provocandum varia adhibentur remediorum genera, interna & externa. Interna quidem varia præſcribuntur, ſæpiſſimè admodum inefficacia, ut lac amygdalinum, ſemen papaveris, quod in pluribus locis ab incolis editur, ejuſque oleum defectu olei olivarum uſurpatur ad obſonia. Sed in uſum cæteris irritis venit opium. Illud populus exhorreſcit, & quaſi præſentaneum venenum

num rejicit, cum tamen rectè præparatum & conveniente doſi exhibitum innoxium ſit & ſalutare medicamentum. Venenum quidem eſſe veteres ſcriptis tradiderunt, ſed tantùm quando nimia quantitate aſſumitur. At ſic nihil eſt adeò ſalutare, quod pravo uſu noxium non evadat, nihil adeo noxium, quod non fieri poſſit ſalutare. Venenorum autem varia ſunt genera, quædam tota ſua ſubſtantia venena ſunt, quæ quocunque demum modo aſſumantur, nullam corpori utilitatem præſtare poſſunt, quamvis tam exiguo doſi præberi etiam poſſint, ut non interimant, ut arſenicum; Aliorum verò contra hæc eſt natura, ut non niſi certa quantitate noceant, aliàs prodeſſe poſſunt, qualia ſunt fermè omnia medicamenta, præſertim purgantia. Quæcunque enim eâ quantitate exhibentur, ut naturam ſuperent, venenorum naturam induunt, ſic lac in ventriculo concretum, ſuccus lactucæ, venena eſſe creduntur, quæ tamen prodeſſe poſſunt humano corpori, ſi mediocris illorum ſit uſus. Quin etiam napello & cicuta nutritas fuiſſe puellas quaſdam hiſtoriis proditum eſt. Sed præterea notandum eſt inter ea quæ ſomnifera dicuntur, opium eſſe innocentiſſimum, variis de cauſis. *Primò* opium illud, quod habemus, ut plurimum eſt meconium Dioſcoridis, quod fit ex ſucco foliorum & capitum

papa-

papaveris expreſſo, opium verò eſt lacryma. Eſt autem meconium opio longè inefficacius ex Dioſcoride, eſtque eadem ſententia Matthioli in Epiſt. Unde ut noceat, majore doſi quam opium exhiberi debet. Scribit autem Dioſcorides opium ſumptum ervi magnitudine dolorem finire, concoquere, ſomnum allicere; ſed ſi copioſius ſumatur, nocere: Scribitque quendam Mneſidemum ſolum illius uſum in olfactu probare, quoniam ad conciliandum ſomnum conveniret, alioqui ut noxium prohibuiſſe, ſed addit Dioſcorides, *Quæ commentitia eſſe experimento deprehenduntur, ſi quidem effectus virium hujuſce medicamenti fidem faciunt. Secundò* notandum ex Galeno narcoticorum varia eſſe genera, quædam enim humectant, alia ſiccant, quæ humida ſunt ut cicuta, mandragora noxia ſunt, ſicut & quæ tota ſubſtantia nobis infeſta ſunt, ut ſolanum ſomniferum, quæ in uſum adhiberi nunquam ſolent à Medicis ad ſomnum conciliandum. Sed quæ innoxiè intus ſumuntur, ſiccandi poteſtatem debent habere, id docet *Galenus* 5. *Simplic.* 18. ubi ſcribit hypnotica refrigerant corpus, & ad id aptiſſima eſſe quæ deſiccant. Et primo de ſymptomatum cauſis ſcribit, ea quæ refrigerant & humectant, non ſomnum, ſed coma, ſtuporem & caron facere. Quæ verò exſiccant ut opium,
minus

minus noxia eſſe. Igitur ex ſententia Dioſcoridis & Galeni non eſt adeo formidandum opium moderatè ſumptum. Plurima quoque medicamenta in officinis ſervata opium recipiunt, ut theriaca, mitridatium diaſcordium, philonium, vetereſque Medici omnibus fermè antidotis illud admiſcere ſolebant, ipſoque admodum familiariter utebantur in variis morbis, imò etiam interdum pejora uſurpabant, *Hippocrates* 2. *de morbis* utitur hyoſciamo & mandragora ad febrem quartanam. *Aëtius* ad eandem præſcribit opium cum myrrhæ, piperis & caſtorei æquis partibus. Nos autem hoc tempore ſecurius utimur opio rectius præparato & correcto per extractiones chymicas, ut laudano, cujus grana duo triave, & ad ſummum quatuor ſufficiunt, ubi tamen non adeſt opii, illiuſque rectè præparati granum unum. Cum igitur noſtrum opium ſit ut plurimum meconium Dioſcoridis, quod opio longè ignavius eſt, & propterea majori quantitate præſcribi poſſit, doſis illa grani unius vel alterius nocere nequit. Dioſcorides opium ad ervi magnitudinem præſcribit. At nos pilulam Laudani damus ervi magnitudine, cujus tertia pars non eſt meconium. Rationem ſanè non video cur adeo ſit formidabile opium, modo ritè præparetur, & cætera omnia curioſè attendantur, quæ in narcoti-

corum exhibitione *Galenus* obſervari vult. alias haud dubiè nocere poteſt. Hic obiter notandum eſt varias eſſe deſcriptiones iſtius laudani, plurimas valdè ineptas; In quodam laudano opium lento ignis calore exſiccatur; In alio præter opium alia inſunt narcotica, ut hyoſcyamus, & ſimilia opio periculoſiora. In alio adduntur plurima correctiva dicta, ut ſalia perlarum, corallorum, tinctura auri, & plurimà ejuſmodi inutilia, quæ prætium remedio, non autem vires addunt. Ut in laudani operosâ deſcriptione quam *Quercetan. ſine judicio* ſcriptis tradidit. Laudanum autem illud, de quo loquutus ſum, præparatum intelligo ſecundum Pharmacopœæ Londinenſis deſcriptionem, quæ & minùs operoſa eſt & optima.

Caput XLV.

De ſomniferis capiti applicatis.

Qui opium reformidant, ſatis eſſe putant, ſi ad ſomnum conciliandum externis utantur remediis capiti & naribus admotis, ut frontalibus, & unguentis. *Mneſidemus apud Dioſcoridem*, ut ſupra diximus, opium tantùm probabat olfaciendum, non ſumendum. Sed hic monendum ejuſmodi externa remedia non ſemper optatum effectum conſequi, quià vires ſuas ad cerebrum

vix

vix tranſmittere poſſunt fronti admota. *Primò* quia ſæpius ut oportet non renovantur, unde in fronte incaleſcunt, ſic poſtea caput magis calefaciunt, & ſomnos potius prohibent quàm alliciunt, unde rectè monet *Galenus* in libris methodi variis in locis, ut ejuſmodi refrigerantia topica ſæpiùs renoventur, ne ubi ſemel à corpore incaluerint, illud iterum magis calefaciant. *Secundò* quoniam os frontis ſolidum eſt, denſum, & à cerebro ipſiuſque ventriculis longius ſemotum quàm reliqua capitis oſſa, unde difficiliùs topicorum vires per ejuſmodi os ad cerebrum permeant, unde *Galenus* rectius topica non oſſi frontis, ſed ſuturæ coronali quæ capillo tegitur applicare jubet, ſive refrigerandum ſit, ſive calefaciendum, quia oſſa ſyncipitis rariora ſunt, laxiorque eſt illorum compages, & ſynarthroſis, *ex lib. 2. de Medic. ſecundum locos.*

Caput. XLVI.

Fomentationes factas per veſicas eſſe minus efficaces.

Inter topica remedia apud Medicos ſatis celebris eſt uſus fomentationum, quæ fiunt ex liquore quodam partibus applicato ad varias intentiones, ad partes calefaciendas, obſtructiones ſolvendas, dura emollien-

da, dolores ſedandos, humores digerendos & diſcutiendos. Fiunt autem ex liquore idoneo, præſertim ex decocto multorum ſimplicium, aut ex oleo, lacte, & ſimilibus; Quos liquores plurimi veſica includunt, ne linteamina, & ſyndones lecti humectentur, quod poſtea ægris admodum tædioſum eſt. At ſic inutilis redditur prædictus apparatus, variorum ſcilicet ſimplicium permiſtio, & decoctio; Virtus enim illorum per veſicam in corpus non ſubit, ſed ſolus calor operatur, unde ſi pars quæpiam ſolummodo calefacienda ſit, poteſt ejuſmodi fotus fieri ex veſica quicunque demum liquor includatur. Sicut & ſi demulcendus ſit dolor, humoreſque digerendi calor enim virtute ſua hæc operatur, ſed ſi obſtructiones ſint ſolvendæ, aut aliquid in corpore molliendum, veſica minùs eſt utilis, ſed vel linteis, vel filtris, vel pannis laneis, vel ſpongiis liquore idoneo imbutis utendum, ſic remedii vis parti applicata per cutis poros in corpus altiùs ſeſe inſinuat, illicque vires ſuas expromit, interdumque humores ex alto ad ſuperficiem allicit, ſicut qui Balneo tepido lavantur, ſentiunt etiam in partibus internis illius effectum. Quanquam igitur veſicarum applicationem ad fotum corporis non improbem, minus utilem tamen ob cauſas prædictas eſſe crediderim.

Caput XLVII.

De applicatione Catulorum & Columbarum plantis pedum.

NOn ſolum populus ſed etiam Medicorum quamplurimi columbas juniores, catuloſve per medium diſſectos pedibus applicare conſueverunt, quem morem hoc loco non improbo, ſcio enim cum maxima ægrotantium utilitate ſæpe id factum fuiſſe. Sed quoniam pauciſſimi capiti applicare ſolent, hac de re hoc capite agemus. Veteres enim atque etiam recentiores ſæpius capiti applicare jubent, rarò aut nunquam pedibus. Solet hujuſmodi remedium in cerebri morbis, phrenitide & delirio uſurpari. Eſt autem phrenitis inflammatio Cerebri vel membranarum ejus, cujus hæc eſt omnium Medicorum conſenſu curandi ratio, ut in principio omni revulſionum genere Medicus utatur, & capiti ipſi repellentia admoveat ut humores fervidi à capite retrocedant. Verum ſi his artibus prohiberi morbus non poteſt; In augmento & ſtatu morbi ad reſolventia veniendum, quæ in augmento repellentibus primum admiſceantur, ſed in ſtatu morbi mera ſint reſolventia. Cui indicationi ut ſatis fiat, *Galenus* 13. *methodi cap.* 2. utitur ſpondylio, thymo, ſerpillo, & aliis

aliis ejuſmodi calidis in oleo decoctis, docetque phrenitidem in ſtatu, & lethargum eandem habere curandi rationem, quoniam in utroque affectu iiſdem reſolventibus remediis eſt utendum, ubi etiam ſinapi, & caſtoreum, quæ admodum calida ſunt, probat. Et ejuſmodi calida in ſtatu & declinatione non calefaciunt, ſed reſolvunt. Eſt enim hæc omnis inflammationis recta curandi ratio, ut in ſtatu & declinatione digerentibus & diſcutientibus utamur, nam ut docet *Gal. 1. Simplic. cap. 4, Refrigerant digerentia ex acc[illegible]te inflammationem.* Unde 1. *ad Glauconem cap.* 15. in dolore capitis in febribus, & 2. *de Medic. 2. locos* ejuſmodi digerentibus utitur, poſt univerſales ſcilicet vacuationes. Recentiores autem pullos columbinos, & catulos diſſectos, & pulmones Arietis recenter calentis uſurpant, quæ remedia etſi veteres ignorârint, eidem tamen indicationi aliis ſimili virtute reſpondentibus medicamentis ſatisfaciebant. Jam verò quando catuli, aut columbæ plantis pedum applicantur, id fit vel ad revulſionem, vel ad reſolutionem materiæ morbificæ. Non quidem ad revulſionem, quia vix unquam iis utitur populus præterquam in ſtatu, aut declinatione morbi: revulſio autem in principio fieri debet, tum quia horum calor blandus eſt admodum, nec

ſatis

ſatis potenter ad ſeſe attrahit, nam quæ revulſionem ad diſtantiſſimas partes faciunt, debent eſſe calidiſſima, & ferventiſſima, ideo *Galenus lib. de revulſione* docet acria eſſe debere, quæ ſuccos ad caput & viſcera vergentes revellunt. *Oribaſius* 8. *collect. cap.* 19. idem dicit. Nam attrahunt calore & dolore. Pulli autem columbini reſolvunt abſque magno calore, quapropter etſi attrahere credam, id tamen leviter tantum, & non à longinquis partibus, ob blandum calorem. Nec faciunt etiam ad reſolutionem, nam topica quæ id præſtare debent, parti affectæ ſunt applicanda, quis enim credet ad humores cerebro impactos reſolvendos pedibus applicanda eſſe remedia. Et hæc eſt ſententia omnium authorum ad unum, qui de morbis capitis ſcripſerunt. Non tamen improbo hanc applicationem plantis pedum, quia juvare aliquantulum poteſt, nocere autem non poteſt. Familiare eſt apud Monſpelienſes, ejuſmodi pullos columbinos per medium diſciſſos, cum pulveribus cardiacis cordi epithematis inſtar admovere, ad robur cordi conciliandum, & vires recreandas, quia calorem habent blandum, & noſtro calori familiarem & amicum.

Caput XLVIII.

De unguentis Armariis.

QUoniam à quibuſdam magno eſt in pretio unguentum dictum *Armarium*, *ſympathicum*, *magneticum*, *ſtellatum*, quod non parti affectæ, ſed telo vulneranti admotum vulnerum curationem perficere creditur, de eo paucis agemus, quoniam non pauci nunc eo uti incipiunt. Fuit hoc inventum quorundam Germanorum, maximè Theophraſti Paracelſi, quem ſequuti ſunt Goclenius quidam, Crollius quoque qui diverſam à Paracelſica hujus unguenti deſcriptionem attulit, aliique quorum pars Paracelſi, pars altera Crollii deſcriptiones ſequuntur. Volunt autem quidam hoc eſſe Dei donum quam maximum, ut tanta cum facilitate vulnera curentur, eſtque tantùm artis chyrurgicæ compendium, ut deinceps chirurgica ars negligi debeat, cum unico remedio vulnera & ulcera curari poſſunt. Sed tamen conquerendum videtur de natura, quæ tam elegans remedium hactenus occultum eſſe voluit, & ignotum Adamo, Patriarchis ſanctis viris, Judæis, primis Chriſtianis, & viris doctiſſimis. Sed revelaverit ebrioſis, temulentis, ſcortatoribus, aleatoribus, Magis, qualem fuiſſe iſtum *Paracelſum* fama eſt, ipſius

ſi us popularibus ita ſcribentibus, & confitentibus. Reliqui meo judicio tam obſcurè ſeſe explicant, ut quid voluerint ipſos neſciviſſe admodum veriſimile ſit, nec movere quenquam debet, quod *Goclenius* ſcribit ſe nominare poſſe Imperatores, Reges, Principes, qui huic unguento teſtimonium perhibeant: nam forſitan fucum fecerunt hujuſmodi Principibus quidam nebulones, quod non eſt impoſſibile, ſed ipſum *Goclenium* ignotum fuiſſe Regibus, & Imperatoribus certiſſimè credo. Sed his omiſſis *primò* notandum componi iſtud unguentum ex muſco (quem uſneam vocant) in cranio hominis eﬄoreſcente, quia hæc eſt quædam cranii quaſi eſſentia quinta purior, magiſque ſpirituoſa ſubſtantia, ut quidam reliquis doctior ſibi perſuaſit. Violentâ morte peremptum hominem elegit *Crollius*: quem ſuſpenſum præfert ipſius commentator *Hartmannus*; *Quia cum ſtrangulantur ſpiritus naturales & vitales ſurſum feruntur, & cum ob cranii duritiem exire non poſſint, ſimul cum animalibus coërcentur, & temporis progreſſu in unum coaleſcunt, & foras ad cranii circumferentiam erumpunt, deinde accedente mercurio ſeu ſpiritu Mundi, per pluvias, rorem, nivem, pruinas, tanquam vehicula in hac inferiora effuſo, fit uſnea, quæ in ſe continet omnes virtutes naturales, vitales, animales, quas poſtea*

unguento communicat. Quis non admiretur in *Hartmanno* tam ſupinam naturalis Philoſophiæ ignorationem? Malè ſiquidem ſcripſit in ſtrangulatis ſpiritus naturales & vitales ſurſum ferri, cum tamen ſuſpenſi patiantur interceptiones vaſorum, venarum ſcilicet & arteriarum, per quas ſpiritus hi ſurſum feruntur, ut omnes norunt. Quin etiam, quamvis copioſiùs quam aliàs tunc ad cerebrum ferrentur, cur potiùs in ſuſpenſo, quam in vivo animali coërcebuntur, in quo tam facilis fit ſpirituum jactura, ſed quomodo antequam cranium muſcum hunc ſive ſitum contrahat, non diſſipantur & pereunt? Sed unde novit ſpiritus hos in ſtrangulatis ad cerebrum delatos in cranio potiùs quàm in cerebri ſubſtantia contineri? Nam in vivo animali ut plurimum ſunt in ipſo cerebro; Spiritus hi vel ſunt influentes, vel inſiti. Si ſunt influentes tantùm, certiſſimum eſt levi occaſione omnes poſt mortem diſſipari, quia non ſunt partes corporis, nec à viribus corporis viventis quæ perierunt, retinentur; Hinc perpetuo in vivente nova ſpirituum reparatio neceſſaria eſt, quia abſumuntur copioſi. Multò magis quando cadaver corrumpitur, per annos forſitan aliquot, antequam cranium omninò denudetur, & ad ſitum contrahendum aptum ſit. Non eſſe inſitos patet, quia inſiti ſunt immobiles, at hi ſpiritus

in

in ipſo ſuffocationis actu celeriter ad cerebrum feruntur. Nec credendum eſt poſt mortem, aut moriente animali fieri inſitos (quod videtur intellexiſſe Hartmannus, cum dicit temporis progreſſu in unum coaleſcere) nam ex influentibus fiunt aut reparantur inſiti, per nutritionis actionem, quæ non eſt in ſtrangulatis, quæ etiamſi foret, potiùs fieret in cerebro, quàm in cranio. Præterea ſpirituum ſubſtantia admodum tenuis eſt, & diſſipabilis, quomodo igitur, quando ad cranii circumferentiam erumpunt, nec ipſius duritie amplius concluduntur, non evaneſcunt in auras, ſed in craſſiſſimum putidumque muſcum concreſcunt? Id ſpirituoſa ipſorum ſubſtantia non patitur. Unde temerè ipſum addidiſſe patet, hanc uſneam continere omnes corporis virtutes, mirum quoque ſi non nutriatur, ſentiat, ac ratiocinetur. Mitto quod de ſpiritu Mundi blaterat, quem Mercurium Mundi vocat. At ſi datur ejuſmodi Mundi ſpiritus, per univerſum Mundum diffuſum illum eſſe neceſſe eſt, non autem per pluviarum, nivium, imbrium incertas viciſſitudines ad nos influere. His abſurdis baſis iſtius medicamenti concutitur. Sed fermè exciderat, quod iſtius uſneæ, baſis ſcilicet tam ſalutaris remedii, Crollius tantùm duarum avellanarum pondus, hoc eſt, interprete *Hartmanno* drachmam unam, unguen-

to ſuo admiſcet, ſed Paracelſus uncias duas neceſſarias judicavit, quamvis Paracelſi deſcriptio ſit tantùm unciarum novem; Crolliana verò ſit unciarum tredecim, tanta moles tam exiguæ baſi innititur. *Secundò* notandum, præterea in unguento ſecundum *Paracelſi* deſcriptionem adeſſe ſanguinem & adipem humanum, ſed Crollius hæc omiſit & rectè, ſi ſola uſnea omnes vires poſſidet, quod non tamen credidiſſe videtur *Paracelſus*, qui hæc addidit, ſed horum loco imponit adipem verris, apri, & urſi. Cur autem ſanguinem addiderit Paracelſus, rationem reddit *Hartmannus* ipſe, quia etſi ſpiritus volatiles evaneſcant, illi tamen qui ſali ſanguinis fixo inhærent, retinentur. At antea ſpiritus hos volatiles ad cranium delatos expetebat. Sed reverà ipſe Crollius inutiles eſſe putavit. Præterea *Paracelſus & Crollius* mumiam addunt, per quam author meus *Hartmannus* Ægyptiacam intelligendam cenſet. Quæ tamen ineptiſſimum eſt medicamentum, cum ab impoſtoribus fiat in Ægypto ex elephanticorum, lue venerea, aliiſque peſſimis morbis laborantium, & ſervorum quos emunt carne, condita cum pice & aſphalto. At *Paracelſus* ſæpiſſimè magni facit mumiam quam vocat patibuli, id eſt hominis ſuſpenſi carnem, quàm Crollium intellexiſſe probabile eſt, quia pinguedinem
hominis

hominis & ſanguinem omiſit, quæ tamen *Paracelſus* habet. Demum alia adduntur ſimplicia qualia reliquis poſſunt inſeri unguentis & emplaſtris, nam *Paracelſus* adjecit oleum lini, roſarum, bolum armenum, *Crollius* verò lumbricos lotos, cerebrum apri, ſantalum rubrum, hæmatitem. Hic conſiderare debet lector, hæc reverà eſſe duo unguentorum genera omninò diſcrepantia, nihilque habere commune præter uſneam, quam tamen *Crollius* exigua admodum quantitate addidit, & tamen duo hæc unguenta idem præſtare dicuntur, quamvis *Crollius* ea omiſerit, à quibus Paracelſici totam vim magneticam repetere ſolent. Imò alii etiam ipſam uſneam omiſerunt. *Tertiò* quidam in unguenti compoſitione obſervant ſyderum aſpectus, varioſque concurſus. Uſneam abradit *Crollius* Luna creſcente, & in domo Veneris aut alia bona domo exiſtente, non autem Martis & Saturni, vultque unguentum parari, quando Sol eſt in Libra. Alii verò rectius hæc negligunt: Si enim virtus unguenti magnetica eſt, id eſt, eadem vi curat vulnera, quâ magnes trahit ferrum, ſiderum concurſibus opus non eſt, cum inſit à natura, ſicut magnes quolibet tempore, & ſub quolibet ſydere ferrum trahit, & polum ſpectat. *Quartò* quidam telum inungunt, illudque poſtea accuratè ligant, calidum ſer-

vant à pulvere & vento intactum, aliàs inquiunt doloribus torquentur ægri ſi refrigeratum, nec deligatum telum jaceat. Quidam tamen ſola immerſione teli in pixidem unguentariam, abſque ulla deligatura curationem ſe perfeciſſe aſſerunt, quod *Paracelſus* tantummodò requirit. *Quintò* ſi telum quod vulneravit defuerit, vel lignum maximè ſalignum ex Crollio, aut feſtucam, aut aliud quippiam ſanguine ex vulnere manante perfundunt, illique adhibent remedium. *Sextò* jubent ut quotidie vulnus ægrotantis urina lavetur. *Septimò* conſiderari vult *Crollius* an punctim vulnus ſit factum, tunc enim ungi debet telum ſuperiùs non inferiùs deſcendendo, quod tamen non curâſſe videtur *Paracelſus*, qui ſolam immerſionem teli in unguentum commendavit. *Octavò* notandum eſt, omnia fermè curationum exempla quæ afferri ſolent, eſſe tantummodò vulnerum ſimplicium in carne, in quibus nulla eſt ſubſtantiæ deperditio, ſed unica ſolum indicatio, ſcilicet unitio. *Nonò* hanc hujus effectus rationem quidam reddunt, ſpiritus ſcilicet eſſe in ſanguine, & propter familiaritatem ac ſympathiam ſpirituum humanorum inter ſeſe fieri unguentum ex hominis ſanguine, adipe, carne, & cranii muſco, in quibus ſpiritus continentur. Hinc fieri ut quando vulnerati ſanguis unguento admovetur, propter

ſym-

ſympathiam ſpiritus ſanguini inſiti, junguntur cum ſpiritibus unguenti ipſis homogeneis, ſicque vires unguenti ſuſcipiunt, ac vehunt ad ipſum vulneratum. Nec tantùm unguenti vires, ſed & affectiones quæ ſequuntur unguentorum adminiſtrationem, quales ſunt quæ ex deligatura aut arcta nimis, aut laxiori contingere poſſunt. tum eas quæ ſequi poſſent ſi in loco frigido, aut nimium calido apertum vulnus relinquatur. Eſtque tanta vis horum ſpirituum, ut ab oriente in occidentem, à meridie in Septentrionem vim unguenti deferre poſſint. *Crollius* verò fatuos vocat omnes qui curam hanc magicam eſſe putant, eamque fieri vult per vim magneticam, attractivam, à ſyderibus cauſatam, quæ mediante aëre vulneri conjungitur, idque propter ſympathiam naturæ, balſamum ſanguinis, quod eſt in quolibet homine, & influentiam corporum cœleſtium. Et ſic explicat *Hartmannus*, cum telum inungitur, ſal fixus ſanguinis in telo attrahit vi magnetica ſpiritum animalem ex unguento, qui duo ſpiritus interveniente ſpiritu Mundi, amicabili nexu & copula uniuntur. At ſi non poteſt ſpiritus qui eſt in ſanguine teli, attrahere ſpiritum unguenti, abſque inunctione, id eſt contactu corporeo, quomodo magnetica vi illum attrahere dicitur.? Vult autem ſpiritum hunc Mundi

eſſe

eſſe per cuncta diffuſum, omnium idealium ſeminum, & rationum vectorem, omnia complexu ſuo conciliare, activa paſſivis applicare. Hinc fit ut quicquid commodi vel incommodi ſpiritus ille extra venas coagulatus ſentit, idem ſtatim congeneri ſuo in venis reſidenti ſympathicè communicat. Inde fit cur æger doleat ſi telum igni admoveatur aut aëri frigido exponatur; & vice versâ ſi æger cæpas, ſinapi, aut allium comederit, id ſtatim in telo obſervetur, quia ſcilicet hi ſpiritus ſuas paſſiones ſibi invicem communicant. Ex prædictis facillimum erit demonſtrare vanitatem iſtius curationis, cujus me nullum unquam feciſſe periculum, nec cupere, confiteor. Vanam tamen eſſe ex eorum principiis ſpero me demonſtraturum. Nam fundamenti loco multa ponunt admodum dubia & incerta, ut quæ de ſpiritu Mundi fabulatur *Hartmannus*, quem adeſſe nullus hactenus potuit demonſtrare, quem eſſe per omnia diffuſum ſcribit, cum tamen paulò antea ſcripſiſſet eum per pluvias, rores, pruinas, tanquam vehicula in hæc inferiora effundi, & ſic tempore admodum ſereno abeſſe poteſt hic ſpiritus, quando forſan ipſum adeſſe maximè oportebat. Et ne ſpiritalem & incorpoream ſubſtantiam intelligamus, *Mercurium Mundi* illum vocat, & ſanè corporeus eſſe debet qui corporeo vehiculo indiger.

get. Supponit quoque ſpiritus in ſanguine etiam corrupto eſſe perpetuos, & inalterabiles, cum tamen ſanguis etiam in ipſo corpore & in venis, ita corrumpi poſſit ut formam ſuam amittat, multo magis extra venas, & haud dubiè qui in unguento ſanguis eſt, formam ſuam omnino amiſit, & ſpirituum ſuorum efficaciam, & ſic analogia illa & ſympathia ſpirituum vulnerati & unguenti, multum eſt labefactata. Quod autem magicam hanc curationem quidam vocant, non eſt improbabile, quandoquidem ejuſmodi virtus ſanandi, quæ in unguento eſſe dicitur, ſpiritu Mundi, id eſt Dæmone, qui princeps Mundi dicitur, vectore indiget. At ego potiùs falſam hanc curandi rationem eſſe crediderim, quam magicam; quoniam plurimi eam ſequuntur, qui ab ejuſmodi ſcelesto crimine ſunt valdè alieni; Nec obſtat experientiam veritatem hujuſce curationis adſtruere, nam tantum vulnera ſanata ſunt quæ ſponte naturæ abſque ulla artis ope potuiſſent ſanari, & proinde adhuc dubium eſſe poteſt, utrum virtute unguenti curatio perfecta fuerit, ut dicemus inferius.

Primò igitur falſum eſt, ejuſmodi unguentum eſſe donum Dei magis peculiariter, quàm alia unguenta & remedia eſſe ſolent, cum ex illorum confeſſione tota hæc curatio fiat per agentia naturaliter operantia.

tia. Fatendum quidem eſt, omnia eſſe dona Dei, quæcunque edimus, bibimus, ad humani corporis ſanitatem adhibemus. Verum hoc ſenſu illi non vocant unguentum iſtud donum Dei, ſed κατ' ἐξοχὴν quia Deus miraculosè illud homines docuit, quaſi omnis ſcientia & diſciplina remediorumque cognitio non ſit à Deo, qui ex terra creavit Medicinam. Sed videamus porrò an curatio hæc ſit poſſibilis. Magnas quidem & varias eſſe rerum ſympathias, & antipathias oſtendit experientia, quarum rationes reddere eſt impoſſibile. Verum omnes intra quandam activitatis ſphæram continentur, & terminantur. Videmus quotidie magnetem non niſi intra certam diſtantiam trahere ferrum. Quidam felium præſentiam ferre non poterat, etiamſi eos minimè videret, expulſis è cubiculo felibus objectu parietis, vel oſtii redibat ad ſeſe. Et ſic de aliis omnibus. Nulla efficacior ſympathia eſt, quam quæ eſt inter cœlum & inferiora; quoniam omnia circumflexu ſuo continet, ſummaque agendi vi præditum qualitates virtuteſque ſuas quoquoverſum diffundere poteſt, ita ut inferior hic orbis, & quælibet illius particula, ſit intra ſphæram activitatis corporum cœleſtium. Videmus tamen elangueſcere iſtam ſympathiam diſtantia locorum. Magnes ſpectat polum arcticum, quo autem longiùs à polo remo-

removetur, ab eo magis declinat, ita ut ſenſim non polos Mundi, ſed Zodiaci ſpectet, & forſitan aliam potius cœli partem, quam ipſum Boream. Si id verum eſt de cœleſtibus, verius erit de inferioribus. Quomodò ergò poteſt vis iſtius unguenti interdum tam procul deferri, nec objectu ædium, marium, montium, murorum, ventorum, arcæ in quâ cum telo ipſo ſæpè concluditur, interturbari, maximè cum devehentes ſpiritus ſint corporei, qui objectu aliorum corporum poſſunt impediri, aut ſaltem quo magis diſtat objectum, eo magis ipſius virtus imminuitur: verendum ſumma cum ratione ne in longiore locorum intervallo, unguenti vires penitus evaneſcant. Scribit *Hartmannus* fieri communicationem hanc per vim magneticam, eodem modo quo cadaveris odor vulturibus communicatur per multa milliaria. Attamen odores in quolibet ſpatio non diffunduntur, & variarum rerum præſentia poſſunt interturbari, ut à ventis, pluviis, aliiſque ejuſmodi rebus. Malè quoque *Goclenius* exempla plurium ſympathiarum adduxit: non ſequitur enim, ſi in variis rebus dantur ſympathiæ, ergo & in unguento. Deinde ſympathia quæ dicitur eſſe in hoc unguento, longè diverſa eſt à ſympathia rerum aliarum, quæ vires ſuas per inſenſiles affluxus in aërem diffundunt, nec ſpiritu Mundi tan-

quam-

quam vectore indigent, & nunquam niſi objecto præſente fiunt, & intra certum ſpatium finiuntur. Eſſe autem certas quaſdam ἀπορροίας oſtendit magnes, qui allio perunctus ferrum non allicit, indiciò non ſolius qualitatis, ſed etiam ſubſtantiæ alicujus tenuiſſimæ fieri effluvium. *Secundò* non fit legitimus contactus agentis & patientis; non enim vulnus ipſum attingit, ſed telum tantùm abſens, quod nec morbi, nec ſanitatis eſt ſubjectum, & quod curari non poſtulat. Unde non abſurdè dixit quidam, illum qui telum ligat ut vulnus ſanetur, idem facere ac ſi quis lapidem frigidum qui manum refrigaverit, operiat, ut eadem manus caleſiat. Nec dicat quiſpiam fieri contactum virtutis deferente ſpiritu Mundi vim unguenti ad vulneratum, nam ſpiritus hic Mundi, ſi talis datur, communis eſt omnibus rebus quæ Mundo continentur. Aliter ſpiritus Mundi non foret. Et tamen in aliarum rerum ſympathiis non operatur, nam abſente objecto nullæ ſunt. Et præterea virtus hæc unguenti ſympathica, quæ cum ſpiritu Mundi tam amica ſocietate connectitur, non ſita eſt in re artificiali quâ talis, ſed in quapiam re naturali, dicere deberent quænam in unguento ſit res illa naturalis, cui peculiariter cum ſpiritu Mundi tanta eſt familiaritas. Sicut nos Galenici dicimus in quo libet orga-

organo eſſe quandam partem peculiarem, quæ eſt ſedes facultatis,& à qua præcipuè pendet actio: haud dubiè idem fieri debet in hoc unguento, nam omnia ſimplicia quæ illius compoſitionem ingrediuntur,non poſſunt æquè primo cum ſpiritu Mundi ita conſentire, ut illorum vires de loco in locum transferat ad arbitrium inungentis. Curatio igitur fiet vel à ſimilitudine teli ad vulnus obligandum, at in relationibus nulla eſt agendi efficacia, quin potiùs inter telum, & vulneratum antipathia eſſe deberet; Aut virtus quædam dimanat ab unguento ad vulnus (nam ſecundum Crollium unguentum eſt glutinantis & ſuppurantis naturæ) at non ſe tangunt. Nec ſufficit iſta ſympathia naturæ quam curationis cauſam cum balſamo naturali conſtituit Crollius: Nam ſi ulla eſt ejuſmodi ſympathia, inunctio erit ſupervacanea, virtutes enim quæ per tanta locorum intervalla deferuntur magnetico more, non egent corporea applicatione. At in hoc unguento fit contrarium, quoniam ſine armorum inunctione nihil præſtat; Igitur ejus actio eſt materialis, & reliquorum unguentorum more, operari non poteſt abſque contactu corporeo, ut apparet ex inunctione. Si enim operari poſſet magneticè contactu corporeo, fruſtra eſt inunctio; Imò fruſtra obſervat Crollius modum inungendi in parte ſu-
perior

periori vel inferiori teli, nam poſſet vis ejuſmodi vulneraria ex pixide unguentaria ad omnes demum vulneratos diffundi, nam cum omnibus habet ſympathiam. Cum igitur non operetur abſque applicatione corporea & certo inungendi modo, certum eſt reliquorum remediorum more tantum agere poſſe in rem cui admovetur, non autem ulterius. *Tertiò*, cur in unguento admiſcentur ſanguis, adeps, & muſcus oſſium humanorum; An propter ſpiritus qui rebus hiſce etiam corruptis ineſſe creduntur. At plures ſunt in corpore ejuſmodi ſpiritus, quam in unguento, aut in effuſo ſanguine vulnerati. Igitur vel vis unguenti ſanat, vel vis ſpiritus deferentis. Si vis unguenti curationis cauſa eſt, vel ſita erit præcipuè in adipe, ſanguine, & uſnea, vel in aliis remediis naturalibus unguento additis, oleis ſcilicet, & pulveribus. Si à prioribus pendet vis unguenti, inutile erit unguentum, quia in ægrotantis corpore, jam hæc antea inſunt multò & copioſiora, & efficaciora. Si verò pendet ab aliis ſimplicibus, quæ ſubeunt unguenti compoſitionem, fruſtra adduntur priora, ſanguis ſcilicet, adeps, & uſnea, quia nullas dant vires unguento. Sic quodlibet remedium vulnerarium, ſi vulnerati ſanguis ipſi admoveatur, poterit curare vulnus magneticè, deferente ſcilicet ſpiritu vim unguenti

guenti ad partem affectam. Et revera nulla ratio eſt, ſi hæc ſympathica curatio eſt naturaliter poſſibilis, cur omnibus unguentis non conveniat, & ſanguis & uſnea non propter vim curandi, ſed propter ſympathiam tantùm unguento admiſceantur. Sicut, ſi detergendum vulnus eſt, ſumatur ſanguis patientis, cui admoveatur detergens unguentum, ſpiritus qui ſunt in ſanguine, propter ſympathiam, mediante ſpiritu mundi, vim illius unguenti deferent ad vulneratum, ſic fiet curatio. Poteſt pariter quodlibet remedium fieri ſympathicum, ſic poterunt purgationes inſtitui, aliæve Medicorum intentiones perfici, admoto ægrotantis ſanguine cuilibet convenienti remedio, cujus virtus poſteà ad ægrum devehatur, mediante ſpiritu Mundi. Quod ſi vis ſpirituum ipſorum ſanandi vim habet, cum plures in corpore remaneant, fruſtra vis unguenti imploratur. *Quartò* apparet ex circumſtantiis inutilem eſſe ejuſmodi curandi rationem. Dicunt enim ex ligatura vel laxa nimium vel compreſſa, eadem in ægris contingere ſymptomata, quæ ex ejuſmodi deligatione accidunt, quando corpori adhibetur. Symptomata autem hæc vel proveniunt ab unguento, vel à deligatione. Non ab unguento, quia vim ſanandi habet, non autem nocendi; nec à deligatura, quia res artificialis

non

non habet vim operandi ad diſtans, & in aliud ſubjectum quàm cui admovetur. Unde quia *Crollius* varias applicandi formulas præſcribit, ſuſpectum eſſe debet ejuſmodi unguentum, nam in rebus naturalibus ejuſmodi artificioſa ungendi ratio vim immutare non poteſt, & ex beneficia noxiam facere ſicut pariter in magnete apparet. Nec etiam ab utroque dependet, quia vis unguenti magnetica, cum ſtatuatur eſſe prorſus naturalis, & unguento inſita, provenit ab agentibus naturaliter operantibus, qualia ſunt ſimplicia ex quibus componitur, non autem ab artificialibus, quæ à mero inungentis arbitrio pendent. Præterea dicunt, quicquid commodi vel incommodi ſpiritus ille qui eſt in ſanguine teli ſentit, idem congeneri ſuo in venis ſympathicè communicare, inde fit ut æger doleat, ſi telum igni, aut aëri frigido exponatur. At ſic non ſolum unguenti virtus vulneraria, ſed etiam frigus externum habebit vim magneticam, quod eſt abſurdum. Poſſet ſic noxia illa refrigeratio, à telo refrigerato ad ægrum deferri, per medium fervidum ut in ſummis æſtatis ardoribus. Si igitur in Boreali regione telum inungeretur, patiens verò eſſet in Africa regione fervida, telo ex ſuppoſitione refrigerato, æger in Africa etiam forſan juxta ignem refrigerabitur. Id autem cum non poſſit

fieri

fieri niſi per aërem, ut fatetur *Crollius*, aër Borealis habebit vim refrigerandi aërem Africanum, quod, quis non videt, eſſe abſurdiſſimum? Sed quærerem præterea, cum mutua ſit ſpirituum ſympathia, & ſcribant aſſertores curationis magneticæ, vice verſa ſi æger pravam obſervaverit vivendi rationem, & allium, cæpas, ſinapi comederit, id ſtatim in telo obſervari. Si juxta ignem in Africa æger decumbat probè calens, telum autem inunctum aëri frigido exponatur in Boreali regione, cur potiùs æger refrigerabitur, quam telum incaleſcet, quia volunt illi ſpiritus iſtos ſuas paſſiones ſibi invicem communicare. Externæ illæ affectiones ut refrigeratio, vel calefactio ſpiritibus accidunt, vel ab unguento, vel non. Si non, ægrum non afficient, quia unguentum neceſſarium eſt propter vim magneticam quæ ipſi ineſt, non autem in ambiente aëre, ut aliis rebus externis, & propter ſolum unguentum à telo ad ægrum fit virtutum communicatio. Nec ab unguento, quia nec refrigerandi, nec calefaciendi virtutem habet. Sunt igitur hæc externum quid, nec μονιμὸν & pro ambientis alteratione permutantur, nam in calido aëre, probè deligato telo & operto, tum ſpiritus, tum unguentum incaleſcent, & contra. Tunc quæro, quomodo in via ab aëre iterum non refrigerantur,

poſſunt enim transferri per ejuſmodi medium quod frigidum eſt, ſicut venti naturâ frigidi per plagas calidas tranſeuntes ipſi caleſiunt, ut ſunt meridionales. Pariter ſi quiſpiam vulnere, vel venæ ſectione, vel hæmorrhagia, aut alio modo plures ſanguinis uncias amittat, mirum eſt quomodo alterato, & refrigerato illo ſanguine, varia non patiatur æger ſymptomata, ſi tanta eſt ſpirituum inter ſeſe ſympathia, ut quæ commoda vel incommoda ab externis cauſis patiuntur, congeneri ſuo in venis communicent: ſic ſpiritus illi refrigerati corpus illud â quo effluxerunt iterum refrigerare poſſunt. Si effuſi ſanguinis gutta una vel altera quæ in telo remanet, inunctione unguenti, corpus vulneratum calefacere poteſt, ſi in calido loco ſervetur, quia ſcilicet ipſi ſpiritus incaleſcunt, mirum eſt cum reliquus ſanguis effuſus, qui plures & copioſos ſpiritus poſſidet, relinquatur, rejiciatur, aëri exponatur, corpus pariter eodem tempore non refrigerent, cum in majori quantò ſemper major ſit virtus, ſi idem ſanguis uratur, quidni æger ignis ardorem ſentiet, aut ſi ſanguis ille putreſcat, quomodò corpus ipſum quoque non putreſcit, ſi tanta eſt affinitas inter effuſos ſpiritus, & corpus à quo profecti ſunt? Quæro pariter ſi telum deſit, ſufficiet ſecundum illos aliud telum, aut lignum ſalig-

ſalignum guttula una ſanguinis, ex vulnere profuſi, inungere. Si igitur quo tempore vicario huic telo curioſè inunctio admovetur, priùs illud telum quod vulnus inflixit, aut in ignem, aut in aquam projiciatur, cur æger non indoleſcet, refrigerabitur, aut ardebit. Nulla enim eſt ratio cur ab unâ particula ſpirituum patiatur potiùs quàm ab aliâ. Abſurdum ergò eſt, ejuſmodi calefactionem, vel refrigerationem magneticè communicatam confingere. Obſervabit igitur Lector quæcunque illi dicunt de ſympathiâ ſpirituum inter ſeſe, vera tantùm eſſe apud illos de particulâ illâ ſpirituum, quam fingunt uniri cum ſpiritibus unguenti per inunctionem,& omnia quæ corpori vulnerato accidere dicunt ſymptomata ſive bona, ſive mala, indè omnia proficiſci. Sed Spiritus qui ſunt in reliquo ſanguine effuſo nec nocere, nec prodeſſe, ſic illorum ſympathia evanuit, cum tamen ſint ejuſdem ſpeciei cum reliquis ſpiritibus. Et quis hæc credet non eſſe Magica, maximè ſi magorum actiones cum iſtis comparentur. Quis non legit familiare eſſe Magis cereas effigies facere, quarum ope multa damna intulerunt, & præcipuè quod calefactionem hanc ad diſtans ſpectat, ſcribit Virgilius in Pharmaceutria, *Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit, Vno eodemque igni, ſic noſtro Daphnis amore.* Referunt

runt etiam hiſtoriæ apud Hectorem Boëtium, & alios quoſdam in imagine cerea ad ignem plus ſatis incaleſcente, fuiſſe lento quodam igne aſſatos, ut Duffum Regem Scotorum? Sic in abſentes calorem, frigus aliaſque affectiones ad lubitum inducunt, quæ naturaliter fieri non poſſe omnes confitentur. Quis non audivit ſagas unguento Magico delibutas per aërem vehi? Sed clariſſimè ad rem noſtram facit quod ſcribit *Paracelſus de morbis inviſibilibus*, ſi quiſpiam ſit læſus, eſſe effingendum pedem, vel manum, aut aliud membrum ad formam ejus quod ægrotat, vel etiam imaginem totius corporis, atque illam eſſe inungendam, & obligandam, non dolentem hominem, imò & aliis morbis decumbentes pari modo eſſe ſanandos ſcribit. Quis hæc naturaliter fieri credat, & tamen non minùs facilè eſt hic recurrere ad virtutes magneticas, & ſympathias, ſpiritumque Mundi, quàm in unguento armario. Hic ſunt exempla curationum Magicarum ad diſtans, quæ omninò ſimiles ſunt inunctioni teli, nam ſicut imago inungitur & obligatur ad curandum vulnus, ſic & telum; & ſicut imago igni admota, aut gelu impoſita abſentem urere, aut congelare ſolet, ſic & unguentum telo illitum; & ſicut Rex Scotorum apud Boëtium in cerea imagine fermè conſumptus fuit, facilè idem

idem vulnerato ex inuncto telo accidere poteſt, ſi qui inungit malitioſè telum ad ignem, aut eo loco collocet, ut damna ſua ægrotanti communicet, quis non videt idem eſſe poſſe maleficii genus? Si qui ope imaginis hæc præſtat diabolo vectore utitur, qui eſt ſpiritus hujus Mundi, veriſimile eſt eundem eſſe autorem iſtius curationis, quam magneticam vocavere, ut ſcilicet virus ſuum occultarent ſpecie naturalium actionum. Et meritò ob authores Magiæ ſuſpectos ipſum remedium ſuſpectum eſſe debet. Nam *Paracelſus & Crollius* variis in locis magiam laudant, & Medico neceſſariam eſſe volunt. Supponamus autem nihil hic adeſſe Magicum, curationem tamen falſam eſſe & inanem ulterius probabimus. *Quintò* igitur, ſi ſpiritus ſanguinis operatur omnia, & unguentum analogiam habet & familiaritatem cum ſpiritu qui eſt in ſanguine, cur pariter alii morbi curari non poſſunt, roboratis ſpiritibus, & balſamo ſanguinis: nam fatetur *Crollius* fieri curationem à balſamo ſanguinis, ſpiritus enim & balſami virtutes in corpore omnia perficiunt. *Sextò* ſi ſecundum *Hartmannum* ſal ſanguinis fixus abſque inunctione non attraheret ſpiritum ex unguento, ſequitur nullam hic adeſſe vim magneticam, quia contactus corporeus neceſſarius eſt, & hinc pariter ſequetur abſque

ſimili contactu corporeo non poſſe ad diſtans operari, nec vires ſuas uſque ad vulneratum diffundere. Sanguis vel vires habet in ſe ipſo, vel ab unguento. Si in ſe ipſo, fruſtrà eſt unguentum. Nec ab unguento, quoniam ipſum unguentum ſympathiam cum ſpiritibus ægrotantis, quam habere dicitur, obtinet à ſanguine, carne, adipe, & uſneâ, quæ illius compoſitionem ſubeunt, ratione ſpirituum, qui in illis rebus remanere creduntur, ſequitur unguentum nullas habere vires, quæ non anteà in ſpiritibus laterent; & ſic quoque fruſtrà eſſe unguentum concluditur. *Septimò* ſpiritus in ſanguine, adipe, uſneâ vel diverſæ ſunt, vel ejuſdem naturæ. Si diverſæ ſunt inter ſe naturæ, haud dubiè diverſas quoque habent vires; nec eandem cum omnibus ſympathiæ rationem, ſed ſpiritus ſanguinis cum ſanguine, ſpiritus carnis cum carne, ſpiritus uſneæ cum cranio majorem habent affinitatem. Propterea ut rectiùs curatio ſuccedat, & ſympathia ſervetur, præter ægri ſanguinem, & adeps, & oſſa illius deberent cum telo unguento imbui, ut completa curatio fieret, & magnetica virtus abſque errore ad partes affectas deferretur, ſiquidem non eadem eſt in prædictis ſpiritibus. Si verò ſpiritus hi omnes ejuſdem ſunt inter ſe naturæ, fruſtrà tam curioſè ſanguis, adeps, caro, & uſnea admiſcentur,

ſcentur, cum ſolus, ſanguis qui omnes iſtos ſpiritus complectitur, ſufficere poſſit. *Octavò* legi hiſtoriam equi cujus pedes clavo læſi fuerant, ad curationem clavus prædicto unguento fuit inunctus, ſicque equus convaluit, idemque etiam *Crollius* fatetur. Undè ſequitur eſſe quandam ſympathiam & familiaritatem inter unguentum iſtud & ſpiritus equi, fateturque vir quidam doctiſſimus, eandem virtutem balſamicam eſſe in homine, & in equo. Quæ ſi vera ſunt, fruſtrà præfertur ſanguis humanus equino, quæ enim ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe: imo vult *Crollius*, non equum ſolum, ſed & omnia animalia carnem & oſſa habentia, hoc unguento poſſe ſanari. Et reverâ ſi curatio hæc certa eſſet, etiam quodlibet unguentum vulnerarium non minùs idoneum foret, quoniam illius vires ad ægrum, mediante ſpiritu pariter deferri poſſent. *Nonò* cum vulnerum curatio non tantùm ſimplicium, ſed etiam maximorum & internorum à naturâ ſolâ ſæpiſſimè perficiatur: nam unire, carnem generare, opera ſunt naturæ non artis, & fateatur *Crollius* in hâc curâ magneticâ etiam balſamum naturale operari, mirum eſt cur non ipſi ægrotanti linimentum iſtud applicetur, cur ulcera non curet, cum omne vulnus tandem fiat ulcus, cum ex ulceribus etiam ſanguis exire poſſit, cum præcipuæ indicationes

vulneris, etiam in ulcere reperiantur. Cur ad vulnera ſclopetorum & cum jactura ſubſtantiæ partium curanda non adhibeatur? Cur *Crollius* vulnera nervorum, arteriarum, & membrorum principalium exceperit? Scilicet valet tantùm ad ſimplicia, & ſolitaria in carne vulnera, quæ natura ſola deligatione, vi balſami naturalis, id eſt calidi innati, conglutinat, inde facile eſt, cum quotidie vulnus & linteis mundis, & recenti lotio detergeatur, illud ſponte coaleſcere abſque ulla unguenti alicujus adminiſtratione. Inutile igitur iſtud unguentum erit. Non eſt ergo quod experientiam nobis obtrudant, nam haud dubiè abſque unguento ejuſmodi vulnera curari potuiſſent. Unguentum enim iſtud nec vulnerum excrementa diſcutit, aut expurgat, nec partium temperiem conſervat, corporis enim partes quæ poſſunt vulnerari, variæ ſunt, ſanguineæ, ſpermaticæ, nervoſæ, membranoſæ, carnoſæ, homines ipſi bilioſi eſſe poſſunt, aut ſanguinei, melancholici, pituitoſi, plethorici, cacochymi, & quibuſdam aliis morbis etiam laborare, quibus omnibus non poteſt unicum unguentum eſſe accommodatum. Et de his ſatis.

CAPUT XLIX.

De curatione Strumarum quæ dicitur fieri per contactum ſeptimi fœtus.

QUoniam mihi innotuit nuperrimè quoſdam qui ſe ſeptimos fœtus maſculinos eſſe prædicant, mira polliceri circa ſanationem ſtrumarum, quam ſolo contactu ſe perficere profitentur, ſicque populo nimium credulo fraudem faciunt, pauca de his dicenda ſunt. Rogatus autem à quibuſdam primariæ notæ Medicis hoc caput addidi; Et quidem morbos quoſdam ſolo remediorum quorundam contactu interdum ſanari, præſtantiſſimorum Medicorum authoritas ſuadet. Talia ſunt amuleta, & periapta quædam, ſicut *Galenus* appenſam pœoniam probat ad Epilepſiam, alii lapidem aëtitem fœmori alligatum ad partus difficultatem, variaque ejuſmodi exempla apud authores reperiuntur, quæ plurimi ſe obſervâſſe dicunt, quanquam prædicta exempla de pœonia, & aëtite lapide mihi periculum interdum facienti nunquam ſucceſſerint; Non nego tamen occultos plurimarum rerum conſenſus & diſſenſus, nec experientiæ, præſtantiumque Medicorum authoritati repugnare cupio. Verùm longè majus eſt, quod ſe poſſe iſti profitentur, ſcilicet ſolo contactu ſtru-

mas ſanare, idque quia ſeptimi fœtus ſunt. Id autem naturale eſſe vix quiſquam credet. Quod enim naturale eſt, ab intimis pendet principiis; omnique individuo illius ſpeciei, ſi incolumne illud ſit, & naturaliter ſeſe habeat, convenit, ut omne Rhabarbarum purgat bilem, omnis homo riſibilis eſt. Nec pendet à numero, ſiquidem numerus nullam habet agendi vim ſecundum Philoſophos: actiones enim ſunt ſuppoſitorum, & à formâ rerum dependent. Verùm ſeptimus iſte fœtus vim habere dicitur peculiarem, quæ ſex fratribus prioribus denegata eſt, quia ſcilicet ſeptimus eſt. Neceſſe igitur ejuſmodi vim aliunde dependere, cum nec à formâ, nec à numero proficiſcatur. Non quidem à contactu, quoniam tactus quâ tactus vim ſolam habet tangendi. Quod ſi virtus quædam vel noxia vel ſalutaris ineſt corpori, ea per tactum quidem communicatur. Verum ipſe tactus eam vim non poſſidet. Præterea cum omnium morborum curatio ſolius cauſæ depulſione perficiatur, ſtrumas pariter iſti thaumaturgi non niſi ſublata cauſa tollunt. Cum autem ſtrumarum cauſa ſecundum Medicos pituita ſit, in glandulis confirmata, quæ in aliis partibus alios morbos parit, eodem contactu, eâdem virtute aliis morbis ab eâdem causâ profectis poſſet opitulari. Quod cum non fiat, neceſſè eſt vel miraculoſam

eſſe

eſſe curationem, vel ægrotantis imaginatione totam inniti. At cum ægrotantium imaginatio variè ſeſe habeat, in quibuſdam fortior, in aliis imbecillior ſit, incertus haud dubiè ex incertâ cauſâ eventus ſperari debet. Miraculoſam igitur eſſe neceſsè eſt, aut falſam, & Dæmoniacam. Miraculoſam eſſe non facilè credendum eſt. Contactu olim ſanabant Apoſtoli, & primi Chriſtiani, ad majorem Dei gloriam. & Chriſtianæ religionis incrementum. Verum non temerè ad cujuslibet arbitrium miracula fieri vult Deus ſic quod olim fecerunt Apoſtoli, non propriâ virtute, ſed Domini noſtri Jeſu Chriſti nomine ſe perfeciſſe docuerunt. Ideò ſeptem illi Fratres filii Scevæ Judæi, qui pariter eodem nomine adjurare voluerunt Dæmones, temerariæ audaciæ pœnas dederunt vim à Dæmone paſſi. Sic non licet temerè miraculorum effectionem aggredi. Pariter Galliæ & Magnæ Britanniæ Regibus ex gratiâ Dei, conceſſa eſt vis hæc ſtrumas ſanandi, quæ aliis Regibus Chriſtianis denegata eſt, ſicut etiam ſanctus Edwardus Rex ob ſingularem pietatem non ſolum ſtrumas (quod privilegium ad ſucceſſores dimanavit) ſed etiam alia ulcera ſolo contactu ſanabat, quod tamen ſucceſſores non poſſunt. Cum igitur ejuſmodi gratiâ ſolis prædictis Regibus conceſſa ſit, & tota in nomine Domini noſtri

Jeſu Chriſti perficiatur, ſi idem alii Reges conarentur temeraria ea foret, atque audax nimium divini numinis tentatio, qui hanc poteſtatem ipſis noluit concedere. Unde in Hiſpania ipſa, ubi morbus hic ſcrophularum quaſi endemius eſt & popularis, Franciſcus primus Gallorum Rex captivus, eas contractu ſuo ut in Gallia ſolebat, curavit; quâ de re extat Epigramma Marulli.

Hiſpanos inter ſanat Rex Chœradas, eſtque
Captivus ſuperis gratus ut ante fuit.
Indicio tali, Regum Sanctiſsime, qui te
Arcent, invíſos ſuſpicor eſſe Deo.

Notandum præterea prædictos Reges, quibus Deus id conceſſit, non habere id donum niſi cum certa conditione, nec tranſire vim iſtam ad ſucceſſores, niſi ſint legitimi, & in Chriſtianâ fide permaneant. Nam ſi prædator quiſpiam (ut fuerunt olim, Deuſque novit qualia futura ſint regnorum fata) legitimum principem imperio dejiceret, unà cum regno virtutem hanc ſibi non acquireret: Nec pariter ſi Regum legitimè ſibi ſuccedentium quiſpiam (ut varia ſunt hominum ingenia) abnegata religione Chriſtiana, ad aliam deficeret, jus iſtud retineret. Beatus enim Remigius, cum cujus unctione ad Rege, Gallorum poteſtas hæc dimanavit, optimus

timus haud dubiè hujuſce rei Interpres vim hanc conceſſam Regibus edixit, quamdiu in Catholicâ fide ſint permanſuri, inſinuans ceſſaturam eam ſi quando ab hac fide deficerent. Hæc cum ita ſeſe habeant, quis credet quibuſlibet hominibus, ſimilem vim datam eſſe ſimpliciter & abſolutè à nativitate perpetuam, quam ſoli Reges ſolummodo cum unctione conſequuntur, atque ſub conditione ſi ſint in fide Chriſtiana conſtantes, cum Deus miracula non faciat, niſi ad majorem ſui gloriam, & fidei confirmationem; Nec probabile eſt Deum donum hoc jam ejuſmodi viris prius conceſſum, & propterea ſatis vulgare (cum ſeptimus fœtus non ſit rariſſimus) Regibus in pietatis teſtimonium, & teſſeram indulſiſſe, quod pariter alii poſſident, quibus interdum nulla religio eſt. Quod igitur Deus Regibus largitus eſt, tale eſſe debuit, ut ob raritatem & ſingulare privilegium, Dei gloriam magis patefaceret, quod non foret, ſi jam ſimile quibuſdam aliis natalium jure tribuiſſet. Nec reperitur ulla promiſſio à Deo facta ſeptimo fœtui, nec ante religionis Chriſtianæ prima incunabula, nec poſtea, & mirum nullos fuiſſe Apoſtolorum tempore ſeptimos fætus qui cum ipſis de virtute patrandi miracula concertarent, cum tamen haud dubiè plurimæ familiæ numeroſiſſima ſobole luxuriarint. Propterea cer-

CAPUT L.

Venæ ſectionem non pinguefacere.

MOrborum omnium duas eſſe cauſas plethoram & cacochymiam omnium conſenſus. Plethora ſanguinis ubertas eſt, quâ qui laborant ut olim Athletæ, & etiam nunc plurimi, corpulento & carnoſo ſunt corporis habitu, atque etiam valdè pingui. Ea ſi vitium fecerit, aut minetur, ſolâ venæ ſectione & copioſâ, & ſæpius repetita demi poteſt; Hippocrates aph. 3. libri primi, non pinguedinem, ſed εὐεξίαν bonum habitum vocat nimiam illam ſaginationem corporis, ſimulque periculoſam, ne calor nativus ſtranguletur, vaſa diſrumpantur, quam ſtatim ſolvere oportet. Omnes morbi præſentes aut imminentes qui ſunt à plethorâ venæ ſectionem poſtulant. Inter remedia eorum qui nimiâ corporis pinguedine laborantes emaciari cupiunt, venæ ſectio quaſi præcipuum recenſetur. Hunc affectum vocant Græci πολυσαρκίαν, πιότητα, latini etiam corpulentiam, obœſitatem, pinguedinem, quæ ſi nimia ſit, corporis pulchritudinem, actiones labefactat, vitam breviorem facit, apoplexiæ & aſthmati obnoxios reddit, de quibus tamen hoc loco nequaquam loquor, ſed de iis ſolùm qui carnoſi ſunt & εὔσαρκοι, & ſe nimium

mium pingues ſimul eſſe putant. Hi reformidant venæ ſectionem, ne magis pingueſcant, quod quantum à verò abhorreat paucis explicabo. Omnis bonus corporis habitus, bonæ coctionis eſt argumentum, ſunt tamen variæ hominum conſtitutiones, unde quidam vaſis amplis tamen non pingueſcunt, & aliorum reſpectu macilenti ſunt, qui tamen reſpectu ſui ipſius carnoſiores ſunt uno tempore quam alio. Tales ut plurimum bilioſi ſunt, aut melancholici, in quibus major fit inſenſilis tranſpiratio quam in aliis ob caloris copiam, corporis raritatem. His carnoſiores ſolent eſſe ſanguinei, quorum calor temperatior, humores mitiores reddit, minuſque reſolvit, ex qualibet obſtructione in febrem ſynochon facilè incidunt, hæc autem febris nec in gracilibus, vel qui raro ſunt corporis habitu, nec in frigido corporis temperamento, nec in frigidâ ætate excitatur, ſed ætate & temperamento calidis, bono ſanguine affluentibus, carnoſo denſoque corporis habitu præditis. His ſanguinem uſque ad animi deliquium veteres mittebant. Noſtro tempore copioſam vacuationem imperamus, aliter vix demi poteſt. Non eſt tamen prorſus falſa populi opinio, venæ ſectionem etiam impinguare, modo probè intelligatur. Scilicet eos qui ex ſanguinis vitio ſeipſis macilentiores facti ſunt. Omnis febris exiccat, & tandem.

dem niſi citò curetur corpus in tabem deducere poſſet, multorum carnes ex ſanguinis fervore abſumuntur, etſi non febricitent. Mulier apud Galenum ex ſuppreſſione menſtruorum admodum tabida facta eſt. Similesque maciei cauſæ eſſe poſſunt, quibus venæ ſectio opitulatur, putrem ſanguinem vacuando, fervorem temperando, qui nutritionis fœlicitatem prohibent, ſic mulier illa tabida apud Galenum poſt copioſam venæ ſectionem ad priſtinum corporis habitum rediit, quia rediit facultatum naturalium vigor, & integritas. At credere hominem benè ſanum & ad pinguedinem inclinantem, venæ ſectione magis pingueſcere falſum eſt. Sed ſi ægrotarit, & tandem ipſius habitus contabeſcat, poterit venæ ſectione curari, & priſtinam corporis molem recuperare, ſic ſaneſcens ſeipſo ægrotante pinguior evadet.

CAPUT. LI.

Hæmorrhoides non ſemper prodeſſe melancholicis,

NOn ſolum populi, ſed etiam Medicorum quorundam hic error eſt, multi ſunt melancholici hypochondriaci & alterius generis, quibus inter præcipua remedia, hæmorrhoidum venarum apertio imperatur, quaſi venæ illæ ſanguinem craſſiorem quam aliæ

aliæ venæ evacuent, quod prorſus abſurdum eſſe credo; Veterum autoritas, recentiorum, & mea experientia id perſuadent inter vetuſtiſſimos Hippocrates non hæmorrhoidum per hirudines aliove modo apertionem, (quod pauci conſiderarunt) ſed earum vi & impetu naturæ reſerationem plurimis morbis à tenui ſanguine generatis præcavendis & curandis utilem cenſuit. 6. Epidemicor. Sect. 3. ut pleuritidi, peripneumoniæ, phagedænæ, furunculis, lepræ, aliiſque ejuſmodi. Non negandum tamen melancholicis, atrâ bile laborantibus, inſanientibus eaſdem prodeſſe, ex ſententiâ Hippocratis aphor. 11. ſectionis ſextæ. Melancholiâ, (inquit) & nephritide laborantibus hæmorrhoides ſupervenientes bonum. De provocatione earum ne verbum quidem apud illum extat, ſed ſolùm probantur ſi natura ſpontè eas reſeret. Non ſolùm autem fiunt à ſanguine melancholico, ſed etiam à quolibet alio, hoc enim fluxu natura ſæpè abutitur ad ſanguinem expurgandum, ſi quid pravi in ipſo ſit, aut ſi copiâ exuberet, ut in nimiâ ſanguinis abundantiâ, in gravidis, aut quibus ſuppreſſi ſunt menſes, & in mutilis, unde ſanguis copiosè fluit. Hinc Actuarius 1. methodi cap. 20. obſervat præter melancholicum ſanguinem aperiri has venas iis qui ſolita exercitia intermiſerint, qui pleniori victu utuntur, quibus

quibus conſuetæ ex aliis partibus excretiones ut ex naribus, utero, ſupprimuntur, aut quibus mos erat venam ſecare, Copia ſanguinis non minùs per has venas quam per nares interdum vacuatur. Recentiores obſervarunt duplices eſſe hæmorrhoides, quaſdam à venâ cavâ, alias à venâ portâ oriri. Illas tenuiorem & puriorem ſanguinem, has craſſiorem vacuare. Verùm neque id ſemper, nam etiam ſatis purus per has excernitur, & interdum craſſior per illas. Undè niſi natura oſtendat ſe vacuationem hanc moliri, non ſunt temerè hæ venæ aperiendæ, & ſi purus, rutilanſque ſanguis fluxerit ſtatim ſupprimendæ, ex ejus enim vacuatione melancholici pejus habent. Cum quiſpiam eas aperit, non poteſt certò ſibi polliceri melancholicum ſanguinem ſolùm vacuatum iri, non purum rutilantemque. Quod ſi conſuetæ quibuſdam fuerint, & ex earum ſuppreſſione facti ſint melancholici, inſani, nephritici, aut epileptici, eas iterum aperire non inutile foret, ut humor qui refluxum habet ad ſuperiora, per loca conſueta, quorum aditus præcluſus fuerat, rurſus effundatur. Quod ſi natura vim hanc non affectarit, non eſt facienda cönſuetudo, ut docet Galenus 4. aphor. 25. non eſſe aſſueſcendum ei quæ per hæmorrhoidas fit vacuationi, & rectè Hollerius aperiendas eſſe negat, ſi non tumeant, &

& nunquam fluxerint. Sed ſi natura eò inclinaverit, ejus imitatione poſſumus eas aperire, aliàs nequaquam. Etſi enim naturâ interdum per hæmorrhoidas utiliter ſanguinem vacuet, non tamen ſemper licet eam imitari, ut in febribus interdum per narium hæmorrhagiam, ſudores morbum ſolvit, quis audebit venas narium aperire, aut ſudores provocare ante ſigna coctionis, aut antequam natura inclinationem ſuam oſtenderit. Idem de hæmorrhoidibus ſentiendum. Quæ tamen intelligenda non ſunt de affectibus particularibus, nam in illis venæ particulares ſecari poſſunt, ſic hæmorrhagiam in phrenitide, capitis dolore, utiliter provocamus, quia habent hæ venæ cum parte affectâ communionem. Sic in nephriticis & ſplenicis poſſunt ani venæ aperiri, ut in aliis nunquam, niſi naturâ hunc motum ſequatur.

Addendum hic ſtultum aliud commentum de abſciſſione lienis in ſplenicis, quod facere ſe quidam dicunt illæſis muſculis & partibus ſuperpoſitis. Sed Cœlius Aurelianus 3. Chronicon lienem auferendum voce quidem dictum eſſe, non officio completum, ait, operatio periculoſa, nec fieri poteſt ſine vulnere muſculorum abdominis, & peritonæi; Veteres in liene peculiare curſus impedimentum obſervarunt, ideo curſoribus inurebant, per vulnus etiam exempto liene

vivere

vivere animalia tradunt, inquit Plinius. Veteres lienis regionem inurebant, ſed ad lienem uſque ferrum non adigebant, ut deſcribit Paulus Ægineta, ſed lienem ipſum graviter vulnerare & auferre tutum non eſt, ob venas & arterias, quæ non poſſunt innoxiè lædi, abſque magna effuſione utriuſque ſanguinis. Multò minus abſcindi poteſt ſecuri ut tradunt ſine vulnere, contuſione abdominis. Exciſſum in corpore remanere non poſſet, ſine gravi putredine, omnibus vicinis partibus, & toti corpori noxiâ.

Caput LII.

Sanguinem hircinum eſſe vanum ad calculum remedium.

Inter præcipua remedia quæ calculoſis prodeſſe dicuntur ex veteri errore ſanguis hircinus recenſetur à quo & ſolo adamantem emolliri quidam fabulantur. Inde ad calculum frangendum adhibuerunt. Quidam ulterius progreſſi hircum ſaxifragis herbis diu nutriunt, ut potentior virtus lithrontriptica evadat. Sanè cum ejuſmodi virtus experientiæ non reſpondeat, nec hircino illo ſanguine ſolo quiſquam curatus ſit, rationes quibus quidam ſibi id perſuadent maximè ſunt fallaces. Primò enim falſum eſt adamantem illo ſanguine emolliri. Quod ſi foret verum

rum, non ſequeretur eandem vim illi ineſſe in reliquos lapides, minus etſi quam adamos duros, ſuccis acidis & acribus lapides multi ſolvuntur ut margaritæ; corallia, &c. At ſanguine hircino atteri ullum lapidem, non video à quoquam ſcriptum. Herbis ſaxifragis hircum nutrire non facit ſanguinem magis diureticum, quam aut ipſius lac, carnes, excrementa. Nec magis quam aliorum animalium ſanguinem, qui ſimilibus herbis promiſcuè in pratis veſcuntur. Sic aqua quædam ad phtiſin ex ſtercore vaccino educitur, quam vocant milleflorum, quaſi in illo ſtercore ſuperſtites ſint vires omnium herbarum florumve, quibus vacca in pratis veſcebatur, ſic pari ratione ſaxifragarum herbarum vires in hircino ſtercore, non minùs quam in ipſius ſanguine elucebunt. Si quis tamen aliorum autoritatibus adductus, in illo ſpem ponat maximam per me licet, quia innoxium remedium eſſe ſcio, ſed juvaſſe unquam calculos nunquam potui experiri, etſi ſæpius præſcripſerim. Hircus ipſe qui aliis remedium ſuppeditat, calculo laborare inventus. Quod ſi ipſi calculi ad hunc morbum præſcribuntur, ſciendum eſt eos debere aut calcinari, aut per ſuccos acidos in magiſteria ut vocant reduci, & forſitan tunc nihil valent.

CA-

Caput LIII.

Ad morbos gravidarum curandos abortum non debere provocari.

MUlieres gravidas multis gravibuſque morbis obnoxias eſſe chronicis, acutiſque quotidiana demonſtrat obſervatio, qui ratione graviditatis periculoſiores redduntur, & curatu difficiliores, maximè acuti, ut febres, pleuritides, mulierem gravidam aliquo morbo acuto corripi lethale eſt, aphor. 30. lib. 5. duplexque eſt ex Galeno periculum, unum à febre fœtum interimente, alterum ex tenui diætâ quæ morbis acutis competit, ſed gravidis nocet, tum ob neceſſitatem majorum remediorum venæ ſectionis & purgationis; ſed quidam temerarii, ſi periculum nimium timent, abortus provocationem conſulunt; Eſt autem abortus naturali partu magis doloroſus & periculoſus ob violentam divulſionem præcocis illius fructus, unde plurimæ pereunt, quædam evadunt, ſed non abſque gravibus ſymtomatis. Majuſque periculum & ſi fœtus ſit grandior, ut ſeptimeſtris, octimeſtris, aut mulier ipſa languida, debilis, ut ſi morbis acutis periculoſis conflictetur. Ipſa mulier alias ſana, nunquam ſine periculo abortit. Quædam quoque ſunt tam pertinaciter fœ-

tum

tum retinentes, ut nullis vexatæ remediis potuerint fœtum excutere. Propterea pernitioſum eſt conſilium eorum qui in morbis acutis abortus provocationem ſuadent. *Primò* in multis id facile non eſt. *Secundò* non niſi remediis periculoſis & frequenter repetitis fieri poteſt, qui morbos acutos exacerbant, pejoreſque reddunt. *Tertiò* nec id tutum eſt, cum abortus ipſe ſit periculoſus & lethalis affectus, ut oſtendit experientia nam aphoriſmo ſuperius laudato gravidam acuto morbo corripi lethale eſſe dixit Hippocrates, ob febrem, ob tenuem victum, & periculum abortus. Afflictionem autem addere afflictæ malum, ſæpe interempto ejuſmodi remediis fœtu mater perit. *Quartò* ipſe partus naturalis ſæpiſſimè multos morbos non levat, multo minus abortus ullum morbum præſertim acutum curabit, potius augebit, niſi fœtus jam mortuus ſit qui neceſſariò debet excludi. Non tamen abſtinendum à neceſſariis auxiliis, ut phlebotomiâ & catharſi, quæ ſæpè abortum præcavent, qui ſi interdum ſequatur, non remediorum probè adminiſtratorum culpa eſt, ſed aut morbi acuties omnibus remediis ſuperior, aut matris fœtuſve debilitas & mors. Hippocrates in ſuo juramento pollicetur ſe nulli fœminæ medicamentum φθόριον daturum. Medici eſt non perdere ſed conſervare quantum fieri poteſt.

CAPUT. LIV.

Injectiones in uterum & veſicam eſſe inutiles.

IN multis morbis uteri & veſicæ injectiones Medici præſcribunt ad varios illarum partium affectus, ulcera, fiſtulas, flatus diſcutiendos, dolorem ſedandum, cicatrices obducendas, gonorrhœam compeſcendam, & ſimiles morbos. Verum ne credat quiſpiam eas veſicam uterumve intrare, & propterea iſtarum partium morbis prorſus ſunt inutiles. Uterus in puellis, & mulieribus arctè connivet, nec unquam aperitur niſi interdum ad ſemen recipiendum aut fœtum excludendum, idque ſummâ naturæ providentiâ, ne aërem ipſi ſæpè noxium admittat, à quo nimium refrigeretur. Veſica quoque ſphinctere muſculo clauditur qui non aperitur niſi per vim ad urinam excludendam, aut ſi intus adigatur catheter. Sed quæ in veſicam immittuntur per ſyringem, aut metrenchytem veſicæ capacitatem propterea non ſubeunt, ſed relabuntur ſtatim, unde iis ſolis affectibus proſunt qui ſunt in penis & uteri canalibus. Si intrarent illic diutius interdum quam par eſt, retinerentur, non enim uteri collum ordinariè aperitur, nec veſicæ ſphincter niſi irritatus acrimoniâ contentorum relaxatur.

Gonorrhœa autem virulenta, cui injectiones iſtæ ſæpè proſunt, non eſt in ipsâ capacitate veſicæ, ſed in urinæ canali, aut juxta, in partibus ſpermaticis, ex quibus eructat in virgæ canalem.

Caput LV.

De calice ex Antimonio, ſive ſtibio.

Venit non ita pridem in uſum, calix ex Antimonii regulo factus, qui carè admodum venditur, & ad multa utilis eſſe perhibetur, tum ab eo qui illum conficit, tum à populo qui nova ſemper avidè ſectatur, atque res admodum pretioſa, Mediciſque hactenus ignota eſſe creditur, cum tamen omnibus chymiæ peritis ſit notiſſima, nam regulum ex Antimonio conficiendi ratio eſt admodum facilis. Ut autem populo errorem hunc admodum pernitioſum explicemus, dicemus primo de ipſo poculo, tum de ejus viribus. Poculum autem non ab artificiali formâ vim ſuam habet, ſic enim idem præſtaret quodlibet poculum ex argento, aurove confectum. Sed vim omnem habet ex Antimonio. Qui autem mineralium, metallorumque naturam inveſtigant, Antimonium credunt, ex ſulphure crudo admodum impuro, mercurio & arſenico conſtare; Ideo naturæ noſtræ adeò adverſum eſt, ut quocunque

que modo præparetur & emendetur, in minimâ tamen quantitate magnam viſceribus vim infert, & facultatem retinet malignam, quæ vix ullis infuſionibus ceſſare poteſt. Si quiſpiam fortè robuſtior, illius impetum ſuſtinere poteſt, cum variis humoribus ſurſum, deorſumque illud expellit, ſed imbecilliores, & ad vomendum ineptos admodum exagitat, & torquet, quocunque enim modo præparetur, vim malignam, & deleteriam nunquam exuit. Unde plurimi graves Medici, ut *Fernelius*, *Riolanus*, *Geſnerus*, *tota Medicorum Pariſienſium ſchola*, omnem internum illius uſum improbarunt, ob facultatem perniciosam naturæ nimium inimicam. Verumtamen ut populo ſatisfaciamus, illius uſum poſſe eſſe ſalutarem concedemus, modo ritè præparetur, & cum prudenti conſilio veniat in uſum. Scio autem Chymicorum artificio variis modis ipſius præparationem fuiſſe tentatam, ut ſi non omninò, ſaltem quadantenus hebeſceret illius malignitas, nondum tamen plenè innotuit ars illa, quæ omninò tollere poſſit iſtius medicamenti ſævitiam. Vulgares autem præparationes, magiſque ordinariæ, quæ etiam venales in omnibus proſtant officinis, ſunt *regulus Antimonii*, ex quo fit prædictum poculum, vitrum Antimonii quod populus ſtibium vocat, (cum tamen ſtibium ſit verum ipſius

Antimonii nomen,) atque ex hoc vitro, non autem ex regulo fieri debere hunc calicem, ſcribit *Sennertus* in inſtitutionibus. Præterea fiunt ex eo *crocus metallorum, pulvis emeticus*, *Mercurius vitæ*, *tinctura*, *oleum*. Atque hæ omnes præparationes unâ eâdemque pollent facultate, vomitoriâ ſcilicet & dejectoriâ, quod oſtendit in nullâ prædictarum præparationum fuiſſe edomitam perniciem Antimonii. Cum autem in omnibus rebus etiam peſſimis ſint pravitatum gradus, ſcire debet populus eam ſemper in omnibus metallicis præparationem cenſeri optimam, minuſque pernitioſam, in quâ metalli forma perit, fit enim major ſeparatio puri ab impuro, unde etiam omnes Chymici aurum innoxium medicamentum ita ſolvere conantur, ut exutâ metalli formâ potabile reddatur, nullamque illius ſolutionem cenſent, optimam, in quâ redire poteſt ad ſuam naturam, id ſanè multò magis de pernitioſis mineralibus verum eſt. Notandum eſt igitur Antimonium quod nos vocamus crudum, id eſt nullo modo præparatum, nullam habere vim corpus exagitandi, unde veteres qui chymiæ erant ignari, nullum internum ipſius uſum noverant. Prima autem & omnium facillima præparatio eſt illa, quam regulum vocamus, in quâ non ſpoliatur metallica forma, ſed in plumbi quandam ſpeciem liqueſcit,

cit, undè *Dioſcorides* Antimonium liquefactum plumbum evadere ſcribit, levem quandam habens reguli iſtius cognitionem, fit enim ſolummodò ex eo liquefacto, & ſic paululum depurato, omnemque retinet Antimonii malignitatem, quæ anteà ſub terreo excremento ſopita latebat. Hâc utuntur plurimi metallarii artifices, eamque immiſcent bombardis, campanis, aliiſque ejuſmodi machinis, ſed cum omnes parvas & horrendas Antimonii vires adhuc poſſideat, poculum inde confectum pernicioſiſſimum eſſe neceſsè eſt. Ideò puriores chymici hanc omninò ab uſu medico ablegarunt, niſi quod ulteriori præparatione ex hoc *regulo* extrahi poſſunt *flores*, *vitrum Antimonii*, & alia ejuſmodi quam plurima, ipſo regulo multò meliora. Ideò alii hujus loco vitrum Antimonii uſurparunt, quo præſtantiſſimus Medicus *Matthiolus* familiariter utebatur, ſtibium vocat Populus, atque illud exhorreſcit, cum tamen reverâ præferri regulo debeat. Verumtamen *Quercetanus*, *Hartmannus*, aliique primariæ notæ Chymici, maximi præcones facultatum Antimonii hanc etiam præparationem minus tutam cenſent, ob permiſtionem impuri ſulphuris. Ideo iſtis duabus ablegatis, tanquam minùs tutam familiarius utuntur croco, ſive hepate Antimonii, pulvere emetico, mercurio vitæ, qua præ-

parationes Medici Londinenſes Pharmacopœæ ſuæ inſeruerunt, nullaque fermè eſt officina, in quâ harum tum ſubſtantia, tum infuſio non ſit venalis. Ex quo colligere poſſunt ii qui calicem hunc adeò extollunt, ſe pernicioſo remedio uti, cum tamen idem multò præſtantius præparatum ubiquè ſit obvium;

Vires autem calicis quod ſpectat, vomitum non leviter, ſed potentiſſimè concitat, Omnis autem vomitus quamvis leviſſimis provocetur medicamentis, ſemper tamen quâlibet per inferiora purgatione gravior eſt, quia ſtomachus non ad expulſionem, ſed ad receptionem factus eſt, pars eſt admodum nobilis, & ſenſus exquiſitiſſimi, maximumque habet cum cerebro, & corde conſenſum, quâ parte affectâ populus ſibi cor dolere credit, & conqueritur. Partem igitur tam nobilem immiſſo pernitioſo medicamento laceſſere noxium eſt. Sed præterea vomitus vires totius corporis admodum exagitat caput, cerebrum muſculos abdominis, thoracem, & omnia quæ inferiori ventre continentur viſcera validè concutit; interdumque venas diſrumpit, & ſanguinem prolicit. Unde ſi aliis medicamentis purgantibus, nonniſi cum ſummâ cautione & præmeditatione utendum eſt, multò minus vomitoriis, omnium

nium enim vacuationum graviſſima, & periculoſiſſima vomitio eſt. Ideo multa in illius provocatione ſpectanda ſunt. *Primum* ægri natura, & ad vomendum promptitudo, vel difficultas, nam in difficulter vomentibus periculum maximum impendet, etiamſi morbo laborent qui vomitu curari poſſit. Tales ſunt pingues, anguſto thorace præditi, plurimi graciles qui ventriculum habent imbecillum, tuſſi, aſthmati obnoxii, qui tubercula aut ulcera habent in thorace, qui imbecillo ſunt capite, & oculis, quos præcordiorum inflammatio, aut dolor exercet. *Secundò* conſiderandum eſt anni tempus, non enim quolibet anni tempore convenit. *Tertiò* morborum natura, nam quibuſdam morbis nocet potius quam prodeſt, & in quibus prodeſſe poteſt, non eſt tamen ſemper eo utendum, undè malè author hunc calicem prodeſſe ſcribit, morbis omnibus, quibus ſcilicet purgatio neceſſaria eſt, ut dicemus inferius. *Quartò* morborum conſtitutio, non enim quolibet morborum tempore poteſt innoxiè adminiſtrari. *Quintò* maxima adhibenda eſt præparatio corporis & humorum, tum multa ante vomitum, atque in ipſo vomendi actu ſunt ſpectanda, quæ explicare non eſt hujus loci. Ita ut nulla ſit evacuatio quæ tantam poſtulet conſiderationem, atque hæc quæ per vomitum inſti-

inſtituitur. Propterea cum hæc ſolùm à Medico, non quolibet, ſed tantùm doctiſſimo & peritiſſimo cognoſci poſſint, non poſſum non admirari temeritatem quorundam hominum, qui nullis Medicinæ præceptis imbuti, omnique morborum & cauſarum cognitione deſtituti, methodi medendi prorſus expertes, audent tamen humanum corpus ſubjectum tam nobile, variis medicamentis exagitare, ſecundò vomitum, vacuationem omnium periculoſiſſimam, & difficillimam ſuadere; Tertiò eam metallico medicamento, naturæ minimè familiari promovere. Quartò ad id uti Antimonio, minerali ſcilicet quò vix pernitioſius ullum eſt, & demum eâ præparatione, quæ eſt omnium peſſima. Non quod Antimonii uſum omninò improbem, familiariter enim & fœliciſſimè eo ſum uſus, ſed multò elegantius, & tutius præparato ſed maximè reprehendendus author eſt, qui populo vile medicamentum grandi vendit pretio, cujus utendi rectam rationem nec populum docet, nec ipſe opinor novit, undè multos novi ab hoc potu fuiſſe graviter afflictos, alios etiam periiſſe, qui ex ſpreto Medicorum conſilio præpoſterè ipſo uſi ſunt. Remedia enim omnia quantumvis optima, ſunt manus Dei, ſed gladius in manu furioſi, ut alibi diximus ex Herophilo. Plura ſunt

in

in Anglico exemplari, qui eum ſolùm ſpectant qui mercimoniam hujus calicis facit, quæ tædioſum foret & inutile hic inſerere ne prolixior quam par eſt hic tractatus evadat, quæ breviter huc redeunt, nam ſimul cum poculo libellum vendit de viribus ejus. Ubi 1. malè Antimonium extollit ſupra reliqua mineralia, cum aurum etiam Chymicorum conſenſu ſit multò præſtantius. 2. Malè præfert regulum reliquis Antimonii præparationibus, cum ſit omnium leviſſima & peſſima, ſed ex eo regulo poſſunt ulterius præparari flores, crocus, hepar, aliaque ſimilia. 3. Malè citat Paracelſum alioſque authores qui Antimonium quidem commendant, ſed nequaquam regulum. 4. Falſum eſſe curare lepram, phrenitidem, epilepſiam, pleuritidem pulmonum & thoracis apoſtemata, arthritin, luem veneream, ſcrophulas, peſtem, febres purpureas, variolas, & morbillos, cum multis ejuſmodi morbis vomitus potiùs noceat, quam proſit. 5. Malè docet uſum poculi ſui. Illud enim infundit in liquore, per duas horas coquit, dein cyathos duos treſve propinat, ſine vi operari ait, atque ſi per tres quatuorve dies operari non ceſſet, non ſiſtendam purgationem ſuadet, quod temerarium & periculoſum eſt conſilium, hypercatharſin promovere, aut eam non ſiſtere. Demum jubet emptorem

ſuum cavere ab adulteriinis & fictitiis, quod ſi frangi vas contingat, novum pollicetur pretio quinque florenorum addito, nam 30. florenis emptum ejuſmodi vaſculum vidi, ſed eo fracto non pereunt vires metalli, fragmenta non minus efficacia ſunt, quam integrum olim erat. Atque re benè perpensâ poſſet quiſpiam trium quatuorve unciarum ciphum cum bono lucro pro uno vendere floreno. Ut pluribus loco citato deſcripſi.

Caput LVI.

De abuſu ulcuſculorum, quæ fontanellas vocant.

IGnotum veteribus, & noſtro tempore, (in Angliâ præſertim) nimium familiare, & abhominandum, prorſuſque inutile remedium, ſunt ulcera illa quæ vulgò Fontanellæ vocantur, quaſi ſcaturigines quædam quibus vitioſi humores expurgari creduntur. In Galliâ, unde primum hæc mala conſuetudo in Angliam derivata eſt, ſordidum adeòque fœdum ejuſmodi ulcus habetur, ut ſi quædam puella nubilis, aut vidua, illud habeat, vix procos inveniat, ſi ſubdolè illud occultet, ſtatim atque res nota fuerit, liceat legibus quantumvis ſolemniter promiſſum matrimonium deſerere; In Angliâ mulieres om-

omnium maximè, & puellæ illud affectant, quorundam Medicorum perſuaſione potius quam verâ ratione innixæ. Gratiſſimum hunc mentis errorem nemini adimere cupio, nec in me irritare crabrones. Quilibet ſuo ſenſu abundet. Deſcribam primùm illud remedium, *Fonticuli ſunt parva ulcera ferro, vel cauſtico inducta; ad humores vacuandos, revellendos, derivandos, in morbis diuturnis, non in acutis qui ſubitas vacuationes poſtulant*: quaſi morbi diuturni ut ſunt febres quartanæ, arthritides, epilepſiæ obſtructiones jecoris, ſplenis, hydropes, aliique ſimiles, opprobria Medicorum, non poſtulent vacuationes illas confertim factas, & ſæpius repetitas per cathartica, ſi ſcriptoribus Medicis credendum eſt. Quis in ejuſmodi morbis à fonticulo, nihil aut parum vacuante, auxilium aliquod ſperare poſſit? Pthoe morbus eſt familiaris nimium. Huic maximè prodeſſe fonticuli iſti creduntur fit autem ut plurimùm ex acri defluxione in pulmones è cerebro delabente. Abſurdum prorſus eſt, credere ea quæ intus in cerebri cavitate aut ſubſtantiâ continentur, poſſe trans cerebri & cranii ſubſtantiam per externas cutis & muſculorum compages ad fonticulum in brachio, vel in pede derivari, idque ſenſibiliter, atque eâ copiâ quæ morbo ulli prodeſſe poſſit, cum facilè quiſque

experiri queat, ſe plura & craſſiora uno impetu exſpuere quam fonticulus intra biduum vacuat. Morborum cauſæ plethora & cacochymia quæ in internis corporis partibus ſive intra, ſive extra venas ſtabulantur, purgationibus per alvum commodius quam per habitum corporis vacuantur. Natura quidem interdum criticè per ſudores, & ars naturæ imitatione per ſudorifica multorum morborum cauſas per habitum corporis reſolvit, ſed maxima differentia eſt inter confertam vacuationem, & exiguam illam quæ fit per fonticulos. Natura quoque abceſſus molitur, etiam criticos, qui niſi reſolvantur, in ulcera degenerant, eaque etiam interdum fiſtuloſa, quibus magna humorum ſaburra evacuatur, quâ vacuatione ſæpè corpus contabeſcit. Multa in cruribus pariter fiunt ulcera dyſepoulota maligna cum humorum copioſo affluxu, varicibus, ſordibus, putredine, aliiſque in partibus; Ulcera hæc contumacia, remediis facilè non cedunt, etiam decenter adminiſtratis, ex *Galeno cap. 5. libri quarti methodi*; fonticuli remoto globulo ſponte ſanantur, quod oſtendit nullum eſſe humorum affluxum. In illis major copia ſaniei & virulentiæ ſemper effluit, quam pro ulceris magnitudine. In his admodum paucum ſæpè eſt quod effluit; In illis labia parteſque vicinæ intumeſcunt, eroduntur, dila-

dilatantur, eóque magis quò copioſior & acrior fuerit humor fluens. Hi verò ſuam vix ſervant capacitatem, & niſi globulus inderetur, ſtatim intra paucos dies coaleſcerent. Fiſtulæ quoque profunda ſunt ulcera, cum cavitatibus & anfractibus multis, quæ ſæpè ideò non curantur, quia natura ſupervacuos humores per hos meatus expurgat; Fonticuli ſunt ulcera ut plurimùm ſuperficiaria facilè ut dixi curabilia, quibus raro natura quicquam evacuat, & quod excernitur excrementum ſolùm partis eſt, quæ imbecillior reddita, adveniens alimentum probè non concoquit. Nullus eſt qui ſi ulcera ipſi ſponté pullulent, non ſtatim curationem poſtulet, etſi plurima ex iis ſanies emanet. Quam parum judiciosè faciunt, qui ſibi ea inuri cupiunt, in perpetuum aperta ſervantes. Nam & hic etiam alter error eſt, eorum qui credunt non ſine pernicie & periculo occludi poſſe, quod de his ulceribus verius non eſt, quam de aliis quibuſlibet, quæ innoxiè curantur, etſi ex illis humores plurimi exeant, qui intercipiuntur, repelluntur, revelluntur; Sæpè quoque quæ prodit ſanies, non eſt latitantium in corpore vitioſorum humorum ſoboles, ſed etiam ex bonis procedit, quos Natura ad partem debiliorem nutriendam tranſmittit, ubi corrumpuntur, & in ſaniem iſtam vertuntur, ſicut

in

in multis aliis ulceribus fieri ſolet, intemperatis, doloroſis, ichoroſis, virulentis, contuſis, & ſimilibus, quæ humorum magnam fluxionem patiuntur, & tamen innoxiè curantur. Fonticuli autem ad horum naturam nequaquam accedunt, ſed ut plurimum ſunt ulcera boni moris, non admodum profunda, quæ quia facilè curabilia ſunt, oſtendunt non pati magnas fluxiones, & ſic propterea inutiliter ſervari, nam ſi copioſa adeſſet fluxio, fierent prava, dyſepoulota, quod vix unquam contingit. Sæpè antè menſes plurimos humor ad locum affectum non fluit, neque etiam tunc admodum copiosè, quod ſi impetus humorum major ſit, periculum eſt ne mali moris evadant, & tunc occludi debent. Quia autem ut plurimùm innoxiè geſtantur, & populus de iis benè ſentit, concedendum eſt aliquid populi phantaſiæ.

Caput LVII.

De vanitate plurimorum remediorum.

Immenſi foret laboris omnes errores populi circa remedia, ſigillatim perſequi. Ideò plurimos uno capite concludemus; & primò inane prorſus commentum eſt dari univerſalem Medicinam, qualem Chymici multi pollicentur, ſed quænam ſit, qualis ſit, quis eam invenerit ignotum. Deus qui tantam

tam rerum varietatem creavit, ſingula admirandis virtutibus donavit, noluit irritas illas omnes uno medicamento reddere; cum morbi varii ſint prorſuſque inter ſeſe adverſi, qui varia & diſcrepantia poſtulant remedia, non poſſunt unico remedio ſanari. Nam calefacere refrigerare, humectare & ſiccare ſimul poterit, tabem curare, hydropicorum aquas ſimul vacuare, calculos, arthritim, luem veneream ſolvere; omnibus venenis, omnibus humorum vitiis adverſari, quorum diſſimiles prorſus ſunt naturæ, abſque purgantium alterantiumque ope. Omittam hic luxationes, vulnera, morboſque figuræ & conformationis; quos rectè quidam huic medicinæ non ſubjiciunt. Sanè ſi tale daretur remedium, hactenus. *Nos fruſtra in nugis tetros conſumpſimus annos. Et tulimus tetricæ jurgia lenta Scholæ*; Fruſtrà ex arte Medicâ morborum diagnoſis, prognoſis & therapia repeterentur. Fruſtrà ſimplicium cognitio, electio & præparatio; fruſtrà in uſum hominis creata reliqua ſunt remedia. Qui volunt eam nativum calorem roborando operari, etiam decipiuntur, nam videmus multa naturam roborare, quæ tamen morbos non curant, ſi natura quando integra erat morbos præcavere non potuit, quomodo eos jam factos curabit, ſi noxios humores non prohibuit quin generarentur,

quo-

quomodo genitos abſque alterantium & vacuantium ope emendabit & abſumet?

II. Inanis prorſus cura eſt quæ fieri dicitur per characteres, verba, figuras Magicas, nam hæc nullam vim habent naturalem, omnis actio à formâ eſt, aut qualitate phyſicâ, at figura characterum, cum ſit artificialis, nullam vim habet naturalem in naturalia, nec in ipſum ſubjectum in quo ineſt. Materiam Characteris, æs, aurum, gemmas, hanc vim nequaquam habere omnes confitentur. Figura vim eam ab artifice non mutuatur, qui eam ipſe non habet, nemo autem dat quod non habet: nec à ſeipſis eam poſſident, quia figuræ nulla eſt vis & efficacia, cum ſit affectio quantitatis quæ per ſe inefficax eſt; Cum etiam actio ſit inter contraria, nulla eſt contrarietas inter figuram & rem naturalem. Undè à Cœlo eam repetunt iſtius curæ fautores; Cœlum autem eam vim vel nón habet, & ſic eam dare non poteſt; vel habet, tunc quid prohibet quominus abſque figura eam in corpora noſtra inſinuet? Videmus calorem lucem, & reliquos cæcos influxus abſque hac configuratione operari. Non opus eſt charactere ut mare æſtuet, magnes polum ſpectet, ferrumve trahat. Figura ut figura non habet vim hanc; Cur enim hæc potius quam illa, neque ut talis, quia talis eſt ab arbitrio figurantis, ſecundum ideam quam

quam in mente habet, quæ etiam idea non habet vim agendi in exteriora. Nullam enim habet perfectionem virtualem aut formalem rerum quæ producuntur. Dicere characterem Leonis, vel ſcorpii, vim habere à cœleſti Leone vel Scorpio, mera eſt phantaſia, quia reverâ non datur talis in cœlo depictus vel Leo, vel Scorpius, nec ſi eſſet, ſequeretur illum agere per figuram ſuam. Qui igitur putant ope ejuſmodi figurarum fieri poſſe, ut morbos quoſdam fugiant, vel inferant, vim venenoſam à ſe rejiciant, alios enecent, falluntur & fallunt, niſi eam actionem in Deum aut Dæmonem rejiciant, & poteſt interdum ſolâ vi imaginationis ejuſmodi effectus ſequi, ſic ejuſmodi figuræ non ſunt cauſæ naturales illius effectus; Paracelſus ſuas figuras fatetur eſſe Magicas, diaboli ſyrupos & apozemata vocat. Eadem ratio eſt de verbis, quæ naturâ nihil, quantumvis maximè barbara, ſed impoſitione tantùm ſignificant, undè linguarum diverſitas in re eâdem explicanda. Res autem per qualitates & potentias ſunt efficaces. Si aliquid apud Dæmones ſignificant, id ex eorum inſtituto eſt, quibus patiuntur ſe advocari. Vox quatenus eſt ſonus, tantùm auditum alterat, aut per accidens per animi pathemata, quæ non verbum ut ſonus eſt, ſed res ſignificata commovet, ut fuſe explicat Delrio in diſquiſitionibus

bus Magicis, proindè hic breviores erimus.

III. Falſum eſt quod quidam putant dari medicamenta alterantia, & purgantia quæ ſtomacho excepta unam potius partem, quam aliam roborent aut purgent, undè cephalica, hepatica, ſplenica remedia, &c. dicuntur, Quod prorſus falſum eſt, nam quatenus agunt manifeſtâ qualitate *primâ* calefaciendo, refrigerando, vel *ſecundâ* ut laxando adſtringendo, aperiendo, &c. neceſsè eſt ut prius partes eas alterent quas tangunt, quomodo alterabunt renes, aut caput; niſi partes interpoſitas prius immutent? Quævis tam prudens eſt quæ betonicam capiti, aſplenium lieni diſtribuit. Si quædam vacuant caput, prius regionem primam corporis & ſecundam exhauriant neceſsè eſt, in quibus iidem humores eſſe poſſunt, non enim partes ipſas, ſed humores ex partibus ad alvum trahunt remedia; Unde ſæpè admiratus ſum fraudem quorundam qui pilulas cephalicas præſcribunt, Sciat populus hanc eſſe impoſturam, nam ventriculo exceptæ illam primùm regionem, demum caput conſecutione quadam ſi ſatis validæ ſint expurgant, & id quælibet purgantia faciunt, aloë non minùs quam agaricus, &c. modo eâ quantitate exhibeantur quâ poſſint eorum vires in corpus ſeſe expandere. Falſum enim purgari caput ope pilularum per attractionem humoris

ris per os in ventriculum, ut cap. x. dixi, id enim fit per venas. Methodici, Galeno admodum odioſi, quia illi olim Romæ clari, ipſe obſcurus vivebat, viri tamen doctiſſimi, ut apparet ex fragmentis quæ ſuperſunt forani, apud Cœlium Aurelianum, irridebant peculiares iſtas medicamentorum facultates, quæ certis corporis partibus tribuuntur, *nec alia jecoris, alia lienis eſſe medicamina rectè ſenſerunt. Omnia etenim omnium corporis partium ſunt communia, quando ſimili affecta fuerint paſſione; Regulantur enim ſive diriguntur eorum virtutes, non naturâ patientis loci, ſed genere paſſionis extenta, atque indulta pro modo morborum. Et pro magnitudine paſſionis & virium corporis extenduntur atque indulgentur adjutoria, & non pro ſpecie patientis partis.* ait Cœlius 3. tardarum paſſionum cap. 4. Objiciet quiſpiam leporem marinum peculiari vi pulmones, cantharides lædere veſicam. Sed utrumque prorſus falſum eſt, id enim non fit illæſis aliis partibus, ut apparet ex *Dioſcoride*, *Nicandro*, *Aëtio* & aliis; nam ſumpto lepore marino alvus dolore afficitur, urina ſiſtitur, aut purpurea emittitur, bilioſus fit vomitus, interdum & ſanguinis, ſudor fœtidus emanat, corpus fit ictericum, facies liveſcit, renum ſequitur dolor, virilium inflammatio. Hoccine eſt ſolos pulmones afficere, Qui cantharides

tharides ſumunt ab ore ad veſicam cuncta erodi ſentiunt, ait Dioſcorides, quod ſufficit, nam plura ſymptomata prædicti ſcriptores recenſent.

IV. Erroneum quoque eſt quod multæ mulieres credunt dari medicamenta peculiari virtute menſes moventia, lac aut ſemen generantia, urinas moventia. Galenus quidem vult hæc omnia inter ſe convenire, ſed gradibus tantùm differre, lac provocantia calida eſſe, ſed non ſicca. Quæ provocant menſes calida eſſe, & parum ſicca. Diuretica calida & ſicca. Quæ ſententia prorſus falſa eſt, nam Petro ſelinum, fœniculum, azarum, meum, urinas & menſes ſimul movent ipſo confitente. Non enim moventur menſes ullâ peculiari medicamentorum vi, ignotum enim eſt ſanguinis catharticum, ſed tantùm per accidens quæ ſanguinem attenuant, vaſorum obſtructiones reſerant, facultatem irritant, ea obſtructiones jecoris, lienis, renum, omniumque viſcerum tollunt, & ſic menſes ſimul promovent, non peculiari vi quâ uterum magis quam alias partes reſpiciant. Sic de aliis.

V. Ne credant mulieres dari ulla medicamenta quæ occultâ vi & proprietate ſterilitatem inducunt, nullos in corpore morbos generando, nec lædendo genituram; Recenſentur ab aëtio plurima, *ut radix filicis femina*

fœminæ pota, pulvis hedera, os de corde cervi, matrix mula & capræ, lapis gagates, Aëtites, Smaragdus, Sapphyrus, camphora, cicindela, acetum, ſiſimbrium aquaticum faba aliaque plurima. Si mulier temperiem habuerit ad conceptionem idoneam, & ſemen exceperit, benè prolificum, non niſi labefactatâ ejuſmodi ſeminis aut uteri temperie generatio impedietur. Nam quæcunque generationem prohibent, vel ſemen aut ſanguinem menſtruum in uterum recipi vetant, vel receptum corrumpunt, vel effluere ſinunt, aliaque adſunt uteri vitia, quæ hoc loco deſcribi non debent. Nulla quæ occultâ qualitate id præſtare poſſint, ſed per accidens favendo aut inducendo quaſdam intemperies & alia vitia generationem impedientia. Prædicta quæ id facere dicuntur ſunt mera mendacia, ſicut & id quod veteres ſcripſerunt, tempore belli mentham ne ſeras, quod torquet noſtros interpretes, cum ſit mera ſtultitia, ſponte invitis nobis creſcit, nec eſt olus multis familiare, & ſi eſſet non noceret.

VI. Errare maximè videntur qui partes volunt ſimilium partium comeſtione roborari, ut cerebrum, cerebro, jecur jecore, & ſic de reliquis. Quænam quæſo vis hæc in ventrem ingeſta ita ſollicitè ad ſua loca amandat, & à reliquis ſanguinis partibus ſecernit, ut cerebrum petant? Quam benè facerent

cerent amentes ſi cerebro ſemper veſcerentur, podagrici trunculis, quodnam quæsò cerebrum, quod jecur eligendum? An promiſcuè cujuſlibet animalis, aut ſpeciatim hujus potius quam illius. Quis unquam expertus eſt ſe ex uſu cerebri factum fuiſſe magis cerebroſum, aut intelligentiorem, ſola enim experientia id poteſt indicare. Adde quod pravi ſucci ſint ut plurimum hæc viſcera comeſta, & propterea non ſunt admodum deſiderandi hi cibi, forent verò ſi ſimilia viſcera roborant. Cor coctu eſt difficile, fibroſum ſiccum, jecur dyſpeptum eſt, & craſſum præbet alimentum, magis minuſve pro animalis ætate. Lien quoque ſuccum craſſum & melancholicum præbet: Renes etiam niſi ſint juniorum animalium, cerebrum pituitoſum eſt, facilè nec coquitus, nec diſtribuitur, nauſeam concitat. Ventriculus & inteſtina durioris ſunt ſubſtantiæ, difficillimè coquuntur, paucum ſanguinem, eumque frigidum præbent, nec ſatis bonum. Quis credet horum ſingula primùm cocta, dein in ventriculum ingeſta, illicque in chylum tranſmutata ad congeneres ſibi partes proficiſci, ab iiſve attrahi & ſic renes renibus potius quam jecori opitulari; Illa opinio fuit merum ſomnium quorundam qui nullam hujus rei certam habebant experientiam. Niſi quis ſolùm cerebris aleretur, (quod impoſſibile

poſſibile eſt,) non minus indè alimentum renes, pedeſve capeſſerent, quam ipſum caput. Ventriculus & inteſtina cocta ſcilicet vel elixata, vel frixa ventriculo viventis excepta in chylum tranſmutantur, quo chylo non alitur ventriculus, ſed in hepate ſanguis evadit, rediturus, ſi Diis placet; ad ventriculum, ut illum roboret, & ſuſtineat. Apage iſta ſomnia.

VII. Dubium maximè mihi videtur an ulla medicamenta purgantia unum potius quam alium humorem naturæ ſuæ proprietate purgent, ut plurimi à Medicis perſuaſi putant. Sanè ſi id falſum eſſe oſtendatur, multi ſimul errores aperientur, qui indè dependent. Id autem oſtendere erit facillimum. Primo ex Fernelii, Galeni, & aliorum confeſſione qui alienum humorem vacuari concedunt, quemvis obvium, ad fluendum aptiorem, aut qui immodicè exuberat, aut in viâ purgationis ſubſiſtit. Fatendum igitur eſt poſſe quemlibet humorem quolibet pharmaco vacuari, modo ſit obvius; At quæ nam cauſa eſt quod non ſit obvius? Dicent id fieri ſi ſit in parte densâ, adſtrictâ vel obſtructâ, vel in longinquas partes disjectus, Rhabarbarum ſecundum illorum errorem purgat electivè bilem, ſed pituitam & atram bilem ſi ipſi in viâ occurrant. Non occurrunt autem quando ſunt in cerebro,

tua

aut in artubus, aut corporis habitu. Sic etiam tunc non trahet ipſam bilem, ſi prædictis partibus coërceatur. Trahit igitur illam tantùm quandò obvia ſit. Sed augeamûs rhabarbari iſtius quantitatem, tunc pituita & atrabilis ipſi occurrent, & ex eorum conſeſſione hos humores educet, quia obvii ſunt, cur enim ex unâ parte quoſlibet humores obvios educeret, ex aliâ non item, ſi pariter obvii ſunt. Deindè niſi id eſſet verum, nunquam ex vehementi cathartico fieret hypercatharſis; Fatentur enim violentius medicamentum proprio humore detracto, alios invadere, tenuiores, poſt craſſiores, demum ſanguinem. Inde concludo electivè non purgare hoc medicamentum, alias proprio humore detracto, alios non evocaret, ſicut magnes, (cujus exemplo utuntur) ſi acervus quidam ſit, æris, argenti, ferri, palearum, &c. ſolum ferrum alliciet, quia id electivè facit. Ne dicat quiſpiam hypercatharſin fieri ob medicamenti calorem, & acrimoniam, quæ venarum oſcula recludit, naturam adeò proritat, ut humores coërcere non poſſit. Verum ſi ea cauſa foret, allium, pyrethrum, piper & ſimilia acria purgandi facultatem ſortirentur. Id igitur facultate fit purgante, quæ cum generaliter quoſlibet humores reſpiciat, ſi potentior ſit quam natura poſtulat, effrænata fit purgatio humo-

humorum. Hippocrates id bene vidit, etiamſi ſibi non conſtet, *Si eidem homini*, inquit, *idem medicamentum quater in anno exhibeas, hyeme pituitoſa vacuabit, vere liquidiſſima, æſtate bilioſa, autumno nigerrima.* Scilicet pharmacum quos humores invenit, eos evacuat. Eraſiſtratus quoque voluit quodlibet medicamentum omnes humores vacuare, primò tenuiores, dein craſſiores, prout validum fuerit, aut imbecillum. Secundum Hippocrat. venæ ſectio, & purgatio iiſdem affectibus ut pleuritidi conveniunt. Sicut igitur venæ ſectio vacuare poteſt omnes humores, ſic & pharmacum; Peplium *idem* præſcribit ad pleuritidem, quod atram bilem ſolam vacuare creditur. Malè autem præſcribitur, ſi bilem flavam etiam non vacuat. *Idem* variegatas probat dejectiones ſi tales à medicamento fiant. Ideo vim habet plures evacuandi humores. Id maximè patet in compoſitis, quæ non purgant electivè. Extractum Catholicum drachmæ unius doſi abunde purgat. Non purgaret autem, ſi electivè id faceret, quia nullum eſt in eâ compoſitione ſimplex, quod eâ inſit quantitate, quâ proprium humorem allicere poteſt. Undè aliâ purgante vi operetur neceſſe eſt, & unum ab alterius miſtione adjuvari. Quod dicunt quædam habere vim duos humores vacuandi, merum eſt

effugium, quia ut vidimus omnes vacuare poteſt. Adde quod Senna colorem dat ſubfuſcum, rhabarbarum croceum, unde illa melancholiam, hoc bilem vacuare creditur, qui colores ſunt medicamenti non humorum.

VIII. Maximè dubium etiam mihi videtur, quod populus credit, ſcilicet gemmis, ut margaritis, fragmentis pretioſis ineſſe ullam vim cardiacam, quamvis in multis Antidotis reperiantur, ut in pulvere de gemmis, confectione de hyacintho, aliiſque nimium multis adſunt *margarita, topazius, granatus, hyacinthus, Smaragdus, ſardius, ſapphyrus, Iaſpis*, & ſimiles lapides, quorum vires prorſus ſunt ignotæ. In genere cardiacam vim habere creduntur, ſic fruſtra tot ſunt, ſed unicus ſufficere poteſt, ſi omnes eandem vim habent, ſi verò diverſam, id eſt quod ego dico, eam eſſe ignotam, quâ igitur intentione, cui bono adeſt hyacinthus, ubi ſunt margaritæ, aut hæ ubi ille eſt? Nam in compoſitionibus ratio reddi debet, quare hæc & illa, baſi medicamenti addantur. Verbi gratiâ in confectione Anacardinâ, quæ prima in Pharmacopœâ libro aperto mihi occurrit, baſis ſunt Anacardi, unde nomen, quorum virtus attenuans, pituitam incidens augetur additione coſti, caſtorei, ſeminis melanthii, virtus flatus diſcutiens

auge-

augetur pipere & baccis lauri; detergens ſaccharo & melle, adduntur cyperus & myrobalani ad viſcera adſtrictione ſuâ roboranda, & moderandum calorem baſis & reliquorum ſimplicium, butyrum ad leniendum, inquit Bauderonus, præcipuus Pharmacopœæ interpres; Quæ omnia etſi falſa ſint, cum in hâc confectione, non minus piper & caſtoreum, aut aliud quodlibet poſſit cenſeri baſis, quam Anacardi, oſtendit tamen rationem eſſe reddendam quare tam varia medicamenta ſimul miſceantur, quæ reddi non poteſt, ſi omnes gemmæ habent eandem vim cardiacam, ut in pulvere de gemmis, ubi ſunt margaritæ & quinque lapides pretioſi, quorum quis baſis ſit, dici non poteſt, nec quare omnes ſimul, ſi habent eandem virtutem. Si eandem non habent, præterquam quod ignota eſt, urgentur ratione prædictâ de purgantibus, ſcilicet tota compoſitio habet drachmas circiter 54. lapidum pretioſorum ſunt drachmæ novem cum ſemiſſe, reliquorum ſimpliciūm ſunt drachmæ 45. Ita ut in drachma unâ, quæ magna doſis eſt, non ſit ſexta pars lapidum pretioſiorum, ſcilicet grana decem. In quibus continentur ſex lapides pretioſi, ita ut ſingulorum ſit granum unum ſemis circiter, aut paulo plus. Si ſinguli lapides habent diverſas vires, nullus illorum eâ doſi

eam exercere poteſt. Si habent communem, unus illorum ſufficere potuit. Quæ ratio benè penſitata examinabit multas Pharmacopoliorum compoſitiones, & non adeo commendabiles inveniet. Sed redeundo ad gemmas, rectè dubitant Eraſtus, Matthiolus, aliique viri doctiſſimi, an quicquam prodeſſe poſſint, cum manifeſtè nec calefaciant, nec refrigerent, ullave qualitate proſint, quæ nobis hactenus experientiâ innotuerit. Tum quia ſi agere debet medicamentum, diſſolvi debet, ut deducatur in actum; At hæc omnia talia excernuntur, qualia ingeſta fuere, nullâ molis & ponderis imminutione. Exquiſitam pulverationem conſulunt Pharmacopœæ ſcriptores, ne gravitate ſuâ fundum ventriculi petant, illic adhæreſcant, nec in venas diſtribuantur, & ſic inutiles fiant. Quocunque modo præparentur pulvis ſunt; quæ autem de eorum viribus recenſent Chymici inania plerumque ſunt figmenta, ſive calcinentur, ſive alio modo immutentur, aut in acidis liquoribus ſolvantur, ſemper pulvis ſunt, ſæpiſſimè pejor quam qui ſolâ tritura fit, qui tamen nullius eſt virtutis, aut admodum exiguæ.

IX. Vana pariter ſunt quæ de lapide Ætite ad partum promovendum quidam ſcibere auſi ſunt, ſcilicet eum fœmori alligatum partum promovere, brachio verò pro-

prohibere. Id etſi Dioſcorides ſcripſerit, non tamen verum eſſe oſtendit experientia. Quocunque modo id fieri dicatur attractione vel expulſione, certum eſt ſi centum lapides Ætitæ uno acervo congerantur, non trahent ad ſe aut loco ſuo dimovebunt minimam partem unius pueruli; Dicere virtutem hanc tantùm valere quamdiu puer utero continetur, eo exeunte ſtatim ceſſare, eſt nequaquam veriſimile. Quare enim ſi puerum trahit, extra uterum id non faciet? Adde quod nemo hactenus obſervavit, ad quam partem fœtus præcipuè hæc attractio referri debeat, cum enim conſtet carnibus, oſſibus, membranis, non æquali virtute partes tam diſſimilis naturæ alliciet, ſed unam præcipuè, reliquum corpus per aliud, propter omnium inter ſeſe aptam coaptationem, & nexum. Sed rationibus ubi experientia deeſt, non eſt ulterius agendum. Dicet quiſpiam obſervatum fuiſſe, appoſito hoc lapide facilem partum fuiſſe. Verumtamen abſque hoc etiam facilis fuiſſet, & ſæpe illo præſente non minùs difficilem fuiſſe ſcio, & ſæpius. Non ſequitur ſi me ſcribente pluit, ſcriptionem meam eſſe cauſam pluviæ, ſic neque ſi præſente lapide mulier quædam peperit, lapidem partus cauſam fuiſſe. Dicere aut matrem aut fœtum à lapide roborari, eſt etiam prorſus inane, unde enim cognitum id fuit, tùm quo-

que roborantia reliqua, quæ plurima ſunt & certiora idem præſtarent: ſic inutilis ille lapis quocunque ſe quiſpiam vertat, evadet.

X. Miratus ſum ſæpe quantâ confidentia multi remedia laudent, quæ ſecretâ proprietate, Epilepſiam inhibere, atque etiam depellere creduntur, ut ſemen pæoniæ collo ſubnexum, & ungulam alces vel appenſam, vel annulo incluſam; Addunt alii ungulam & calvariam aſini, quod remedium didiciſſe ſe in Hiſpaniâ Alexander Trallianus teſtatur, & miris laudibus extollit, pari cum vanitate. Rectè pæoniam collo appenſam irrident, *Matthiolus*, *Eraſtus*, *Montanus*, *Mercurialis*, qui nullam ex appenſione pæoniæ vim & utilitatem ſe vidiſſe afferunt, ſicut neque etiam ego ullam vidi; Et quidam cùm laudatum hoc remedium viderent à Galeno, nec rei fidem faceret experientia, dixerunt nos pæoniâ mare carere, quod eſt merum effugium. Et reverà periaptis non eſt magna fides adhibenda, cum cauſam morbificam nec depellant, nec alterent. Quare enim reliquis morbis à ſimili causâ profectis non opitularentur? Credere autem morbum ullum aut ſymptoma, ſine cauſæ morbificæ immutatione, aut evacuatione curari abſurdum eſt; remedia enim omnia non morbis ut morbi ſunt, ſed cauſis adverſantur, & quamvis id facerent, nunquam tamen ma-

nente

nente cauſæ efficaciâ curarent. Iſta operatio ſuſpecta eſt, maximè cum pæoniam decreſcente Lunâ, menſe Julio, Sole exiſtente in Leone, in meridie, ſolari die colligendam velint. Et quamvis intrinſecus ſumpta calefaciendo & potiſſimum exſiccando, non ſolum Epilepſiæ, ſed & aliis morbis opitulari poſſit, id tamen appenſam præſtare non facilè credendum eſt. *Vngula alces* ſuperſtitionis aliquid habet, quod animal Epilepſiæ obnoxium ferunt, quà cum corripitur ungulam dicunt capiti admovere, & inde levari, unde eandem ungulam volunt tutiſſimum eſſe Epilepſiæ remedium, ſi aut naribus olfacienda admoveatur, aut de collo ſuſpendatur, ſolamque ſiniſtri pedis ungulam poſteriorem, ex vivo animali decreſcente Lunâ exciſam eligunt, alias eſſe inutiles. Qui delectus videtur eſſe ſuperſtitioſus, cum tanta non ſoleat eſſe inter ungulas ejuſdem animalis differentia, unde verum iſtius rei exemplum deſiderant multi, atque etiam ego ſæpius facto experimento nullum vidi; Inſignis Medicus, quo doctiorem non habuit ſeculum hoc, Ludovicus Duretus, vidit mulierem quæ integrum alces pedem continuò olfaciebat abſque ullo levamine. Si vera hæc eſt de Alce Hiſtoria, vel ingruente Epilepſiæ paroxyſmo, (qui ſolet tamen inopinantes aggredi.) admovet capi-

ti

ti ungulam, ſic illum prohibet ne accedat, & ſic nunquam eo corripietur; vel in ipſo paroxyſmo, at id prorſus eſt impoſſibile, quia in Paroxyſmo interceptæ ſunt ſenſuum omnium functiones, & animal ſubitò concidit. Paroxyſmo ſoluto inutile prorſus eſt, quæ ratio me cogit, ut meram eſſe fabulam id credam. Unde non minorem vim ungulæ aſini & calvariæ attribuit Trallianus, qui alcem ignorabat. Interna verò remedia quod ſpectat, etſi Epilepſiæ prodeſſe poſſint, in iis tamen ſuperſtitio magna eſſe ſolet, ut quod oſſa eligantur cranii humani potius quam aliarum partium, ut tibiarum, Maris quoque ſi vir, fœminæ ſi fœmina laboret. Vanæ ſunt iſtæ obſervationes, Galenus X. Simplic. oſſa humana ſine hoc delectu exſiccata probat, non minùs tibiæ, quam capitis, non quod ullâ proprietate occultâ valeant, ſed quia digerentem exſiccantemque vim habeant. Idem ſentiendum de caſtoreo, rutâ, ſcyllâ, floribus tiliæ, & ſimilibus quæ non ſubſtantiæ proprietate, ſed aliâ vi non ſolum huic, ſed & aliis morbis, à ſimili causâ oriundis opem ferunt.

Pari ratione rejicienda ſunt varia ejuſmodi remedia falſa & mendacia quæ ad varios morbos, ut ad febres quartanas, peſtem, veneficia, faſcinum, cólicum dolorem, à quibuſ-

buſdam præſcribuntur, quibus tamen ſi populus valdè confidat, modo innoxia ſint, ex vi imaginationis prodeſſe poterunt, & ſic concedenda eſſe Matthiolus, aliique ſentiunt;

FINIS.

ROTERODAMI,
Ex Officinâ ARNOLDI LEERS.
M. DC. LXVIII.

Digitized by Google

00564372